
190



1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

Henry S. Lucas.
's-Gravenhage.
Feb. 1920

HISTORIÆ LOSSENSIS

LIBRI DECEM,

Authore R. Patre JOANNE MANTELIO, *Augustiniano, sacræ Theologiæ Doctore.*

CUI ADJUNCTA SUNT


DIPLOMATA LOSSENSIA, PRIVILEGIA, PACES, PACTA, Donationes, Infeudationes, &c.

NECNON

RECOLLECTIO EDICTORUM, Constitutionum, Declarationum, Jurium &c.

CUM TOPOGRAPHIA SEU DESCRIPTIONE Urbium, Pagorum & Locorum ejusdem Comitatûs.

Labore & studio clarissimi consultissimique Domini LAURENTII ROBYNS, *J. U. D. & Advocati Leodiensis.*



LEODII,
Typis F. ALEXANDRI BARCHON, ad insigne Putei, viâ vulgò dictâ Gerardrie. 1717.
Cum Superiorum permissu.



ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

DOMINO LOCUMTENENTI
ET
SUMMO PRÆSIDI,
NECNON

ILLUSTRISSIMIS AC GENEROSISSIMIS DOMINIS

ANTIQUISSIMÆ AC NOBILISSIMÆ

SALÆ CURINGIANÆ PARIBUS ET JUDICIBUS.

LLUSTRISS. AC GENEROSISS. DOMINI,

Mantelium ſub illuſtriſſimi nominis veſtri auſpicio publicæ luci exponere non vereor : in eo enim Loſſenſium Comitum aliorumque Patriæ Nobilium præclarè geſta videre eſt ; quomodò Romanorum Imperio primùm ſubacti eique ſubditi permanſerint ; quomodò concidente paulatim eorum Imperio, hanc Ditionem Franci fecerunt ſuam ; qui poſtmodum hic Comitatus ſub Imperatoribus ſupremus ; à quo tempore Auſtraſiæ Regnum ab Ottone tertio redactum in Provinciam, ita floruit, ut antiquitate nulli alteri totâ Germaniâ inferiori vel Belgio cedere debeat ; connubia inde Loſſenſes talia inierunt, ut vel maximis Principibus æqui-

parari possint. Nec potuit quin Comites nostri id temporis magnâ pollerent authoritate opibusque abundarent; cùm in Ecclesiasticum Ordinem, & præcipuè Leodiensem, fuerint adeò munifici & quasi profusi. Quandoquidem nullibi hactenus paruerit antiquarum Lossensium Consuetudinum Codex, vulgò Styl ende gewoonte; *non incongruum visum fuit eum Publico dare ex Archivis vestris extractum, ei adjunctis Diplomatibus & Edictis eundem Comitatum concernentibus, magno plurium, non dicam mensium, sed annorum labore; nihilo autem minori sumptu conquisitis undequaque originariis Textibus, quorum multi inter veterum membranarum, & manuscriptorum obsoletorum fugientes lituras paucis cogniti latuerunt. Frustrà eos Patria Mater, usu obstetricante, effudit, nisi vos, PATRIÆ PARES, Juris Arbitri, levari jubeatis & esse vitales: vos enim jure meritissimo* Patroni Viriqué Præstantissimi *dicimini; cùm ad vos ut ad Tribunal supremum ex toto Comitatu causæ deferantur, quas sanctioris cognitionis prærogativa dignas censet Justitiæ principalis ordinatissima rectissimaque partitio, ut priscis illis Romanorum Senatoribus non exæquandos modò, sed longè anteferendos esse existimem. Hæc pro Patriæ zelo, ut nunc vestri patrocinii titulum præferat (quæ pridem approbationis vestræ anthoritatem habuit) permittite, quæso, undique suscipite sanctiori Ordini vestro devotissimum famulum. Omnia rectè collocata censebo, si per vos, ILLUSTRISSIMI DOMINI, hanc meam Patriæ operam probaverim, Vobisque Librum hunc obtulerim ac consecraverim.*

ILLUSTRISSIMARUM GENEROSISSIMARUMQUE
DOMINATIONUM VESTRARUM

Observantissimus & devotissimus famulus
LAURENTIUS ROBYNS, J. U. D.

EPISTOLA AUTHORIS
REVERENDO ADMODUM, PRÆNOBILI AC CLARISSIMO DOMINO,
D. DE LIVERLO,
CANONICO ET OFFICIALI LEODIENSI, &c.

PRÆNOBILIS ET CLARISSIME DOMINE,

Nec ego, nec promulsis mea Historiæ Lossensis, præfestivè dico, agnoscimus tam situm, tum urbanam laudem, quæ tamen non potest quin animum gaudio titillet, quòd sit à Viro tanti judicii & eruditionis, quòdque sit ad gustum. Ego pariter ejusdem semper tecum fui sententiæ, ut cognitionem rerum nostrarum præferrem externarum cognitioni, illisque eruendis potiorem impenderem operam. Certè integra Historia Lossensis, quam pro medullo meo descripsi, testabitur aliquando me non pauca eruisse ex situ & squallore vindicasseque ab oblivione, quæ magna Majorum decora continent Patriamque non mediocriter cohonestant. Hic titulus, ne quid tibi communis Patriæ amantissimæ lateat, Historiæ Lossensis Libri decem, *in quibus agitur de immigratione Francorum Saliorum in Taxandriam & Hasbaniam, de primis eorum Regibus; deinde de Comitatûs Lossensis, qui & Diostiensis, ortu & incremento; de omnibus ejus Comitibus sæcularibus; qualiterque tandem devolutus sit ad Ecclesiam Leodiensem; eademque opera istorum recensentur, Genealogiæ & Stemmata, piæque Donationes, Oppida, Arces, Familiæque nobiles ab iis descendentes; quot è Domo Lossensi facti Leodienses Episcopi; Item Comitum ostensa Monumenta nobiliaque in hodiernum diem Feuda. Cùm priores meas abituriente nuntio obsignarem, oblitus fui adjungere hanc Tabulam Genealogicam maximè ad rem facientem, quam spero futuram haud ingratam V. C. Cùm D. Marchio d'Assche huc advenerit, quod brevi scrip-*

sit futurum, scribam quid de originibus insignium Regum & Principum & ... actum sit; omnemque movebo lapidem, ut ad vos perferantur. Nunc quasi mobile lignum alienâ manu ducimur meque ipsum potestate disponendi de propriis lucubrationibus quasi exui: gratissimas ago gratias pro...... exosculorque benevolum in me studiaque mea animum. Expectabar Halechiæ in Campinia, amœnissimo Tusculô, à Reverendissimo Domino sancti Trudonis, optimo Mecœnate, sed morbus obfuit, nec licuit nisi cum Horatio vota depromere:

O rus, quando ego te aspiciam quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis
Ducere tranquillæ jucunda oblivia vitæ,

Sed hæc extra saltum, exopto omnia felicissima, maneoque,

PRÆNOBILIS ET CLARISSIME DOMINE,

Generosæ Dominationis Vestræ

Hasseleti die 15. *Sept.* 1671.

Externo cultu addictissimus F. Jo. MANTELIUS.



VITA ET ELOGIUM

REVERENDI AC ERUDITI VIRI

JOANNIS MANTELII.

Ex Bibliotheca Belgica VALERII ANDREÆ DESSELY, *Jurisconsulti.*

JOANNES MANTELIUS, Ordinis Eremitarum S. Augustini, nascitur Hasseleti anno 1599. 23. Septembris, filius Georgii Mantelii & Mariæ Hermans. Cursu Litterarum humaniorum absoluto Leodii, anno 1617. 11. Junii Religioni Augustinianæ in Conventu Hasselensi nomen dedit, in qua Philosophiam & Theo-

logiam didicit. Bonam deinde juventutis partem docendæ Rhetoricæ impendit Scholarumque Præfectus; postmodum egit Suppriorem Bruxellensem; anno 1631. egit Priorem Antuerpiæ, atque primis illis annis impensè Musicâ & Geographiâ delectatus est. Anno 1635. in Academia Duacena fuit factus Baccalaureus, & anno 1636. sacræ Theologiæ Licentiatus. Anno 1637. egit Priorem Yprensem; anno 1640. Provinciæ fuit factus primus Visitator; anno 1647. Ablegatus discretus ad Capitulum Romanum Laureamque Doctoratûs sacræ Theologiæ consecutus est; eodemque anno egit Priorem Coloniensem; ac ætate provectior, eloquentiæ sacræ se totum dedit, & in primariis Belgii Civitatibus per plures Quadragesimas Conciones ad Populum habuit. Anno 1655. iterùm egit Priorem Hasselensem.

MORS EJUS ET SEPULTURA.

Sic Necrologium reverendorum Patrum Augustinianorum Hasselensium habet: Joannes Mantelius tandem vitæ ærumnarumque satur, omnibus sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis munitus, post varios gravesque corporis languores constanter patienterque perpessos, in Christo diem clausit extremum in Conventu Fratrum Eremitarum sancti Patris Augustini Hasseleti anno 1676. die 23. mensis Februarii, qui vixit Christo jubilarius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor, ætatis annorum 77. religiosæ vitæ 60. Sacerdotii 52. Sepelitur in Choro reverendorum Patrum Augustinianorum, sub majori sacrophago, ubi sedulam erudiendæ juventuti operam impenderat. Posteà insignis verbi Dei præco (variis iisque salutaribus ad proximi institutionem editis opusculis) in dirigendis Christi Fidelium conscientiis admodùm sedulus extitit. Antuerpiæ, Ypris, Coloniæ, Hasseleti, Prioris, Leodii Vicarii ac Provinciæ Visitatoris muniis non exigua cum laude perfunctus est. Verbi Dei fuit observantissimus, Numinis divini cultor assiduus, in moribus ad prisci Catonis normam, in verbis gestuque ad veteris ævi modestiam. Ipsius Opera variis locis edita brevi hoc Indice exhibentur.

Manuale Confraternitatis corrigiatæ. Flandricè, Leodii 1627.

Dies devotarum Mentium. Item Fland. Antuerpiæ apud Henr. Aertesium 1634

Speculum peccatorum, sive admiranda S. Augustini conversio, historicâ narratione, discursibus moralibus, & emblematibus in æs incusis adornata. Ibidem. 1637.

Oratio in laudem B. Mariæ Virg. occasione Statuæ in Templo Augustiniano Thenis redivivis ei dedicatæ, ibid. *cum Orationibus Nicasii Baxii* 1638.

Tabula Chorographica Principatûs Leodiensis & Comitatûs Lossensis. Amstel. apud Henr. Houdium 1639.

Ars artium, sive de Regimine Sanctimonialium Diatribe. Antuerp. typis Plant. 8. 1640.

Feriarum Academiarum, liber singularis.

Oratio in funere Henrici Lancelotti, Ordin. Eremit. S. Augustini, S. Th. Doctoris Lovaniensis, habita Antuerpiæ; cum Epicedio in mortem ejusdem. Typis Henr. Aertslenii, in quarto.

De Officio Pastorali lib. 2. Antuerp. apud Henricum Aertesium 1643.

Ægidii Albertini Emblemata Hieropolitica versibus & prosâ illustrabat nomine Joannis Melitani à Corylo, ejusdemque Musæ errantes. Coloniæ apud Constant. Munich 1647.

Thaumaturgi Physici Prodromus. Ibid. apud eundem 1649.

S. Augustinus de ven. Eucharistia, sive de augustissimo corporis & sanguinis Domini mysterio, quà Sacrificium & Sacramentum est, quid Catholicus sanctæ Ecclesiæ Doctor senserit, Libri duo. Leodii apud Henricum Tornay anno 1655.

Stemma Comitum Lossensium, ibidem.

Liber singularis de officio Christiani, juxta sanctissimos mores probatissimamque S. Augustini doctrinam, ad revocandam in usum veterem sanctorum Patrum concionandi methodum.

Hasseletum, seu totius Historiæ Lossensis Compendium. Lovanii apud Andream Bouventium anno 1663.



LIBER



LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

PAtriæ ingenti perstrictus amore; Res Comitum Lossensium, ut non modò extra oblivionis tenebras situm & squallorem ponam, sed in aliquanta luce, si non meridiana; exordium Comitatûs Diostiensis, cujus & titulo usi, aliquantò accuratiùs investigandum, repetendumque altiùs duximus, quò reperto, magna (ut spero) à multorum oculis dispelletur caligo, faciliorque fiet Rerum Lossensium intelligentia.

Tu, benevole Lector, conatibus nostris oppidò non illiberalibus fave, si potes; sin secùs, noli adversarier, donec tecum per otium expenderis.

CAPUT PRIMUM.

Quâ ratione Franci immigraverint in Taxandriam & Hasbaniam.

DItionem, quæ hodie Leodiensis nomen obtinet, atque in ea Comitatum Lossensem, cis & citra Tameram fluvium, devictâ priùs Galliâ, Julius Cæsar armis domuit, diùque post permansit in potestate Romanorum; donec concidente paulatim eorum Imperio, illam Franci fecerunt suam: quâ occasione dicam. Ipsi antiquissimæ nobilissimæque Germaniæ Nationis portio, sedibus suis pulsi à Saxonibus, transmisso Rheno, concesserunt primùm in Bataviam Insulam, ibique fixere domicilia, donec eos rursus ejecere Saxonum, seu Confœderati, seu Clientes Quadi, quos Julianus Cæsar & Ammianus Chamavos vocant, qui & Franci erant, sed nequaquam Salii; eaque propter populari illos seditione, tamquam primores, nobilioresque exosos habebant. Tandem Chamavi isti Franci, idem quod Saxones ausi, Nobilitatem suam Salios, sic Francâ linguâ à sala, id est palatio, dictos, totâ etiam expulere Bataviâ, seseque Quados, id est rabidos & rebelles, dixerunt.

Wendel. cap. 10. 11. 12. 13. & 14.

Pulsi hoc pacto priùs suis sedibus, totâ deinde Bataviâ Salii, quò se reciperent non habebant, nisi ad Romanos, à quibus haud abhorrebant, quod itaque felix auspicatumque fuit, intra fines proximos regionemque Taxandriam, quæ non ante annum virginei partûs 1200. cœpta vocari Campinia, immigrarunt, ibique habitare cœperunt circa annum Æræ Christianæ 357, sed prælicenter, id est non obtentâ à Romanis id faciendi facultate: hinc anno proximo Julianus Imperator, cognomento Apostata, Parisiis movens, inquit Ammianus, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in solo Romano apud Taxandriam, locum Tessender-Looz, habitacula sibi figere prælicenter. Cui, cùm Tongros venisset, occurrit Legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorem etiamnum in Hibernis, pacem sub hac lege prætendens, ut quiescentes eos, tamquam in suis, nec lacesseret quisquam, nec vexaret. Hos Legatos, negotio plenè digesto, oppositâque conditionum perplexitate, ut in iisdem tractibus moraturus, dum redeunt,

Ammianus lib. 17.

numeratos absolvit, dictoque citiùs secutus profectos, Severo duce misso per ripam, subitò cunctos aggressus, tanquam fulminis turbo perculsit: jamque precantes potiùs quàm resistentes, in opportunam clementiæ partem, effectu victoriæ flexo, dedentes se cum opibus liberisque suscepit. Chamavos itidem ausos similia (fines scilicet Romani Imperii invadere) adortus, eâdem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes, vivosque captos, compegit in vincula: alios fugâ præcipiti trepidantes ad sua interim abire permisit. Hæc ille Zosimus paulò explicatiùs. *Saxones* (inquit, *omnium eas regiones incolentium Barbarorum & animis & corporum viribus & laborum in præliis tolerantiâ fortissimi habiti, Quados, Nationis suæ partem, in solum à Romanis occupatum emittunt. Hi Saliorum Gentem, Francorum portionem, & vi Saxonum in hanc Insulam Bataviam suis sedibus expulsam ejecerunt.* Hæc Insula, cùm priùs in universum Romanis paruisset, à Saliis hoc tempore possidebatur. Julianus Cæsar, eâ re cognitâ, Quados quidem aggrediebatur, jusso priùs exercitu cum Quadis acriter dimicare, Saliorum neminem occidere, vel prohibere quominùs in Romanorum fines transirent, quòd non ut hostes Romanam ditionem invaderent, sed per vim & coactionem à Quadis expellerentur. (Quid posset à quoquam in rem nostram dici explicatiùs.) Hâc igitur animadversâ Cæsaris humanitate, Salii partim ex Insula cum suo Rege trajecerunt in solum Romanum; partim, correptâ fugâ, consederunt ad limitanea: verumque apparet Salios emigrasse ex Batavia, beneficioque Juliani iis concessam Taxandriam; partim quidem occupasse hanc superiorem cis & citra Tameram, ut & Comitatum Lossensem, Hasbaniamque attingerent; partim consedisse circa Bergas, ad Zomam, qui limes est Taxandriæ, circa Stenobergam, circa Sevenbergam, circa Bergam sanctæ Gertrudis, quæ omnia sunt Taxandriæ limitanea inferiora, ut non oscitanter Zosimus scripserit, Kateessan, quo Κατιέναι descendisse atque inferiora insedisse doceat. Atque hâc ratione Salii etiam in Comitatum Lossensem aliasque Hasbaniæ oras delati, ea diù in pace posteà & tranquillitate possederunt, uti & Taxandriam. Ac veluti posteà Romani Imperii interitus exordium dedit Regno Burgundionum in Sequanis, Gottorum in Italia, Hispania & Gallia, Wandalorum itidem in Hispania & Africa; ita quoque nobilissimi omnium Regni Francisci in Gallia occasio fuit: quod in hunc modum

Zoz. lib. 3.

Orosius. lib. 7. c. 38.

processit. Anno Christi Salvatoris nostri 406. Arcadio & Probo Coss. Stilico, natione Wandalus, idemque Socer Imperatoris Honorii, filio suo Eucherio affectans Imperium, gentes copiis viribusque intolerabiles Alanorum, Suevorum, Wandalorum, Burgundionum ultrò in arma sollicitans, deterso semel Romani nominis metu, suscitavit, & interim ripas Rheni quatere ac pulsare in Gallias voluit, sperans sub hac necessitatis circumstantia, quia & extorquere Genero Imperium posset in filium, & Gentes barbaræ tam facilè comprimi quàm commoveri valerent; sed excitatæ illæ per Stiliconem, multæque cum his aliæ, Francos proterunt, Rhenum transeunt & Gallias invadunt. Ita Orosius. lib. 7. cap. 38. & 40. Ecce sic alios à dictis Francos, tum ultra Rhenum adhuc incolentes, quos ubi recensitæ ab Orosio protrivissent multæ & barbaræ prorsus Gentes, illi pariter superato Rheno venerunt ad Gentiles suos, totaque Francorum Gens ab eisdem Saxonibus & Thoringis (Wandaliæ partes) exagitata, atque extorris facta, infudit se in Taxandriam vicinamque Tongriam cis & citra Mosam flumen, agrosque in solo Romano longè latèque vacuos insedit. Pro eo, ac ante octo annos, Arcadius & Honorius Augusti, lege quoque latâ invitaverant exteras Nationes, ut ex variis Gentibus varii Populi vellent immigrare in ditionem Romanam; eisdemque terræ Leticæ, Francâ linguâ *Ledich*, id est, desertæ, vastatæ & incultæ, assignarentur, quo arva jacentia juvarentur cultu, & arma delectu: atque istud est quod in notitia utriusque Imperii legitur Præfectus Letorum Lacentium prope Tongros. Expulsis in hunc modum Francis ex Germania, trans-Rhenana illic Francia esse desiit, migravitque hoc nomen in Cis-Rhenanam Tongriam, sub qua Hasbania & Lossia; maximèque fixere sedem inter Diest, Halen, Wistherck & Hasselt, atque anno 406, & ineunte 407, Franci trans Rhenum esse desierunt; atque abinde Tongrorum Regio Francica Gallicana cœpta appellari. Quæ si quis accuratiùs, cum animo suo nullo præjudicio præoccupato, expendere velit, nihil metuo quin pedibus iturus sit in nostram sententiam: neque de nihilo esse quod præscripsi huic capiti, quâ scilicet ratione Franci olim in Taxandriam Hasbaniamque migraverint. Cui tamen hæc nostra excerpta minùs sufficiunt; auctor illi sim, uti Natale Solum Legum Salicarum, & signanter cap. XI. doctissimi Wendelini,

editum typis Plantinianis anno 1649. consultat, ausim sponsionem facere non ingratam & inutilem positurum operam.

CAPUT II.

Quando, & ubi Franci Reges Crinitos delegerint.

AD tempus Gregorii Turonensis lib. 2. cap. 9. verba spectant. *Tradunt multi* (inquit) *Francos de Panonia fuisse digressos, & primùm quidem littora Rheni amnis incoluisse; de hinc, transacto Rheno, Tongriam transmeasse, ibique juxta Civitates, vel Pagos, Reges Crinitos super se creasse de prima, & ut ita dicam, nobiliori suorum familia.* Nec frustrà ille interpolavit (*ut ita dicam:*) quod enim locutio tunc Francica offerebat *vant Salich Geslacht*, cum præfatione veniæ, vertit de nobiliore familia, id est Salica. Ad temporis itaque epocam quod spectat, posteaquam Franci Salii Taxandriam Comitatumque Lossensem insedissent, & supra totos 60. annos pacificè & omnium hostium securi incoluissent, atque ad eos, præsidii causâ, etiam cæteri Franci Trans-Rhenani ante annos circiter duodecim advenissent; anno tandem Christiano 420, collatis inter se Consiliis, exutoque Romani nominis amore, posteaquam Arelati captus, occisusque Constantinus, excussoque Honorii Cæsaris metu & jugo, Regem sibi proprium crearunt, idque cis Rhenum, intra hanc nostram Tongriam. Cujus sententiæ non modò est meus olim Præceptor Wendelinus, sed & duo doctissimi è doctissima Societate Scriptores, Bucherius & Fisen, primusque anno prænotato, si octo tantùm regnavit annos. Ad regiam dignitatem Pharamundus ex Saliis evehitur, nobilissimæque Monarchiæ Francicæ fundamenta jacit, cùm paulò antè, totius Francicæ Gentis assensu, à quatuor Gastis Wusthercæ conditæ essent Leges sacræ, uti Wendelinus solidissimis argumentis in Natali Solo earundem probat. Prosper in Chronico ad annum Arcadii & Honorii xxv. scribit, Pharamundum regnasse in Francia, nempe Tongriana, annoque sequenti contigisse solis eclipsim, id est, anno redempti Orbis, juxta accuratum Wendelini calculum, 421, die 17. Maii, feriâ tertiâ: Pharamundus igitur Marcoduri filius Regnum exorsus anno 420, & fortè triennio citiùs, si undecim regnavit an-

nos. Cùmque habeamus omnium circa Tameram nomina illustria, quibus admonemur novam, seu minorem Franciam, his oris cœpisse indigitari, aut etiam absolutè *Vranckryck*, quod est Franciæ Regnum, vocitari: nam inter Halen & Hercam est magnus campus *Vranckryck*, & circa Hasseletum ora est, cui etiam *Vranckryck* est nomen; interque hæc ad fluvium Tameram pascua, inter istum Tameram & Emissarium de *Laeck* jacentia, vocantur *het Fransbroeck*, pascua Francica. Sub territorio nunc Lumpnensi, parœciâ tamen Hercanâ, sive Capellaniâ Schulensi, & infrà, sequuntur *de Seelbemden*, prata Salica, inter Hercam & Lumpnam, sub decimatione Hercanâ. Post quæ deinde sequitur vicus *Selehem*, quod est Saliorum domicilium, Comitatus jam olim prænobilis, quem Wibo, sive Wicboldus, & sancta Adela uxor ejus, parentes sancti Trudonis, Francorum nobilissimi, possederunt; quod & Saligasti, unius ex quatuor Legum Salicarum Conditoribus priùs domicilium fuerat, cujus ex adverso Ecclesiæ, in pratis ad Tameram, visuntur Palatii antiquissimi rudera, lapidesque & fundamenta, reliqua Comitum illorum decus restantia. Cùm itaque tot indiciis certò jam constare incipiat quæ Salicorum primæ sedes, quas omnes in suis Belgii Brabantiæque Tabulis expressit Langerenus, Corographus hîc adeundus. Si conjecturæ locus est, ego quidem (inquit) profundè doctus Wendelinus, Pharamundum levatum crediderim in campo illo *Vranckryck*, Halen inter & Hercam, inque illo admodùm prædiolo Regni, *het Coninckryck*, ubi anno 1622. effossæ sunt urnæ cinerum & ossium ex adverso Sacelli Doncani, haud procul à portis Halensibus.

Wendel. cap. XI. sub fin.

CAPUT III.

Ubi primi illi Francorum Reges suam habuerint Salam, Aulam sive Palatium.

Regiæ constituendæ non est repertus aptior locus, quàm quò hodie Diesta, amplum & insigne ad Tameram fluvium Oppidum, conspicitur, ut qui non tantùm Taxandrio loco, minorique Franciæ esset vicinissimus; sed quòd nihil eorum deesset, quæ ad Aulæ regiæ majestatem poscuntur: non fluminis aquarumque & piscationis copia, neque pratorum, aut pascuorum

ubertas, sine qua non potest ulla Aula cogitari, nedum Francica; non sylvæ frequens venatio, non paludes, non denique vineæ, quarum tum hic tractus, & quidem generosarum, ferax erat. Estque ibidem burgus, quidem exiguus, quem Reges inhabitarunt, id est, clinus oblongus Saxen, in abruptum præcipitium desinens, ambitu, ut Wendelinus mensus est, pedum 3000, altitudine pedum 70, sed amœnitate loci, propter fluvium, prospectumque in sylvas, vineas, agros, ac prata utrimque latissima, paludesque piscosissimas, dignum profectò Principibus domicilium: ut si Pharamundus per ista Francorum prima exordia locum illum voluerit deligere, non alium debuerit quàm hunc ipsum in Taxandria, *vel etiam* Hasbania exoptare, ubi Regnum auspicari posset, ac filio Clodioni insidendum relinquere: quod fecit anno 428, in illo Disburgo sive Dispargo Castro. Regia fuit pro Germanicis moribus, Germanica Francica, hoc est rudis & incondita, lignea quippe, nec nisi subter in fundamentis lapidea & saxea, quorum magnitudo & moles cum vestigiis cavearum hodieque superest; quippe nondum cùm sint ducenti anni ex quo ædificia illa desierint, quæ incoluerunt Principes Diestenses ab anno 500. ad annum 1459, quando illîc Joannes ab Heinsbergh Episcopus Leodiensis, ex Familia Lossensi, expiravit in Castro de Diest, die Octobris 18: & ut de Pharamundo, an Dysburgum inhabitaverit, ambiguum sit; illud incoluisse filium ejus Chlodionem certissimum & indubitatum ex verbis Gregorii Turonensis. Lib. 2. c. 9. *Ferunt etiam* (inquit) *tunc Chlodionem utilem ac nobilissimum in gente sua Regem Francorum fuisse*, qui apud Dispargum Castrum habitabat, quod est in termino Tongrorum. Hanc lectionem totidem istis litteris rotundè ac nitidè præfert editio Ascensiana, quam Judocus Badius anno 1512. Parisiis procudit, dicavitque Wendel. cap. 14. Guillelmo Petit, Confessario Regio, professus ejus auspicio, dictu, exemplariumque impendio curatam editionem. In illis ergo exemplaribus comparuit nomen Tongrorum, non, quod posteà subrepsit, Toringorum. Intra Diœcesim ergo Tongricanam, hoc est, per Hasbaniam, situm est istud Dispargum Castrum, si tamen sana est istius dein nominis lectio: nam Ado profert Disporum; Aimoinus Disbargum, levi sanè, nec ullius momenti diversitate; & quæ comparata cum Dialecto nostra, facit ut audeamus legere Dysborgum. Quod quàm felici conjecturâ Chifletius primus pronuntiare ausus est, primamque

Francici Regni ſedem aſſignare in oppido Dieſtenſi, tam idem Wendelinus ſolidis argumentis demonſtrativoque Mathematico evincit, ut nulli, niſi pervicaci, dubitandi relictus ſit locus, quique contumaciam ideo ſuſcipere velit, quòd optanda ſit conſtantia. Cui hiſce excerptis meis minùs plenè ſatisfecero, Præceptorem meum, multis ſuſcipiendum nominibus, adeat in Natali Solo Legum Salicarum cap. 14. Nobis, quòd extra dubitandi poſita aleam habeamus, vel iſta pauca ad inſtitutum noſtrum ſufficiunt: nota tamen Dieſtam oppidum antiquiſſimè anno 500, ut infrà videbitur, appellatum Dioſte, illoque nomine fuiſſe celeberrimum.

CAPUT IV.

Comites Loſſenſes à Comitatu Dioſtienſi Dioſtienſes quoque dicti.

PRiùs verò Comites Loſſenſes quàm Franci, qui in hanc minorem, ſive Tongricanam Francicam, tranſierint; fuerint an ex Francis hîc, & cum eorum orti Republica (quod veroſimilius;) hoc argumento illos ſemper obtinuiſſe in veteri Tongria, ſive Hasbania, lati fundia plurimoſque Vicos & Caſtella, maximamque partem Taxandriæ, (& in ea Taxandriam locum,) hactenùs apud nullum aliquem Scriptorem, quantùmvis diù multùmque inquiſiverim, inveſtigare potui. Iſtud modò mihi compertiſſimum, Loſſenſe nomen Dioſtienſi antiquius, Comiteſque antè dictos Loſſenſes, quàm Dioſtienſes: quod etiam ante nos ex veteribus monumentis obſervavit Ludovicus Guicciardinus, homo quidem Italus, ſed accuratiſſimus rerum Belgicarum ſcrutator. *Loſſa*, vulgò *Borcht-Loon*, id eſt Loſcaſtrum, inquit, *Trudinopoli ſeſqui leuca, Leodio quatuor, ipſis leucis abjungitur, oppidulum tolerabile, & inſigni in pagos agroſque juriſdictione conſpicuum, adeout & Comitatûs titulo celebretur.* Quam dignitatem comperio huic Statui antiquiſſimam, atque inde à Carolo Magno, etſi à veteri quodam ſuo Dynaſta audierit aliquando, Comitatus Dioſtienſis habuit eo titulo perilluſtres aliquot & famoſos Principes, ceſſitque tandem Imperatoris illius donatione Ogerio Dano, uni ex Paribus Franciæ, quos Itali Palatinos dicunt, Pulcio, Bojardoque & Arioſto in poëmatibus ſuis admodùm celebratos; poſteà

verò

verò resumpsit genuinum suum ac præsens nomen, & in Præsulum Leodiensium potestatem devenit. Ecce priùs Lossensis Comitatus, deinde Diostiensis, etiam ante tempora Caroli Magni dictus, rursusque Lossensis appellari cœpit, perseveratque. In hoc tamen ille fallitur quòd Diostiensem à veteri quodam Dynasta dictum scribat; cùm nullus hujus nominis fuerit, sed Dioste civitas hoc nomen dederit: nec enim Comitatus, aliaque celebriora loca ab hominibus, sed ab iis homines nomenclaturam mutari soleant; puta Ducatus Etruriæ non à Medicæis Medicæus, qui illum obtinent, dicitur; sed ipsi à Ducatu audiunt magni Duces Etruriæ. At quando Lossenses Diostiensis Comitatûs verosimillimè titulum obtinuerint, edisseram ex Dispargo Chlodione. (Verba sunt Gregorii Turonensis:) *Missis exploratoribus ad urbem Cameracum, perlustrata omnia, ipse secutus Romanos proterit, civitatem apprehendit, in qua paucum tempus residens, usque Summam fluvium occupavit.* Hactenùs ille. Ex hoc igitur Brachbantiæ Dispargo prolata primùm Regni Francici Promærica Cambracum usque, sub annum 438, quando etiam ad vicum Elenam, quod est Levense Castrum, (vulgo *Lens*) turbatæ sunt nuptiæ, quas describit Sidonius, optimèque interpretatus est Hadrianus Valesius, qui & factum hoc definit, Aetio & Higismileo Coss. prout Marianus Scotus prodidit; atque abinde usque ad annum 442, (qui Sigeberto 444,) Ambianos, Bellovacos, & quidquid inter Sequanam ac Ligerum erat, Francico Regno adjecit idem Chlodio. Isque, ut quidam volunt, Cameraci; ut verò alii, Sama-Robrinæ Ambianorum Regni sedem posterùm collocavit, ac denique anno 448 obiit, atque in hunc quidem modum nuda verba Gregorii Turonensis, & cum sequentibus cohærent omnia, & cum superioribus (ubi patuit cis Rhenum regnasse Pharamundum; cis Rhenum illi mortuo successisse Chlodionem:) quæ inter se quadrant optimè, ut Chlodio transierit Carbonariam, statim ab ipso Dispargo sibi à janua obviam, à portis quippe Diestensibus incipientem.

Lib. 2. cap. 9.

Eum in Regno Francico sequitur Morovæus affinis, tantopereque illud auctum transmisit ad posteros, ut ab ipso Merovinga Regum series nomen obtineat. Successorem reliquit filium Childericum primum, præfuitque variâ fortunâ annos 24. usque ad annum 472. Clodovæus verò Childerici filius, Regnum adiit circa annum 482, qui à Clotilde uxore Christiana de am-

plectenda Lege Evangelica sæpiùs admonitus, dum ad Tolbiacum Zulpick, cis Rhenum, haud procul à Colonia Agrippina, contra Alemannos prælio decertat, ipseque cum exercitu periclitatur, voto se obstringit, si victor evadat, suscipiendæ Christianæ Religionis; atque hoc pacto adjutus cœlitùs, fortissimam Alemannorum Gentem, ingenti prostratam clade, perdomuit: devictique isti Alemanni, atque in Francorum potestatem redacti, demulcendo Clodovæo victore, ut fit, Francos item se, suamque Patriam Franconiam nominare cœperunt & perseverarunt, tantâ ipsius nominis gloriâ, ut etiam sæculis aliquot Gallos quoque teneat persuasio Francici nominis originem ex Franconia repetendi, quo nihil ineptius excogitari potest. Eodemque anno 496, Clodovæus victor in Galliam reversus, Christianis initiatur sacris à sancto Remigio Rhemorum Episcopo, tandemque in fata concedit anno Regni sui tricesimo, Christi 511.

Sub quo horum quatuor Regum Lossenses Comitatum Diostiensem præcisè adierint, non liquet; nisi quod ipsa suggerat ratio; primum à Chlodione Regem Merovæum, nequaquam Dispargo hîc Castro Diostæque Oppido cogitationem deposuisse, sed illius Dominatum Comitali Titulo (quod jam tutum in Regum Aulis frequentissimum) in Lossensem transtulisse; quique ad beneficii à Rege accepti propagandum memoriam, illum recentiorem Diostiensis Comitis titulum usurpavit. *Ex monumentis* (inquit Wendelinus cap. 14.) *Ecclesiæ Leodiensis eruit Carolus Langius ejusdem Canonicus*, quem Justus Lipsius cap. 1. *de constantia* Virum sine fraude aut ambitione vocat, optimum doctissimumque Belgarum, *Eucherium & Fulconem, fratres invicemque Trajecti ad Mosam succedentes Episcopos Tungrenses, filios fuisse Comitis Diostiensis.* Ineptè Placentius scripsit Hostiensis, quorum Fulco adhuc anno 524. vivebat: quoniam tum Remigius Episcopus ad eum epistolam dedit objurgatoriam, quòd in Mosoganensi Ecclesia, (Mouson hodie) jurisdictionem usurpasset adversus jura Rhemensis Ecclesiæ. Extat ea tomo 1. Concil. Galliæ apud Sirmundum. Horum ergo Pater, Comes Diostiensis, vixit saltem circa annum 450, quo tempore, Chlodione jam anno 448. mortuo, regnabat Merovæus, à quo (credo) Comitatum istum obtinuerat. Alios item Tungrorum Episcopos Comitum Hostiensium filios nominat idem Placentius, & utique Diostiensium debuit scripsisse: sed quòd in

Monumenta Leodiensia non pateat hominibus eruditis prospectus, & Langii adversaria sint in potestate, cujusdam hypocondriaci, nihil habeo quod proferam præter suspiria; unius tamen aureæ chartæ copiam mihi fecit Trinobilis Ægidius à Bocholt, Decanus sancti Lamberti, quem represento in Glossario, voce *jactare*, ex qua patet, desinente anno 899, hoc est ineunte 900, Zuentebaldum Regem Lotharingiæ Diostæ fuisse apud Comitem Angilramnum, ibique tria mancipia ingenuitate donasse. Hæc Wendelinus: *Nota Zuentebaldum illum Lotharingiæ Regem, ab æmulis exagitatum, à circiter biennio, Leodium præsidii causâ venisse ad Franconem Episcopum, ut nullo negotio, etiam ad Diestam potuerit visere.* At memoriæ Patriæ nostræ Lossensis Veteres omnes quasi uno ore & calamo testantur, Diostienses Comites eosdem fuisse qui & Lossenses. (Idem disertis verbis asserit Trudonense Chronicon;) Eucherioque & Falconi fratribus pro insignibus appingunt decem tænias ex auro & minio, tanquam Familiâ propagatis Lossensi. Sanctum Perpetuum, Tungrorum Episcopum, Placentius suo more vocat Comitis Hostiensis filium, de quo sacræ tabulæ Leodienses ad diem quartum Novembris aiunt: *Perpetuus natus Comite Lossensi, vitâ & doctrinâ præclarus, B. Gondulfo vicesimus-tertius ordine in Trajectensi Ecclesia successit Episcopus.* Monulfus quoque Placentius scribit Comitissæ Hostiensis filium.

Quia verò ex Remigii epistola certum est, Fulconem in Episcopatu vixisse anno 524; necesse est ut Ægydii Aureâ-Vallensis relictâ, Recentiorum sequamur sententiam, Quirillum mortuum anno 521, pridie Kalendas Maias, illique successisse in Episcopatu Eucherium, paucisque præfuisse annis, licèt vulgariter ei tribuantur anni octo: quandoquidem Fulco frater jam tum, anno dicto 524, Episcopum egerit, potueritque vitam protraxisse ad annum 532, quo eum obiisse in suo Chronico ad Chapeavillum doctissimus Bucherius annotat.



CAPUT V.

An & sanctus Lambertus Martyr & Pontifex Tungrensis, ex Comitibus Lossensibus oriundus.

PRo parte negativa omnes ad unum faciunt Rerum Leodiensium Scriptores melioris notæ hactenùs in lucem editi. *Gloriosus vir Lambertus Pontifex* (inquit Godeschalcus, qui circa annum 770 floruit) *Oppido Trajectensi oriundus fuit, & ex parentibus locupletibus, secundùm sæculi dignitatem, inter Præsides venerandus, & Religione Christianissimâ altus fuit; ipse autem in pueritia formosus & nobilis erat, in gente & progenie sua electus & benignus crescebat.* Alter Vitæ ipsius Scriptor Stephanus, ex Clerico Metensi, Leodiensis Episcopus. *Anno* 903. (ait) *gloriosus Martyr Lambertus, & æterno Regi Sacerdos dilectissimus, insigni ex prosapia, Trajectensi vico extitit oriundus.* His accedit Anselmus Clericus Leodiensis, Operisque sui cap. 5. scribit: *Is, ut perpaucis multa de ejus Vita perstringamus, ex nobilissima tum temporis Trajectensium stirpe natus, à primæva ætate nobiliùs est in sancta Religione conversatus.* His Ægidius Aureæ-Vallis Religiosus, Ordinis Cisterciensis, addit: *Cujus Pater vir nobilis & illustris, & Regum Lateralis, id est Comes, quòd ex Regis comitatu esset, Aper fuit, qui ad multiplicandum illorum numerum, & magnificas virtutes illorum, puerum ex ingenua uxore Hysplinde, aliàs Herysplende habuit, illumque ad baptizandum viro Dei Remaclo dedit; ejusque in Baptismate spiritalis existens Parens, nomen Lambertus ei imposuit.* Nicolaus Canonicus Leodiensis ad annum 1120, tertius Vitæ gloriosissimi Martyris Auctor, de eo memorat: *Insigni ex prosapia in Trajecto extitit oriundus, qui est super Mosam fluvium grandis vicus, non longè à dirutis urbis Tungrorum mœnibus. Pater ejus Aper, vir illustris, hæreditariam à Majoribus sibi relictam Comitatûs illîc strenuè gubernabat dignitatem: Mater verò Herysplendis nomine, claritatem nobilitatis moribus exornabat pudicitiæ & honestatis*, Renerus denique ad sancti Laurentii juxta Leodium anno 1130. Monachus: *Gloriosus*, inquit, *vir Lambertus insigni ex prosapia Trajectensis oppidi, vico extitit oriundus: cujus, ipsiusque Majorum multa in Ecclesia Dei gratia, multa in Francorum Republica gloria, & fides enituit.* Tabulæ quoque sa-

ræ Ecclesiæ Leodiensis hujusmodi habent ad diem 17. Septembris : *Lambertus parentibus illustri prosapiâ Religioneque Christianâ præclaris ad Mosæ Trajectum oriundus, prima Litterarum studia apud B. Landoaldum, Romanæ Ecclesiæ Præsbyterum, (quem Martinus Papa ad Tungrensem Ecclesiam regendam B. Amando, ejusdem Episcopo, aliis Provinciis evangelizante, delegaverat,) non sine evidentioribus futuræ sanctitatis suæ signis puer auspicatus est.* Nulla ecce apud Virum aliquem illorum gravissimorum Scriptorum vel levis quidem remotave Comitatûs Lossensis aut Diosliensis mentio, quod Tabulæ Leodienses de sancto Perpetuo haud silent : dumque Apro grandem vicum (sancti Petri juxta Trajectum) hereditariamque ibidem Comitatûs dignitatem assignant, à Comitatu Lossensi removent & excludunt, ut qui limites suos versus Trajectum, ultra Jecoram fluvium nunquam porrexerit, sed admodùm ultra Tameram in Taxandriam. Genealogia demum quæ manuscripta circumfertur, estque plurium in manibus, quamque in instructissima manuscriptis libris, & præcipuè Genealogicis, Bibliotheca C. L. V. Ægydii Gelenii, posteà Suffraganei Osnabrugensis, Coloniæ reperi, ne vel tenue Comitatûs, vel nominis Lossensis præfert vestigium : sic enim illa habet.

Theodoricus.	Lambertus. Uxor, Aprona, filia Mauritii Imperatoris Constant.	Aper, Uxor Herysplendis, filia Sigolai, Domini temporalis sancti Petri prope Trajectum.	Plaudus datus à sancto Huberto Advocatus Ecclesiæ Leodiensis. Sanctus Lambertus Episcopus Trajectensis.	Aper in Italia occisus sub Carolo Magno militans.

Anno 637. in Tungrensem Cathedram cùm scandisset sanctus Amandus, & triennio post discederet ad spargendum in mortalium animos Evangelium, suam Ecclesiam Landoaldo Archipresbytero commendavit. Suscepit ille sedulò Provinciam, suamque adeò probavit operam, ut Aper Comes filii sui Lamberti pueritiam illi commiserit christianæ vitæ rudimentis imbuendam. Agebat ferè Wintershovii apud Adeltrudem, Bavonis, natione Hasbani, & præpotentis viri filiam, sanctissimam virginem, quam jam tum à prima ætate in omnem honesti dignitatem mero desiderio propendisse habemus, eamque non minùs quàm ejus patrem, cum

melioribus disciplinis instituit. Amandus Landoaldo discedens commendaverat, ideoque in illa solitudine, quando per Episcopatûs administrationem licebat, sibi Deoque cum religiosa familia, Amantio Diacono, Adiano, Juliano, Vinciana sorore, aliisque sex, quorum nomina oblitteravit Antiquitas, vacabat. Ibi sancti Lamberti pueritiam optimis artibus exercuit, additque ex Notgero Leodiensi Episcopo de Elevatione corporum sanctorum Landoaldi & Sociorum, Renerus Scriptor Vitæ sancti Martyris: *Vir illustris Aper, ut filium suum Lambertum faceret tenaciorem propositi, fundum suæ proprietatis, vocabulo Wintershovium jure perpetuo delegavit illi, illiusque tutori Landoaldo, ut Ecclesiâ ibi constructâ, tantò instantiùs vacarent; ille docendi studio, hic discendi, quantò remotiùs degerent à sæculi vanitate.* Hæc ille: ita quidem se isthæc habent; at non video quo solido argumento ex verbis illis, fundum suæ proprietatis vocabulo Wintershovium, jure perpetuo delegavit illi, &c. Quis eruat Aprum fuisse Lossensem Comitem, quòd fundum aliquem construendæ Ecclesiæ in vico Lossensi obtinuerit, velitque vel eo solo titulo Wintershovium Comitatûs Lossensis caput constituere, primariamque Comitum sedem: cùm tamen vicus ille potiore jure spectare debuisse censendus sit ad Adeltrudem, Bavonis filiam, apud quam Landoaldus & Vinciana soror diversabantur cum Sociis; illamque Bavo Pater Monasterio sancti Petri Gandavi, deinde à se vocato sancti Bavonis, pleno jure transcripserit. Liquet id ex Monumentis istius Abbatiæ. Anno siquidem 851. Normanni & Dani, barbarâ crudelitate Gandavum cum Cœnobiis Gandensi, id est S. Bavonis, Blandiniensi & Trunchiniensi ferro & igne vastant. Hinc Monachis aut occisis, aut fugâ delapsis, Monasteriisque pene in solitudinem redactis, plurimas eorum possessiones firmando, ampliandoque, non ita diù erecto Comitatui suo Flandriæ, Comites vasallis suis & nobilibus concesserunt. Signanter, Arnulphus, cognomento Magnus, Monasterio Gandensi detraxit, ut ex Archiis ejus docet Sanderus tom. 1. Flandriæ à se illustratæ fol. 120: nec aliqua ante annum 937. fuit Cœnobii sancti Bavonis species aut decor, quo idem Arnulphus, hortatu Ven. Viri Transmari Noviomensis Episcopi, illud deserto simile restauravit, & in melius reformavit, atque in eo Virum illustrem sanctum Gerardum, Broniensem Abbatem, constituit ejusdem vigesimum Rectorem, virum eximiæ pietatis & constantiæ, qualem ea tempora postulabant, cujus operâ, volentibus Fratribus, anno

946 disciplina reducitur, moresque formantur: & istud est quod Notgerus insinuat post Normannicam repulsionem. Primus quidem Theitboldus locum prælibatum, ubi corpora sanctorum Landoaldi & Sociorum erant reposita, à Comite Flandrensi Abbatiam sancti Bavonis tenente, accepit jure beneficii. Quo præcisè anno id contigerit, aut quo Comite factum, non æquè constat, atque Winstershovium à morte D. Bavonis ad ipsius pertinuisse Monasterium, datumque Theitboldo in clientelare beneficium, & ut sic quoque Comes Lossensis fuerit, tamen Wintershovium non habuit nisi in feudum, adeòque Comitatûs sui caput esse nequivit.

Prò parte affirmativa, præter manuscriptos anonymos, stant Placentius & Petrus Bertelius. Ille isthæc habet: *Lambertus claris ortus natalibus, ex Lossensium Comitum generoso stemmate originem trabens, Patrem habuit Regum Collactaneum, nomine Aprum, Matrem Herysplendem, Mauritii Romanorum Imperatoris sanguine creatam.* Bertelius Historiæ suæ Luxemburgensis fol. 15. Coloniæ impressæ anno 1606, innuit eundem Lossensis Comitis filium, ex quo scribit ejus consanguineos ex Lossensium Comitum familia originem ducere. Sed hi quanti sunt comparati cum prioris sententiæ auctoribus? Suppetit tamen hujus suspicandi haud contemnenda ratio, quòd Plaudus S. Martyris frater legatur in Vita sancti Huberti ultus Lamberti mortem circiter annum 715, dictusque sit Comes *de Osterne* quæ nomenclatura si eadem sit cum Diostiensi, de qua doctissimus Langius, facilè assentiar ut & ipse Comes Lossensis fuerit: & quàmvis tamen illi ista potuerit obvenire dignitas, quam Pater non habuerit, cùm id temporis ejusmodi Ducum, Marchionum, Comitumque tituli non forent hæreditarii, ut dicetur, nec transirent ad liberos, nisi novo indulto Regum, quod rariùs contingebat; verùm Antiquitatum accuratissimus perscrutator Wendelinus pro *Osterne*, *Ostercke* legendum judicat: neque enim nomen illud alterum uspiam alibi comparet. Hoc verò *Osterke*, etiam in pervetusto Neriologio, Robertus, deinde Comes Hasbaniæ, annis triginta post Plaudum, anno Christi 745, donat Monasterio sancti Trudonis Dungo, Mairholt, Felepa, Schaffine, proxima prædia, Diplomate dato in villa Ostrichiæ: quòd item *Wustberck*, intra cujus territorium Dungo & Mairholt sunt hactenùs, ibidem Comites Lossenses, seu Hasbaniæ, suam Salam habuerunt, antequam anno 1182. conderetur

Brusthemius fol. 36.

Parthenon de Herckenrode (in ſylva Herkana exſarta, ſive exarata, ſicut vox ipſa indicat ;) ibidemque in proximo ſibi Arcem Curingianam collocarunt, ad quam cùm degerent, illîc maximam partem Salam iſtam tranſtulerunt : atque ab Arce deinde Sala Curingiana Comitum Loſſenſium eſt dicta. Plaudus itaque Comes d'Oſterne non alius loci fuit, quàm Oſtercke, Wuſtercæ ſive Guiſtercæ, ut tum, hodieque à Gallico idiomate utentibus pronuntiabitur, facileque fuit G commutari in O. Adde quòd fluvius Wintershovii, ubi ſanctus Lambertus puer fuit educatus, ante annos mille, uti in Vita ſancti Landoaldi à Notgero ſcripta anno 780. legitur, appellatus ſit Archa, qui & pago urbi Haſſelenſi, in itinere Trudonenſi, viciniſſimo ſancti Lamberti Archæ, ſive cum aſpiratione Harchæ, eundem profluens nomen dederit, uti fortaſsè & Wuſterck, à qua non niſi ejaculatione bombardæ abjungitur ; prænomenque illi Wuſt, ad diſtinctionem alterius, præfixum, quòd tractus ille per bella deſertus & ſylvoſus eſſet, quod Wuſt ſignificat. Ex dictis, ſalvâ uniuſcujuſque ſententiâ, ſtatuo Aprum Lamberti Patrem, nullâ aliquâ ratione fuiſſe Loſſenſem Comitem ; nec probari poſſe Plaudum potuiſſe eſſe, quòd Oſtercæ Comes dictus ſit, illamque Arcem, ſive Archem noſtrâ pronuntiatione, inhabitavit : interim unicuique ſuum ſit pulchrum, dum trepido pede per iſtas Antiquitatis ſalebras incedimus.

Quale per incertam lunam, ſub luce maligna
Eſt inter in ſylvis, ubi cœlum condidit umbrâ
Jupiter, & Rebus nox abſtulit atra colorem.

Superioris ævi Genealogici appingunt D. Lamberto quidem inſignia Loſſenſia, denas ex auro & minio alternantes tænias, ſed iſtud nullius momenti argumentum ; cùm illi multò potiore jure Peronem Leodienſem, ſive Columnam Forenſem, cruciatam nixamque baſi gradatæ tribuerent : quod illius faciendi ſanctus Martyr occaſionem tribuerit, quàmvis ille neutro unquam ſymbolo uſus ſit. Cùm enim Ebroini Tyranni proſecutione Stabuleti exularet, adeò feſtinè & humiliter Abbati obediebat, quaſi minimus de grege Monachus. Excitavit aliquando noctu lapſâ de pede crepidâ ſtrepitum, quem ille inaudiens, edixit adgeniculetur ad crucem, atque ſub die pœnitentiam agat. Lambertus pro culpa non culpa, aſperâ licèt & glaciali aurâ, ad crucem lapideam,

quæ

quæ inter Oratorium & Dormitorium ſtabat, adiit, ibidemque dum Monachi nocturnorum Precum abſolviſſent penſum, in oratione perſtitit, nive licèt coopertus, & rigore hiemis tantùm non erectus. *Ob hujus triumphi memoriam* (inquit Nicolaus Leodienſis Canonicus, Vitæ ejus cap. 8.) *ſpecialiter in principali Eccleſia, ubi idem prædictus Martyr corpore requieſcit, mos iſte primùm inolevit, ut intra Clauſtralia ſepta ſub dio vexillum Crucis Dominicæ perpetuò ſtabiliretur; licèt nonnullæ Eccleſiæ uſurpare ſibi videantur, alio quidem Religionis genere: atque hinc ille publicus uſus Crucis lapideæ, non ſacris modò ditionis Leodienſis locis, ſed profanis, Foro, Viis publicis*; voluntque Leodienſes libertatis civicæ ſymbolum, pluribuſque vicis & oppidis cum Epiſcopis diſſidentes obtruſerunt. Nullus tamen Leodienſium Antiſtetum Peronem ante Erneſtum Bavarum in inſignibus ſuis publicè prætulit; ſed ad illum uſque Anteriores pro ſymbolo Epiſcopatûs uſurparunt velum coccineum, ſanctiſſimi Martyris deſignans profuſum ſanguinem; eoque inſignia ſua gentilitia mediâ parte dextrâ obnupſerunt: eaque de cauſa duplicia plerùmque ponebant inſignia illa Epiſcopatûs ita velata; ſua, ſine velo, uti obſervo in feneſtra Ludovici Borbonii vitrea anni 1487, Odeum noſtrum Haſſelenſe exornante, quâ ipſe ad vivum depictus apparet, & in fronte ejuſdem vitreæ Epiſcopi inſignia dextro medio latere obducta velo coccineo. Idem obſervare licet in inſignibus Erardi à Marcha, in Sala Abbatis Trudonenſis, & ubique locorum; item in Eccleſia Curingiana, ubi & ſequentium Epiſcoporum ſigna gentilitia hoc ſchemate extant.

CAPUT VI.

De Comitibus Hasbaniæ.

CONſenſus Eruditorum hodie obtinet, titulos & nomina Ducum, Marchionum, Comitum, Caſtellanorum, non fuiſſe olim dignitatis, ſed officii; dictoſque Duces à ducendo exercitu, cui præerant; Marchiones, quòd armis tuerentur limites imperii; Comites, à comitando Imperatorem; quòdque Judices & Gubernatores ab eo conſtituerentur, diſtrictuſque ubi Juriſdictionem exercebant, eorum appellarentur Comitatus Caſtella-

ni, quòd vice Dominorum Castella & Arces tuerentur: neque illa in hæreditarias possessiones transiisse, transmissaque ad posteros ante tempora Caroli Magni; imò, ut quidam valdè volunt, ne quidem ante Capetidarum Regni exordium, circiter annum 987: cùm ante hæc plerùmque tantùm essent Præfecturæ, quæ certis personis, loco & tempore à Rege vel Imperatore concederentur. Atque hinc non admodùm refragaret, si quis Lossenses Comites eosdem esse contenderet cum Comitibus Hasbaniæ; idem utrosque administrasse munus, ut primò Comites hujus Districtûs dicti sint Lossenses, deinde Diostienses; tertiò Osterne, sive Osterchæ, atque Hasbaniæ, quisque à tractu cui possidebat, quales in primis Carolus, & Carolo-Mannus, Hasbaniæ Comites. Deinde sanctus Bavo, de quo Otheboldus, vigesimus-sextus Abbas Monasterii ejusdem Gandavi, ad Otginam Flandriæ Comitem, Balduini Barbati coningem, scribit circiter annum 1030, rogatus ab ea Sanctos & possessiones sui Monasterii recensere; primus & præcipuus Patriæ nostræ Patronus sanctus Alubinus, cognomento Bavo, nobilissimus, atque ditissimus Hasbaniensis pagi Comes, B. Gertrudis Virginis consobrinus, prædicatione sancti Amandi Pontificis, imò Dei omnipotentis inspiratione totâ mentis devotione conversus, relinquens cognationem & Patriam, ipsumque ad consulendum sanctum Amandum Gandavum secutus, dum studuit relinquere terrena, meruit cœlestia. Sic Monasterium inter cætera donavit Wintershovio, uti suprà ostendimus: sique illud Comitatûs Lossensis caput, quidni & Lossensem Comitem dixero? Fuit Agitulfi in Hasbania Comitis filius, migravitque Gandavi ad superos circa annum 647. Posteà Sigiramus, illustris & potens in Hasbania opibus, necnon Robertus Hasbaniæ Comes, qui sanctum Eucherium Coloniæ priùs exulantem, deinde custodiendum accepit à Carolo Martello, adeò humaniter innocentissimum exulem habuit, ut ei omnem suam commiserit familiam; sed flagranti vitæ solitariæ desiderio, mox indulsit, ut in sancti Trudonis Asceterium se abderet, ubi ab exilio ad cœlestem Patriam evolavit anno 742, cùm Martellum inter horrendos inferorum cruciatus vidisset.

Quibus omnibus tandem in Comitatu Lossensi, aliter atque aliter dicto, potuerit successisse aliquis Aper, qui Carolo Magno in Italia militans ibidem diem clauserit extremum; cur ab hac sententia minùs abhorream, facit codex donationis viri nobilis,

qui in Chronico Trudonensi extat, pagumque Hasbaniensem eundem esse cum Diostiensi affirmet: *Ego Norbertus, cogitans de Dei misericordia, pro remedio animæ meæ, &c. donator dono per hanc Epistolam donationis, donatumque in perpetuum esse volo ad Basilicam sancti Trudonis, ubi ipse in corpore requiescit, & Drogo Archiepiscopus præesse videtur, hoc est, quòd dono rem proprietatis meæ in loco nuncupato Hasnoch* (meo judicio Halen,) *super fluvio Merbato, in pago Hasbaniensi, sive Diostiensi, curtim cum casa in dominicato, & cætera ædificia in ipsa curte constructa, & mansas vetustas sex, ad ipsam curtem spectantes, cum prævviis variscapiis, pascuis, pratis, &c. Datum publicè sub dio xiij. Kalendas Augusti, anno xxiv, regnante Domino nostro Ludovico, serenissimo & orthodoxo Imperatore, qui est annus Christi* 838. Atque hîc Libri primi cum observatione ista finis esto, pagum Hasbaniensem eundem esse, qui & Diostiensis pagus pro districtu ponitur.

LIBER SECUNDUS.

Ogerus Danus creatur à Carolo Magno Comes Lossensis.

QUàmvis fortassis aliqui à nobis dissentiant in quibusdam aliis; nemo tamen aliquis nostratum negaverit, Carolum Magnum creasse Ogerum Danum Lossensem Comitem, quòd tam illustris notæ Scriptores, etiam exteri, perspectis Patriæ nostræ Monumentis, & secum expensis, tam apertè prodiderunt. Ludovicus Guiccardinus comperit Districtui Lossensi comitalem dignitatem fuisse antiquissimam, eandemque Caroli Magni beneficio cessisse Ogero Dano, uni ex Palatinis suis, bellicâ laude, rebusque præclarè gestis nominatissimo. Huic accedit Isacius Pontanus lib. iv. Rerum Danicarum, ita scribens: *Haquinus & Ebbo, Hemmingi Regis Daniæ Legati, cum muneribus ad Aquas-Graneas adventum præstolabantur Augusti* (*Carolum Magnum intellige*,) *qui, posteaquam ei id nuntiatum est, relictâ Gallorum ubi degebat Bavoniâ, Schaldim fluvium Gandavosque petiit, ac medio deinde Novembri ad Aquas-Graneas perveniens, Legationes singulorum audivit atque absolvit.* An isto simul tempore, qui fuit annus Christi 801, in gratiam Danorum à Carolo constitutus sit in agro Leodiensium Lossæ Comitatus, Comitique Danico Ogero traditus, certò ex Annali-

bus asseverare nequeo; saltem id constat ex Actis Leodiensium Principum, à Carolo Magno eum Comitatum originem accepisse, ut deinceps foret hæreditarius, transmitteretur que cum dignitate ad posteros, cùm antehac tantùm fuisset Præfectura, uti lib. I. ostendimus. Qui cùm Ogero Dano (ita nomen exprimitur,) Franciæ Pari, ob virtutem dono dederit, à quo exinde Ogero originem suam repetendam habent Lossenses Comites, quorum, præcipuè Ludovici, qui Adan, Theodorici VII. Hollandiæ Comitis filiam uxorem habuit, meminerunt prolixè Annales Hollandiæ. Idem lib. VI. Historiæ suæ Gelriæ, agens de bello à Ludovico Lossensi gesto contra Guilielmum Dynastam Frisiæ, uxoris suæ patruum, ad annum 1203. scribit de Gerardo Gelriæ Comite. Huic bello an interfuerit suisque auxiliis alterutrum juverit Gerardus, apud Auctores non reperio; potiùs putem quietum egisse, idque ob eam causam, quòd utrique, & Lossensi, & Hollando affinitate esset conjunctissimus: nam ut Guilielmus Gerardi sororem sibi thori sociam Adeltheidem habebat, ita Ludovicus ex Amita ejusdem natus erat; Maria enim Avi ejus Paterni Henrici filia, tradita connubio fuit Lonæo, sive ut scribendum jam dixi, Lossensium Comiti Gerardo, qui hujus haud dubiè Ludovici parens fuerit. Originem verò ipsam Lossæ Comitum repetendam à Caroli Magni temporibus, & præsertim ab Ogero Dano, qui omnium primus hæreditarius Lossensium Comes fuit, demonstratum est alibi, cùm scilicet de Rebus Danicis ageret. Quòd si Ogerus comitalem dignitatem transmiserit ad posteros, quæ à plerisque recepta opinio, neque modò hunc, sed & Hoyensem instituit, de quo Capeavillus legit in margine codicis Aureavallensis ejusdem annotationem, insuper & Comitatum ibidem instituit, qui permansit usque ad tempora Notgeri, Leodiensis Episcopi, quorum ultimus fuit Ansfridus Comes, qui moriens sine liberis, eundem Comitatum in eleëmosynam dedit B. Lamberto: Comitatus Lossensis omnes omnino totius Belgii, seu Germaniæ inferioris Comitatus, Lovaniæ, Flandriæ, Hollandiæ, Gelriæ, Juliæ, &c. antiquitate præcellit, magnumque ab illa decus claritatemque obtinet.

Quod verò Pontanus annotat, Lossensem Comitatum hodieque Teutonico idiomate, Lonæi obtinere, liquet ex Matricula Imperii, quâ omnes recensentur, qui ad Comitia Imperii evocati, jus suffragii intra quadringentos hos, & octoginta annos habue-

sunt, desumpta ex Tabulis publicis quas Fredericus tertius Imperator in Comitiis Ratisbonensibus anno 1471. conscribi, & Acta Imperii referri jussit, & Melchior Goldastus in lucem *edidit*, ubi Comes Lossensis vocatur Loheni Comes in Belgio, prout linguâ vernaculâ quoque enunciamus. Ne verò Ogerum Danum illum fabellis vernaculis decantatum Heroem, cujus opes in Ditione Leodiensi magnas, operaque præclara Leodiensium manuscriptorum Chronicorum nonnulla declamitant & extollunt, supra verisimilitudinem videamur velle in scenam producere; pauca vero de Ogero Lossensi Comite delibabimus, æquo rerum æstimatori haud improbanda. Cùm itaque Carolus Magnus, natalis *soli* captus dulcedine, Jupiliæ aut Heristallii frequens ageret, venatuque exerceretur per saltus vicinos, in Comitatu ipsius, Ogerus plerùmque agebat, etiam posteà quàm ille delectari magis cœpit, salubritate simul & amœnitate Thermarum, quæ paucis inde milliaribus ad Orientem, intra Diœcesis Leodiensis fines, jam tum celebrabantur Aquisgrani, & frequentaverat ipsius Parens Rex Pepinus: unde quò Aulæ semper foret vicinior, habitationis suæ locum delegisse haud vanè auguror Bilisiam, antiquissimum, & à tempore sancti Lamberti notissimum Oppidum, ibique Comitatûs Lossensis fixam primariam sedem, locumque jure dicundo. Placentius pro more suo scribit, Gerbaldum, qui anno 765. Leodiensem Episcopatum adiit, filium fuisse Regis Bavariæ, ex Matertera Ogeri Ducis Danoes (legerat Gallica lingua Danois,) id est Dani, eaque ex voce efformavit Ducem Danoes.

Carolus Aquisgrani Regiam extruxerat Urbemque condiderat, quam totius Regni sedem ac caput esse voluit; quæ, ut sub Deiparæ Virginis tutela quiesceret, ei Templum posuit sumptu regio, conquisitis ex Italia Aquileia, præcipuè diruta, columnis marmoreis. Stabat pulcherrimum opus, parique apparatu Cæsar dicatum volebat, cùm ecce inexpectatam, & votis majorem magnificentiam nanciscitur. Occasio fuit immane sacrilegumque flagitium Romæ perpetratum à filiis omnis perditionis & nequitiæ, qui impiâ rabie in Leonem Pontificem, communem Christianorum Parentem inflammati, oculis evulsis, præcisâque linguâ, multis plagis sauciatum, in custodiam abripuere; verùm eâdem nocte incolumitati restitutus singulari Dei beneficio, cùm amicorum insuper industriâ liberatus fuisset, ad Franco-

rum Regem Carolum profugit. Exceptus est quâ par erat veneratione, potissimùm post tantam calamitatem, & illustre divinæ bonitatis miraculum, Leo. Contra quæ aliquod gratitudinis symbolum redditurus, rogatu Caroli Aquas venit, & Basilicam recens conditam in honorem Virginis Deiparæ Numini consecrat anno 799, quinto Kalendas Februarii: quo eodem die, decurso quatuordecim annorum stadio, Cæsar quoque obiit ibidem, eâdem conditus Basilicâ. Nobilissimum fuisse conventum nemo dubitaverit, quando congrediebantur summi Christiani nominis Principes: memorantur Dedicationi adfuisse supra trecentos Episcopos & Abbates, maxima Procerum imperii multitudo. Illos inter Gerbaldus Tungrensis, sive Leodiensis Antistes cum Ogero Dano, Regis Palatino, Amitino suo; cui ille negotium antè dederat erigendæ Basilicæ Tungrensis, resuscitandæ ex ruinis, cùm prius vix illius antiquæ Ecclesiæ vestigia apparerent, dirutæque jacerent claustrales Domus, nihil nisi pristinum gestantes decus. Aquensem Ædem, ubi Leo Pontifex dedicasset, ab eodem Gerbaldus obtinuit, ut & Tungros accederet, ubi ædificatæ Ecclesiæ consecrationis dumtaxat præstolaretur beneficium. Annuit summus Pontifex, magnâ totius patriæ gloriâ, restitutaque hoc eodem anno 799. nobilis illa suâ antiquitate Tungrensis Ecclesia, quæque prima omnium totius Galliæ & Germaniæ Deiparæ Virginis à sancto Materno, Principis Apostolorum discipulo, fuerat consecrata, primitùs sedes tot sanctissimorum Antistitum; quâ etsi dignitate sit privata, eo tamen gloriari potest, quòd Pontificis maximi manu sit consecrata. Placentius scribit, Ogerum ibidem de suo viginti dotasse Canonicos: quod si fuerit verum, id factum illustri sempiternâque Lossensis nominis memoriâ minùs alii dubitant, quin primam Leodii Ædem Curialem, præter illas quæ junctæ erant Canonicorum Collegiis, extra portam Avrotanam, posuerit in sancti Materni Episcopi memoriam, quæ hodie sanctæ Veronæ nomen obtinet, idque circa annum 814.

Ogerum deinde magnæ potentiæ & autoritatis virum fuisse oportet: quandoquidem Walcandus, Leodiensis Episcopus ipsius consilio & auxilio (verba sunt Placentii) *corpus sancti Huberti adhuc incorruptum in Ardennam Andainum transtulerit anno* 817, *ubi crebris corruscans miraculis, ab eo dici cœpit perseveratque Monasterium sancti Huberti.*
Potuerit Ogerus in translatione facienda esse Episcopo subsidio,

sed illa non fuit, nisi ex Decreto Concilii Aquensis, & nutu Ludovici Imperatoris; quibus ille acquiescens, in partem pii laboris & operæ venerit, tantæque solemnitati adfuerit consilio, & auxilio in transferendo sacro Pignore. Chronica Monasterii sancti Huberti translationem ipsius differunt ad annum 826, quorum fidem Placentianæ præfero.

Huberti in vita S. Lamberti fol. 201.

De Odulfo Comite.

QUo tempore Ogerus Danus hinc emigraverit, illique Odulfus sive Clodulfus successerit, in tantis obsoletæ Antiquitatis tenebris non latet. Illud constat, dictum fuisse Comitem de Los, atque cum uxore sua Hilda ex Trajecto transtulisse Bilisiam S. Amorem Diaconum, Collegii Bilisiensis Tutelarem, atque ibidem ambos obtinuisse sepulturam, ut quorum annua postridie sancti Lamberti fiat memoria. Ex ista verò translatione verosimillimè colligi potest, quo Odulfus tempore vixerit, Comitatumque Lossensem administraverit; sed paulò altiùs probationem nostram historicam deducamus. S. Vinciana Winsterhovii, juxta Molanum, obiit anno 643, tertio idus Septembris; S. Landoaldus anno 659, decimo-quarto Kalendas Aprilis; tum cæteri, Amantius Diaconus, Julianus & Adeltrudis, licèt de ordine, annoque nihil tradatur.

His tot sacris Pignoribus multis annis nobilitatum fuit Wintershovium, adjungique superioribus post aliquot annos sancta Landrada voluit, & circiter 693. mortalitatem hanc posuit, quæ sub hæc tempora Bilisiam condebat; cùmque pluribus in dies clarescerent miraculis, populique præcipua in eos ferveret religio, sacras ipsorum Reliquias Floribertus, Leodiensis Episcopus, celeberrimâ pompâ in Aram extulit, Cœlitum ritu colendas, quorum sanctitatem, & miraculorum frequentia celebrabat, & majoribus dignam honoribus non semel Deus nuntiarat. At cùm Normanni, colluvies hominum, à Septentrionis oris, itemque viciniore Germaniâ, qui pluribus seculis Galliam, Lotharingiam, sub qua tum Comitatus Lossensis, aliaque florentissima Orbis Christiani Regna, vexarunt ferro, flammâque, ingentesque ex iis prędas egerunt anno 881, mense Novembri, cùm se in Mosam intulissent, relictis navibus in Statione loco, qui vernaculo istius ævi vocabulo Halos noncupabatur, quatuordecim millia-

Fisen flores Eccl. Leod. fol. 448.

ribus ab amne Rheno, in omnem circa regionem funestâ se vastitate diffuderunt. Ingentem omnibus terrorem incussit nota Gentis sęvitia; Trajectum, Leodium, Tungros, Trudonem, Stabuletum, Malmundarium, Aquas, Tolpiacum, Juliacum, Novesium, Ultrajectum, Coloniam, Bonnam, Indam, Pruniam cœperunt, diripuerunt, incendiisque vastarunt horrendum in modum. Ne verò istâ incursione Barbari polluerunt illa tantæ sanctitatis Pignora Wintershovii deposita, sanctorum Landoaldi Sociorumque sacras exuvias terrâ obruerunt incolæ, cùm mali impendentis magnitudine territis nihil potiùs occurreret, quod & Monachi sancti Trudonis cum ipsius, tum sancti Eucherii corporibus fecerunt, atque ab impiorum quidem injuriis tuta fuere. Verùm suis diù caruerunt honoribus, donec miraculorum frequentiâ Deus locum ignorantibus Wintershovii demonstravit, terraque rursus sublata anno 966, in sancti Trudonis Asceterio, post annum 1156, sub Wirico Abbate. Qua ex narratione hoc conficimus, corpus S. Amoris Trajecto Bilisiam, ab Adulfo, ante illam Normannorum in Lotharingiam incursionem, fuisse devectum; nempe sub annum 880, aut etiam multò citiùs: quòd post illam sacrorum Pignorum absconsionem præ Normannorum metu, non facilè nec levi ex causa suis Divi moverentur locis, aut aliò transferentur. Istud videtur luce mihi meridianâ clariùs, ut audeam dicere, Odulfum fortè Lossensibus prȩfuisse ab anno 850, si non multò priùs, atque in comitali dignitate Ogero successisse, quæ nullâ aliquâ ratione de Thietboldo (ut quidam volunt) dici possunt; cùm ille Wintershovium à Comite Flandriæ, Monasterii Bavoniani occupatore, in beneficium clientelare non acceperit, nisi aliquantùm diù post invasionem & stragem Normannicam, uti Notgerus in Vita sancti Landoaldi testatur. Post Normannicam repulsionem primus quidam Thietboldus locum prȩlibatum, ubi corpora Sanctorum erant reposita, à Comite Flandrensi, Abbatiam sancti Confessoris Christi Bavonis tenente, accepit jure beneficii: quod ante annum 888. non potuit accidisse; quin multò seriùs, sub Arnulfo, cognomento Magno, qui desertum à Monachis Monasterium, sibi usurpavit plurima prȩdia, & illius possessiones Officialibus suis & Viris nobilibus concessit, quin Aper tertius Wintershovii feudatarius Dominus, temporibus Notgeri, id est anno 972, fuit vicinissimus, primusque Flandriæ Comes Balduinus

Ferreus

Ferreus obiit anno 879; ipsiusque filius Balduinus Calvus illum secutus anno 918, Arnulphus Magnus duxit uxorem 939, & ut Calvus Monasterium sancti Bavonis etiam obtinuerit, apparet quàm tardè Wintershovium Thietboldo potuerit concedi; attamen, uti lib. 1. ostendimus, illud non nisi magnis suis possessionibus exuit, unde & ille adhuc cęlebs, statim à morte Patris fortè Wintershovium dederit Thietboldo circa annum 919, cui deinde successit Adelgandus, tertio Aper; illaque annorum series tribus Feudatariis suffecerit: unde majore Chronologiæ & Epochæ annorum fundamento, Odulfo Lossensi statuo Berengerum successorem, prorsus excluso Thietboldo; ut cui impossibile sit, nisi post longissimum annorum decursum, successisse, uti consideranti liquet.

Demùm anno 937. Monasterium sancti Bavonis Monachis redditur, Abbasque institutus sanctus Gerardus Broniensis Cœnobii fundator. His addi debet ex Egeberto, qui conatus est vitam sancti Amoris colligere, Virum sanctum elevatum esse per visionem Hildæ uxoris Odulfi: *Sæpè enim*, inquit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem 8. Octobris, *devotus femineus sexus, ut primò meruit videre Christum, ita Sanctorum elevationibus primò est cooperatus.*

Berengerus Comes de Los.

HUjus quoque, & uxoris ejus Berthæ, Archiva Bilisiensia meminerunt, suntque ibidem sepulti, habeturque eorum memoria xvij. Kalendas Decembris: neque inde aliud eruo, nisi ipsos, veluti pręcedentes Comites, Cœnobii Bilisiensis fuisse insignes benefactores, quòd non nisi talium, præcipuarum Ecclesiarum Menologia soleant servare memoriam, proque illius ævi more, nemo nisi bene meritus reciperetur ad sepulchrum in Ecclesia.

Wintershovium Theitboldo datum in feudum à Comite Flandriæ, deinde Adelgando.

MAteria hæc nequaquam nobis prętermittenda, quòd vicus ille celebris sit, semperque fuerit Comitatûs sive Districtûs Lossensis; videanturque illi, quibus datus in beneficium, fuisse oriundi ex familia Lossensi, uti infrà videbitur.

Notgerus, Leodiensis Episcopus, in Vita sancti Landoaldi scribit, locum prælibatum datum in beneficium Thietboldo à Comite Flandriæ; demum, post repulsionem Normannorum, quæ non alia fuisse videtur quàm illa anni 891, de qua Rhegino: Normanni in Regnum Lotharii classem transvehunt, & circa Leodium Mosam transeunt. Pugnatur ad torrentem Gulid, infra Trajectum, vj. Kalendas Julii. Christiani superantur, & in prælio occumbunt Hunderoldus, Archiepiscopus Coloniensis, & Arnulfus Comes. Auditâ nostrorum clade, Arnulfus Rex, ex Bavaria in Belgicam accurrit, Rhenoque transmisso, ad littora Mosæ castra statuit; Normanni super fluvio (qui Thilia dicitur & Lovanium perfluit) lignorum & terræ congerie, more solito, se muniunt. Arnulfus cum suis, quos inter Franco Leodiensis Episcopus, pedestri prælio hostem aggressus, eos ad internecionem cædit, itaut ex innumera hominum multitudine vix esset residuus qui ad classem (in Schaldi fluvio, ut plures volunt, stationem habentem) adversum nuntium reportaret. Helmundus narrat, eorum cecidisse centena millia, vix ullo Christianorum desiderato. Si Notgerus per repulsionem Normannicam, hanc eorum maximam cladem (uti verosimillimum judico) intelligat, postque eam Thietboldus prædio Wintershovio, ad sanctum Bavonem Gandensem spectante, donatus sit; non potuit, nisi à Balduino Calvo, Flandriæ Comite, Abbatiam usurpante, idque aliquantùm posteà, puta anno sequenti 892, vel tardiùs fit: itaque ab hoc tempore Thietboldus Wintershovii possessor beneficarius, & quid de eo Notgerus dicat videamus. *Mansit honor, cultus & reverentia circa sanctorum Landoaldi & Sociorum corpora, quoad usque effera Gens Normannorum, sedibus suit non contenta, totam pene Galliam perturbavit: & timore eruptionis eorum, ne Sanctorum violarentur busta, terræ sunt à Fidelibus remandata circa annum* 881. *Huic repositioni interfuit quidam Frangerus, homo nostrâ ætate senissimus.* Notgerus Episcopatum adiit anno 972, qui & ante infestationem Paganorum, novem annis Villæ ejusdem pro Bavonianis extiterat procurator & villicus; post Normannicam autem repulsionem, primus quidam Thietboldus locum prælibatum, ubi corpora Sanctorum erant reposita, à Comite Flandrensi, Abbatiam sancti Confessoris Christi Bavonis tenente, accepit jure beneficii; post eum Aldegandus, qui potiùs cogitantes quæ sunt mundi, quàm quæ Domini, aliquam reveren-

tiæ cultum Sanctorum parvi penderunt, reliquum esse honori: quocirca paulatim cœpit habere contemptui.

De Apro illorum successore.

UT verò Aper, nostræ ætati finitimus, (scripsit sancti Landoaldi Vitam Notgerus anno 980,) cum filiis locum precario sortitus est ipsum: qui Dei timore postposito, Ecclesia ipsa non tantùm Sancti honore condebito, verùm suo omnino vacuata est ornamento. At reliquum priùs quàm exscribamus, observandum, quod & antè Bartholomæus Fisen, accuratus & diligens Scriptor, adnotavit lib. 6. Histor. Leodien. fol. xxxv. Adelgandum Thietboldi fuisse filium; ab hoc progenitum Aprum, cujus filius Wanboldus, Lambertum, sive Lantzonem & Witgerum genuit.

Wanboldus.

WAnboldi Wintershovii Domini fuerunt filii Lantzo & Witgerus, sub quibus sanctorum Landoaldi & Sociorum de terra elevata corpora. Wanboldus Apro in dominio ejusdem villæ successit, ubi & accepit sepulturæ locum. Obiit circiter annum 965, pro cujus tumulatione filius deinde Lambertus, qui & Lantzo, cordis tactus est devotione, quòd locum hunc deberet excolere, pariterque miraculorum, quæ ibi fiebant, splendore ab alto quasi excitatur somno. Intercesserat illi cum quodam Potente inimicitia, populationisque metu, suppellectilem domesticam Lantzonis famuli, quasi loci religione defendendam, deportaverant in Templum, & super Sanctorum sepulchra deposuerant nullâ reverentiâ. Non tulit indignitatem Sarabertus quidam, Presbyter, & in terram sarcinas dejecit. Excandere Lantzonis familiares, & deterrito minis clamoribusque Sacerdote, priore loco illa impedimenta restituerunt. His nox supervenit, & injuriam sacris Reliquiis irrogatam castigavit: nam luce proximâ illi qui sarcinas lineas laneasque deposuerant, repererunt illas, Reliquiis intactis, redactas in favillam & cineres. Neglectæ Religionis pœnam agnoverunt universi. Ad hæc erat ibidem Phylacterium, quo dicebatur usus sanctus Landoaldus, atque ab eo obtinebat nomen, super quo nemo pejerabat impunè. Familia plus duodecim virorum ac mulierum, quam Witgerus & Lantzo

fratres mancipio obtinuerant, se sacramenti religione coram Phylacterio obstrixerat ne fugeret: quod tamen parvi pendens, ac insuper thesaurum Dominorum, eâdem Ecclesiâ depositum, furto auferens, corripuit fugam; at manè frustrà longè latèque quæsita, reperta est somno sopita prope Ecclesiam, juxtaque illos thesaurus Dominorum integer. Alius verò criminis reus, dum negaret cum perjurio facinus, eâdem nocte ultricibus flammis ipse cum domo filioque unico absumitur: quapropter idem Lantzo venerandum Virum antecessorem nostrum, Dominum scilicet Evradum, sive Eraclium, supplex adiit, rogans, ut aut per se, aut per Vicarios suos Sanctorum corpora transferrentur, impetravit; & Bovo Archidiaconus, cum duobus Archipresbyteris, fidelibus utique Viris, Thietboldo & Vhodone, sed etiam aliis ex Monasteriis sancti Trudonis, scilicet Bilisiæ & Tungris: qui omnes cùm advenissent cum solemni Litania, ex tumulis, quibus nimis negligenter squallebant, extulerunt in locum, unde Normannorum metu fuerant sublata. Effossâ terrâ, plura reperta conditoria; uno, Landoaldus & Amantius ejus Diaconus claudebantur. Indices erant lapides bini, capitibus suppositi, inscriptique nominibus singulorum. Proximum capulum implebat Virginis corpus, Vincianam appellabat argentea Crux pectori imposita. Proximam testabatur esse Adeltrudem, quæ in populi conspectum educta, sed maximè miris à Deo prodigiis illustrata, magnam omnibus voluptatem simul & venerationem pepererunt. Cœpit exinde populi concursus. Facta hæc translatio anno circiter 966. Latebant nihilominùs aliorum Sanctorum inhonora corpora, nec erat qui de illis cogitaret: ipsi sui memoriam suscitarunt. Siburgis, Lantzonis uxor, aquâ intercute sic laborare cœpit, quòd priorem Translationem improbasset, totoque corpore intumescere, ut ad Templum sellâ gestatoriâ deferenda esset, esculenti genus omne adeòque & poculenti, exceptâ solâ aquâ, prorsus aversaretur. In hisce morbi incommodis annum solidum à superiore Translatione traxerat Siburgis, quando nocte per quietem S. Landrada jussit, ut se cum sanctis Adriano Martyre & Juliano in tenebris delitescere diutiùs non pateretur. Conjugi visum Siburgis aperuit: at cùm ille tergiversaretur, territus difficultate & gravitate impensarum, quam expertus fuerat anno superiore, Landrada rediit, rursumque Siburgem in somnis monuit dictis obtemperaret, nec multùm angere-

Sigeburgis apud Fisen lib. 6. cap. 36.

tur, si spes non esset adducendi eò Episcopum, aliosque Ecclesiæ Præsides: satis esse Sarabertum, aliosque ex vicino Presbyteros, quos illicò imperat evocari. Delata interim ad Templum ipsa (omnis enim moræ impatiens) propositum urgere statuit, loco divinitùs designato terram effodi mandat. Semipedem vix effoderant, quando sepulchra apparere cœperunt, singulorum inscripta nominibus. Dumque cætera peraguntur, urgetque maturari Siburgis, de subito puris & saniei vim ingentem è pedibus in terram sibi defluxisse sensit; eâ sextarii mensuram impleri potuisse Notgerus auctor est. Reddito igitur Sanctis debito cultu, receptâque corporis incolumitate, vix sui compos præ gaudio piissima & nobilis Matrona, suis ipsa pedibus domum repetiit; quod paraverat hospitibus æquè ac familiaribus epulum, præbuit, accubuitque inter alios, nullo jam cibi potûsque fastidio. Ista se scripsisse Notgerus anno 980. affirmat, cùm (Lantzone præmortuo) Siburgis adhuc integris esset viribus, & ita se rem habuisse jurata asseruisset.

Crevit Lantzonis his prodigiis in Divos Religio: & cùm Wintershovium brevi sciret sibi deserendum, utpote cum Bavonianis Monachis inito contractu, datoque chyrographo, quibus Arnulphus Comes Flandriæ administrationem Monasterii ab anno 937. reddiderat, nec posset ad heredes transmittere, quod illud, temporario tantùm beneficio concessum, repeteretur instantissimè & efficaciter à proprietario & directo Domino; incessit eum cupido decerpendæ portionis alicujus Sancti ex isto sancto Collegio, decerpsitque, connivente Episcopo, quod libuit, & fortè ipso Paschatis die jubebat in prædium aliud suum efferri; cùm ecce bajuli veluti radicibus in terram altè defixis, subitò hæserunt immobiles, statim atque ad Templi fores devenerunt. Improbantis id esse Numinis asserebant omnes, à proposito tamen Lantzonem nihil deflexit; eleëmosinis, precibusque ardentibus reliquo istius diei, nocteque insequente Deum sibi conciliare studuit: cùmque manè rursus frustrà efferre tentasset, tenuit nihilominùs in proposito constantiam, & totos octo dies, cùm Deus semper repugnare videretur, precibus contrà, eleëmosinisque assiduè quasi pugnavit; octavoque tandem die expugnavit Dei misericordiam, pio hoc stratagemate: agros suos, cùm ante decimas alteri cuidam Templo exolverent, novâ fructuum parte statuit huic Sanctorum Basilicæ obnoxios.

Fisen ibid. cap. 37. lib. 6. fol. mihi 142.

Fizen. ibid.

D 3

Ædi verò, in quam sacras Reliquias parabat inferre, præter opulenta quædam munera, insignem paternæ hæreditatis portionem largitus est. His denique manus dare visus Deus, sanctâ illa victus munificentiâ, sacrasque Reliquias, quò voluit Lantzo, asportavit. At quò asportavit? aut quam è tam nobili Thesauro portionem? *Habeo conjecturam* (inquit Bartholomæus Fisen) *non levem, ut arbitror, sanctæ Virginis Landradæ Reliquias è toto numero selectas, & fortassis ea de causa Deus, nonnisi religiosâ illa liberalitate delinitus, illas inde tolli passus est, Bilisiæque restitui voluit, unde tam illustri miraculo, Angelicisque manibus huc olim deportatæ fuerant.* Quod hinc probatur, quia sanctæ Landradæ caput, nobilioresque totius corporis partes ostentant hodieque venerantur Virgines Bilisienses: nec ipsi Gandenses fatebuntur (credo) redditum aliquando à se Bilisiensibus sacrum hoc Depositum, quod eò cum sancto Landoaldo advectum ferunt. Quare cùm sacri illius Thesauri portionem à Lantzone fuisse detentam Notgerus asserat, asserant item Gandenses, accepisse se cum reliquis aliorum Sanctorum conditoriis, ipsius etiam Landradæ ferculum; vero nihil propius videtur, quàm potiore sacri corporis portionem à Lantzone ferculo eductam, servatamque, quæ deinde Bilisiam sit devecta; reliquam verò partem capulo suo relictam, atque à Bavonianis cum reliquis Gandavum avectam. *Ea mihi est in hac dubitatione sententia* (addit ille) *nosque Lossenses pedibus lubenter in illam imus.*

Postquam igitur, mortuo Lantzone ante annum 980, fortassè etiam citiùs, Bavoniani redierunt in jus suum, Wintershoviique possessionem adierunt, atque accepta, celebritate, tam sancti & nobilis Depositi, Gandavum ad Ecclesiam suam transferre cogitarunt. Ottonem Regem, nuper non secùs ac alium quemvis è monasticè ibi professis in omnem rectè factorum communionem ac societatem admiserant: eâ fiduciâ sperarunt non gravatè concessurum, ut eum ad se Thesaurum tranferre liceret, & obtinuerunt ex animi sententia: abnuisse Notgerum nemo nisi temerè dixerit; quando puer Rex, invito præceptore, nihil in ejus Diœcesi aggressurus fuisse videatur, & suum addidit calculum Joannes Pontifex Romanus.

Transferuntur Gandavum ad sancti Bavonis Asceterium.

ILlis igitur potestatem facientibus, Bavoniani secum Wintershovio abstulerunt hos Sanctos, Landoaldum cum Amantio, Adriano & Juliano; Vincianam Virginem ejus Sororem; & Adeltrudem, sancti Bavonis filiam, Virginem honesti studio celeberrimam. Adjungunt ferè omnes Landradam, item Virginem, & Parthenonis Bilisiensis parentem: cùm tamen nonnisi capulum & Reliquiarum partem avexerint. Præerat id temporis Bavonianis Womarus Abbas; transferendi sacra Pignora negotium quibusdam ex suis dedit, qui Wintershovium delati, habitoque cum Saraberto Presbytero consilio, evocatisque è vicinia Sacerdotibus, rem aggressi: primò substiterunt juxta Villam, medio inter Sarchinium & Wintershovium itinere, ibique habita de Sanctorum laudibus ad undique afluentem Populum concio, variaque patrata miracula, primamque nocturnam stationem habendam censuerunt ad sancti Trudonis Monasterium. Huc cùm adventare audiret populus sacra feretra, catervatim cum cereis & munusculis processit obviàm; cùmque sacras Reliquias festinarent ad Monasterium sancti Trudonis deportare, non solùm turba, sed palliata Monachorum Processio cum cereis, & id genus ornamentis obviàm ire, eas honestè suscipere, atque intra suum Templum cum devotione inferre satagerunt. Conveniente postridie maximâ multitudine, pauca de Sanctis ad ædificationem adstantium dicta sunt; datâque tam Populo benedictione, quàm ipsi sancti Trudonis Ecclesiæ Reliquiarum portione, ad Villam, quam Andesbruken dicunt, proficiscuntur: atque deinde digressi, paratam ad id navem scandunt, fortassis Diestæ, vel in Geta fluviolo, infra Leuwas. Translatio hæc facta sub initium anni 994, mense Martio, ipsoque sacratissimo Annuntiationis & Incarnationis die pervenerunt ad sancti Bavonis Monasterium, quod rectissimè Gandense dicitur.

Cur Lantzo videatur fuisse familiæ Lossensis.

QUòd portionem Reliquiarum sanctæ Landradæ dono dederit Parthenoni Bilisiensi, in Districtu Lossensi, in quo duo Comites cum uxoribus conditi, possederantque vicinum Bilisiæ

Oppidum, atque etiam ad Lossenses, & fortassis ad ipsum Lantzonem spectabat; deinde quòd Notgerus uxorem ejus vocet Personam nobilem, cui ampla sit domus; demum quòd anno 1014, mortuo Arnulfo Lossensi Comite, publicisque Tabulis Comitatu donato Ecclesiæ Leodiensi, illum sibi vindicare voluisse scribatur Comes Flandriæ, ex eo fortassis capite, quòd Lantzo, Majoresque ex Familia Lossensi ipsi sint soliti præstare clientelam ratione Wintershovii ab eis possessi in feudum: nihil tamen in re incerta asseveranter dico.

Angilramnus Comes de Los.

A Wintershoviis post liminio ad Lossenses redeo. Ogerum Danum secuti Odulfus Berengerus, ac demum Angilramnus, cujus memoria in membrana asservata à trinobili ortu, eruditione, dignatione, Ægidio Bocholt, Decano sancti Lamberti; estque hujus tenoris: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.*

Zuentebaldus divinâ præveniente gratiâ Rex. Noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, futurorum scilicet & præsentium, nostrorum industria, quoniam quidam fidelis noster venerabilis Comes, scilicet Angilramnus, quædam sua mancipia his nominibus Guodindam, Erchemmarum, Vastaninum, nobis in proprium tradidit, humiliter deposcens ut ea in eleëmosyna sui libera ac ingenua fecissemus. Cujus petitioni diligenter acquiescentes, secundùm Legem Salicam, denarium de manu Episcopi excusissimus, & sic ea à servitutis vinculo liberavimùs &, ingenuitatis confirmationem illis concessimus: Nos quoque eminentiùs nostros apices eis fieri & conscribi jussimus, per quos monemus atque præcipimus, ut eadem præfata mancipia libera & ingenua firmiter omni tempore permaneant, ita quasi ab ingenuis parentibus fuissent procreata vel nata. Et ut hæc nostra autboritas inviolabilem obtineat firmitatem, annuli nostri impressione subter sigillari jussimus. Franco Notarius ad vicem Rutbodi Archiepiscopi summique Cancellarii recognovit. Data v. idus Januarii, anno Incarnationis Domini D. CCC. XCVIIII. indictione tertiâ, anno quinto Regni Domini Zuentebaldi, gloriosi Regis. Actum Diostæ in Dei nomine feliciter. Amen. Sigillum exhibet Caput Zuentebaldi, Diadematùm Laurea cum circumscriptione, Zuentebaldus Rex.

Arnulfus Germaniæ Rex Wormatiæ in publico Principum Conventu

Conventu filium suum Zuentebaldum Regem Lotharingiensibus dederat anno 895, qui cum tertio post anno pepulisset Raginerium Ducem, spoliassetque dignitate, graves ab eo sensit adversùm se motus: ipsum enim, cum Odaero Comite, pluribusque allis conjuratum, & in Arce, quam Durfosiam appellabant, sese communientem aggressus, nihil promovit, prohibitus inviis paludibus, fluctibusque Mosæ fluminis, illo loco latè stagnantibus. Illi obsidione liberi, Carolum Simplicem Francorum Regem ad Lotharingiæ Sceptrum advocarunt; & collectis copiis, progressi obviàm, Aquas induxerunt, atque adeò Neomagum. Inopinato territus malo Zuentebaldus, trepidâ fugâ se Leodium recepit, ad Franconem Episcopum: cujus viribus recreatus, cùm trans Mosam ad Ferichmagos venisset, totaque Nobilitas ad eum confluxisset, justus videbatur exercitus, ausus est pugnam cogitare, eoque consilio adversus Simplicem proficisci. Reversus Neomago Simplex, in Zuentebaldum duxit: collatis castris, eventum expectabatur prælium; sed Legatis ultro citroque communicantibus, pax composita est. In Regnum suum, relictâ Lotharingiâ, Simplex regreditur; sed non diù post rursus inter Zuentebaldum & Primores Regni Lotharingiæ gravis oritur dissensio, qui certatim ad Ludovicum Boconis filium ex Hermingarda Ludovici Junioris Imp. filia transeunt, eumque in Regnum introducunt, ejusque dominationi se subjiciunt, creantque Regem Lotharingiæ. Zuentebaldus ad præsidia circumspiciens, rursus in ditionem Leodiensem venit, & fortè Angilramnum Lossensem Comitem in fortunæ suæ & cladis societatem induxit. Diostæ fuisse constat, sub initium anni 900, adeòque in Comitatu Lossensi. At dum incendiis & rapinis cuncta devastat, à Raginerio Hagionensi, Gerardo & Malfrido Comitibus, circa Mosam in prælio idibus Augusti cæditur, & in Susterensi nobilium Virginum Canonicarum Templo, ubi duas habuit filias, Benedictam & Cæciliam Susterenses ex ordine Abbatissas, sepelitur.

Quando, & quâ ratione Comitatus Lossensis factus membrum Imperii.

ADnotandum hîc quòd ad rem maximè faciat, Comitatum Lossensem primitùs comprehensum sub Austrasia, illiusque

fuisse portionem: quæ deinde dicta Lotharingia à Lothario primo ejus Rege, Lotharii Imperatoris filio, qui Placentiæ anno 869. obiit, atque eidem tum, etiam mutato nomine, accensitum, ut ex decoro, imò debito Regi suo Zuentebaldo, Diostæ præsenti, Angilramnus obtulerit tria illa mancipia, manu mittenda, natalibusque donanda ingenuis. At posteà Henricus Auceps illam armis perdomuit adjecitque Imperio; dataque filia sua Gerberga in uxorem Gisleberto Comiti Capræmontensi, Ragineri primi Hannoniæ Comitis filio. Primum creavit beneficiarium Lotharingiæ Ducem, tanquam Imperii Vicarium, Lossenses quoque Imperiales esse cœperunt, permanseruntque sub Cæsare; donec successu temporis Lotharingia bipartita, in Mosellam sive superiorem, & ripariam sive inferiorem, duosque Duces Imperii Clientes habuit. Itaque illi tandem facti hæreditarii, suamque quisque Lotharingiam transmisit ad posteros, aut de ea decertarunt. Tum verò Lossenses Comites suæ libertatis & juris tenaces, non nisi solum agnovere Cæsarem, perseveraveruntque esse immediatè sub Imperio.

LIBER TERTIUS.

Rudolfus Hannonius Lossensium Comes.

Cum decimum sæculum vocetur ab aliis plumbeum vel ferreum, obscurum ab aliis, ob Scriptorum paucitatem, nobis æquè ac cæteris mortalibus æquanimiter ferendum; Res Lossenses, uti & vicinarum Regionum, adeò alto obrutas silentio, ut vix tenue aliquod extet vestigium, nec nisi ferè Comitum nomina ad Posteritatis venerunt notitiam. Extinctâ itaque superiorum Comitum stirpe masculinâ, Rudolfus Ragineri secundi Comitis Hannoniæ filius, nepos Lamberti Lovaniensis & Gisleberti Capræmontensis Comitum, Comitatum Lossensem adiit, transmisitque ad posteros, ac veluti Rudolphus primus Imperator augustam Domum Austriacam condidit, haud secùs ille noster Domûs Lossensis alter quasi conditor exstitit. An verò ille Gislebertus Patruus, Capræmontis juxta Leodium Comes, itemque primus universæ Lotharingiæ ab Henrico Aucupe Imper. creatus Dux, ac demum 939. Rhe-

nio submersus, Comitatum Lossensem, à morte Angilramni vacantem, dono dederit? An illum jure uxorio sit adeptus, non liquet. Ipsius certè posteritas diutissimè possedit, & magnimiter sub Cæsariis auspiciis administravit.

Ipsius Liberi Arnulfus de Los, & Valenchines in Hannonia; Ludovicus de Los, secundò genitus; Catharina, uxor Ludovici Comitis Chinensis, Ludovici Mater, de quibus pauca nobis supersunt quæ dicamus.

ARnulfus Comes, Rudolfi primogenitus, duas uxores habuit. Ex priore N. Arnulfum sustulit Comitatûs hæredem; ex posteriore Lutgarda, Comitissa Waremiæ in Hasbania, nullos liberos habuit, nec illius aliud exstat, nisi quòd diù vitam protraxerit.

Arnulfus secundus habuit Lutgardem Flandrensem Wicmanni Gandavensis Comitis filiam. Ex Lutgarde posteriore uxore, filia Arnulfi Magni Comitis Flandriæ, sororem Theodorici Comitis Gandavensis, Amitam Arnoldi, paterno jure Comitis Gandavensis, Hollandiæ materno. Fuit illa improlis, sed virtutibus fecunda, mariti sui (quæ prima mulieris laus, & insignis pudicitiæ nota) amans, ideoque in affines munifica & benigna, Baldrico Episcopo dono dedit Allodium suum de Fleru, atque ab illo assignatum suo sancti Jacobi Monasterio. Mulier erat magnâ in Deum pietate, & fiduciâ in adversis magnanimâ, æquanimâ in prosperis, magnæ apud suos exterosque authoritatis. Illam belli occasionem dedisse non censeo, quod Arnulfus maritus anno 987. contra Balduinum gessit Flandriæ Comitem pro Loscastro. Illud Arnulfus possidebat, suamque esse longâ majorum successione hæriditatem asserebat; contrà Flander sui juris esse contendebat, ut nimirum à sua ditione quondam abstractum, & recuperare moliebatur: quâ demum ratione hoc probaret, nemo scripsit; Notgerus tamen, ut lib. 2. meminimus, notat Flandriæ Comitem, occupatâ sancti Bavonis Abbatiâ, Wintershovium beneficio suo possidendum tradidisse Thietboldo cuidam, ex Domo Lossensi, post Normannicam vastitatem. Verùm neque Loscastrum ad sanctum Bavonem aliquando pertinuisse quisquam prodidit; neque Monasterio sancti Bavonis, sed sibi, posterisque suis Balduinum repetiisse Ægidius affirmat cap. 62. ad

Anselmum, ac denique sibi jam restituti Monachi Bavoniani Wintershovium suo jure possidebant, uti suprà diximus: quibus ergo rationibus Loscastrum Flander repeteret, quis dixerit? Illud constat in Hasbaniam copias immisisse, & præliis aliquot decertatum. E Flandris inter cæteros periit Pater sancti Popponis, Abbatis Stabulensis, quinque hebdomadis postquam filius esset in lucem editus, qui insigni posteà sanctitate non modò Flandriam Patriam suam, verùm & Diœcesim Leodiensem, universamque exornavit Germaniam. At singulorum certaminum fortuna quæ fuerit, altum omnino apud omnes silentium; Arnulfum tamen, Comitem Lossensem, quoad vixit, Loscastrum tenuisse certum est: qui cùm nullos ex uxore sustulisset liberos, quemadmodùm armis Loscastrum fortiter asseruerat, ita moriens ad eum, quem scripsisset hæredem, arbitrio suo transmittere statuit. Vi morbi devenit ad extrema: cùmque Flandrum à morte sua moturum omnia haud dubitaret, sancto Lamberto Loscastrum dicare transcribereque placuit; nam & Baldricus secundus, Leodiensis Antistes, illi erat sanguine proximus, utpote Patruo suo genitus, & jus suum Leodienses optimè defensuros intelligebat; ac denique sanctum Martyrem in morte sibi præsidio futurum haud vanè confidebat. Episcopum igitur accersit, & postquam ad obeundam christianè mortem ejus operâ se comparasset, solemni ritu Loscastrum ditionemque suam B. Martyri Lamberto donavit; Antistitemque cognatum monuit maturè copias instrueret, quibus Comitatum sibi vindicaret adversus Flandrum, quem minimè quieturum animo præsagiret. Operam in extrema vitæ meta libenter Arnulfo contulisset Baldricus; sed cùm sapienter omnibus prospectum animadverteret, Leodium rediit, quò vires Comitatui retinendo colligeret. Intereà Arnulfus piissimè in Domino obiit, & Loscastri conditur. Lutgardis uxor viri sui factum probaverat, tum piâ in Deum sanctumque Lambertum motione, tum quòd se Reipublicæ gerendæ sentiret imparem. Jam ergo Principatum positura, Leodium ad Episcopum proficisci cogitat, reliquum vitæ in sancta quiete transactura; sed ecce Lambertus, cognomento Barbatus, Lovaniensis Comes, injuriarum Ecclesiæ Leodiensi illatarum conscientiâ exagitatus, communioni sacrorum, quibus ab Episcopo erat interdictus, cùm restitui cuperet, & ægrè de suo damna Ecclesiæ resarcire posset, quod tamen ut fieret æquum

Fisen lib. 7. n. 24.

Fisen dict. loco.

judicabat, à Lutgarde Comite impetrare ſtatuit, quod Epiſcopo refunderet. Inſidiis ergo in itinere Leodienſi poſitis, illuſtrem Matronam intercipit, abducitque Lovanium; ſed ibi omni veneratione accepit, juſſamque nihil hoſtile metuere, rogat ut pacis conciliatrix binas inter Gentes vicinaſque eſſe velit; illam facilè componendam, ſi Eccleſiæ damna reſarciantur: ſe quidem bellis ſuperioribus exhauſtum minimè id poſſe; ipſam ergo, cùm & multis opulenta ſit prædiis, & prole careat, orat ſupplex obteſtaturque, ne tantum ſibi, Publicoque bonum invideat. Illa, ſeu preces armatas eſſe intelligeret, parumque tutum cenſeret ei negare quidpiam, in cujus ſe poteſtatem redactam cerneret; ſeu duobus vicinis Principibus, Leodienſi & Lovanienſi, pacem optaret, optimum prædium, nomine Horrentium, Lamberto dedit; qui voti compos, Legationem mox adornat ad Baldricum Antiſtitem, pacem petit, & in Eccleſiæ gratiam, ſoluto anathematis vinculo, recipi rogat. Baldricus haud difficilem ſe pro innata clementia præbet; paceque conceſsâ, Comitem ſacris Eccleſiæque reſtituit: Horrentiumque ab illo donatum nec Monaſterio ſuo ſancti Jacobi Minoris Leodii attribuit. Atque hîc Belli Hogardienſis, de quo infrà, exitus; quid verò pro Loſſenſi ditione Flander moverit, non invenio, uti ſuprà diximus. Omnem tunc ejus potiundi ſpem depoſuiſſe exitus rei docuit, ubi accepit illam acceſſiſſe Eccleſiæ Leodienſi, quæ è vicino facilè tueretur, quod non niſi ægrè ancipitique bello tentare poſſet, mediâ inter ipſum & Epiſcopum Brabantiâ, Leodienſibus jam ſociatâ. Baldricum porro Comitatu potitum vult Stabulaus, clientelamque Metis profeſſum apud Cæſarem; ac deinde illum dediſſe fratri ſuo, non uterino Arnulfo, poſſidendum beneficio Leodienſis Eccleſiæ, pactionemque addidiſſe, illum in Eccleſiæ poteſtatem rediturum quotieſcumque vel ipſe, vel poſterorum aliquis ſine maſculina prole decederet. Ita Reſcripto Cæſarem probaſſe, inſignis fuit illa ad Eccleſiam Leodienſem acceſſio, quâ non minùs altero tantò crevit. Cui hæc in compendium redacta haud ſufficiunt, conſulere etiam poterit Ægidium Aureavallenſem, cap. 62. ad Anſelmum, tomo 1. Scriptorum Leodienſium editorum à Capeavillo. Hinc redeamus ad Ludovicum Arnulfi defuncti Patruum.

Fiſen dict. loco.

Fiſen dict. loco.

Ludovicus de Los Rudolfi Comitis secundò genitus.

ILli duæ fuerunt uxores ; prior Aleidis de Lemborch, cujus deinde cognati facti Limburgii Comites circa annum 1050 ; Lutgardis filia Comitis de Thoux posterior, natique ex utraque liberi : ex Aleide Baldricus secundus, Leodiensis Episcopus & Gislebertus ; ex Lutgarde, Arnulfus, tertius hujus nominis Comes Lossensis, Otto, & Hermannus Canonicus & Archidiaconus Leodiensis. De quibus sigillatim videamus.

Baldricus Episcopus Leodiensis.

N*Otgero*, inquit Placentius, *Baldricus ejus nominis secundus ; filius Ludovici Comitis Lossensis, ex filia Ducis Limburgensis, subrogatus est*. Manuscriptum Chronicon Trudonense judicat Comitis de Los filium, fratrem Gisleberti. Tabulæ quoque Collegiatæ Ecclesiæ sancti Bartholomæi testantur illi fuisse fratrem Gislebertum ; sed priùs quàm vitam ipsius exscribamus pluribus, pauca placet præmittere de epocha anni quo Notgerus obiit. Juxta stilum Romanum concessit in fata anno 1008 ; juxta Leodiensem 1007, feriâ nempe quintâ in Cœna Domini, quarto idus Aprilis, quòd Leodienses annum auspicarentur non nisi in Paschate : sepultus tamen post Pascha, annum 1008. attigit, eodemque electus Baldricus ; totis annis decem, & aliquod mensibus præbuit. Brevissima hæc annotatio tenebras dispellit, quas Scriptores videntur obtundere, dum alii atque alii scribunt, Notgerum obiisse anno 1007, vel sequente ; eodem item successisse Baldricum Lossensem, qui utriusque Ecclesiæ stilo, Romanæ & Leodiensis, non nisi anno 1008. Episcopatum adiit.

Baldrici vita.

ILlustre fortitudinis, pietatis, modestiæ, prudentiæ, aliarumque virtutum, encomium scripserunt illi Anselmus & Ægidius, nec vulgaribus efferunt laudibus, ut qui se ideam numeris omnibus absoluti Episcopi exhibuerit. Nos pauca ex multis quæ prçcipuè Historiam spectant, observemus. Prçcesserat illi in cura pastorali Notgerus, natione Suevus, professione Monachus

sancti Gallensis, qui totus ex sapientia & virtutibus compositus, adeò omnium animos in se converterat, adeò de Urbe Leodina bene meritus, ut nullius à sancto Lamberto Episcopi majora extent episcopalis vigilantiæ beneficientiæque documenta; ut verò versus quispiam jam affatus censeatur Legiam:

Notgerum Christo, Notgero cætera debes.

Atque perspicuum evadit quàm fuerit arduum & difficile, sine nominis proprii jactura, sine fraude, tali in amplissima dignitate Heroi succedere, defuncti desiderium animis hominum illi addictissimorum eximere, & decessoris adæquare expectationem & gloriam: hæc tamen Baldricus noster, tum bonâ sorte, & divini Numinis providentiâ, tum denso quodam constipatoque heroïcarum virtutum genere adeò assecutus est, ut omnium judicio dignus judicatus sit qui succederet. Nec eligentium spem elusit: relucebat enim in eo quædam viva Notgeri imago indolisque accedebat morum & genii similitudo, ut etiam regiminis sui principio, defuncti desiderium mitigaverit. Notgerus vitâ excesserat (stilo Romano) anno 1008, quarto idus Aprilis, posteaquàm præfuisset annis sex & triginta, sepultus in Ecclesia Collegiata sancti Joannis Evangelistæ Leodii, in Insula à se diducta, quam ipse, destructâ arce Capræmontanâ, Leodiensibus infestissimâ, inde Leodium transtulerat, fundaveratque. Successit Baldricus hujus nominis secundus, in ordine quadragesimus septimus Leodiensium Antistes, Ecclesiamque sibi creditam annis decem & aliquot mensibus prudentissimè administravit: neque ulteriùs in laudes tanti Præsulis feror, mihi nostrisque Lossensibus sufficiant quæ de eo Anselmus & Ægidius scribunt, qui illi nec inane nec affectatum elogium tribuunt.

Ejus indoles & mores.

INdole fuit optimâ, eximiâ in Deum pietate charitateque in proximum; ut generis, ita morum nobilitate conspicuus, præditus insigni mansuetudine & modestiâ apparebat: moribus quidem elegantibus, sed minimè affectatis, formâ corporis honestâ dignâque suo munere, in cives benignus & clemens, proborum & innocentium amantissimus, unicum miserorum oppressorumque perfugium.

Magnus Ecclesiæ Leodiensis benefactor Baldricus, teste Anselmo, cùm optimi præcessoris sui studeret inhęrere vestigiis in exornandis Ecclesiis, earumque rebus augendis, adeò magnificus fuit, ut nullam Episcopatûs sui Ecclesiam, nullum præteriret Cœnobium, quod non aliquo, vel agrorum, vel decimarum fructu donarit, prædiaque addiderit ex hæreditate propria: non modò enim Patruelem suum Arnulfum Comitem inflexit, ut Ecclesiam Leodiensem anno 1014. sui Comitatûs scriberet hæredem, sed & de suo eidem dedit magni pretii Allodium, Pannardum nomine, quo viginti pauperes in annum alerentur; sub initium quoque sui Episcopatûs, anno 1008. ab Henrico Imperatore sancto nobilem silvam juris Imper. sitam inter Poleram & Oderam fluviolos, obtinet ex uno latere, ex altero Sumam fluvium, viam Imperialem tertiò, quartò Mosam. Item sanctus Henricus concessit Baldrico Episcopo, & Baldrico Comiti, fortassis Ecclesiæ Leodiensis (tum enim singulæ majores Ecclesiæ habebant suos Comites, sive Borchgravios qui jus gladii exercerent nomine Episcoporum,) bannum bestiarum in silvis quas possidebant inter duo flumina Nethæ, quæ in Campinia Brabantina orta, in Oppido Lirensi confluunt, & tertium fluvium Thiliam, qui Mechliniam pręterlapsus, Rupelam intrat, ac tandem in Schaldim influunt. Silvas spectantes ad silvas Heistæ, Badfridæ & Malines, in Comitatu Gothelonis Comitis de *Antwerf* cognomento *Waver Wald*. Diplomata donationis Chapeavillus exhibet in Baldrico, & Miręus in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 79. post annum 1012, quo Gerardus Erluino Cameracensi & Atrebatensi Episcopo successit. Dein Gerardus & frater ejus Godefridus Florinense Oppidum, cum Monasterio in honorem sancti Joannis Baptistæ extructo, cesserunt Ecclesiæ Leodiensi. Ne verò Ascetis ibidem Deo famulantibus minùs suppeterent vectigalia, Baldricus ipse contulit proventus duarum Ecclesiarum *de Liers*, juxta Leodium, & sanctæ Mariæ in Rovera.

Fizen l. 7. n. 20.

Waver Wald

Cappeaville t. 1. p. 225.

Sub Baldrici Lossensis tempore Leodiensem Ecclesiam profanis etiam auctam incrementis scribunt Transmosanus & Stabulaus.

Reginardus, Franchimontis Marchio, Religionis causâ profecturus in Siriam, sanctum Lambertum scripsit hęredem. Id ratum summus Pontifex & Cęsar ut habeant, Baldricus obtinet. Diplomata quidem haud supersunt; Marchionatum tamen Franchi-

chimontanum ad Ecclesiam Leodiensem transiisse res ipsa loquitur.

Decessit ex hac vita hoc itinere Reginardus, Marchionum quartus & ultimus. Præcesserant duo Guidones Dambelitii, & Baldricus tertius. Et ut Ecclesia priùs ab Imperatoribus obtinuerit Regalia, solum, possessionesque Marchionatûs, nonnisi post Reginardi obitum illi non obvenerunt. Demum anno 1014. Abbatiam sancti Jacobi Minoris, in Insula Leodii, fundat occasione belli & cladis Hugardiensis; cui inter cætera duo Allodia sua legat Fleru, & quod à Lamberto Lovaniensi dono acceperat, Horrentium. Hic igitur Monasterium inchoavit 7. Kalendas Maias: & quia magnæ molis Templum parabat, sua vota longiùs differri non tulit. Primum omnium sancti Andreæ Cryptam exstruit, dicavitque octavo idus Septembris, collocatis in ea sacris ejusdem Apostoli Reliquiis, quas sanctus Imper. ipse Henricus donaverat, magnisque deinde sumptibus in ædificatione incubuit. Evocati Gemblaco Monachi, primusque designatus Abbas Olbertus, vir magnæ sanctitatis & religionis. Ipsius epitaphium hodieque in Choro Monasterii sancti Jacobi exstat ad tombam ejus, ubi quiescit, æri inscriptam: *Anno Domini* 1048. *pridie idus Julii vitâ discessit Dominus Abbas Olbertus, hujus Cœnobii primus, vir summæ prudentiæ & honestatis, qui subrogatus de Gemblaco, viginti & octo annis huic Monasterio præfuit.* Et quàmvis Baldricus in ditandis Ecclesiis videretur profusior, non minor tamen illi cura fuit alendis de vulgo pauperibus, afflictisque quibuscumque sublevandis; ut nonnisi communis egenorum audiret parens, atque ut talem Clerus Populusque defunctum luxerunt in flagranti. Sancti Henrici Imp. vixit gratiâ: versabatur ille tum sæpiùs Leodii, adeòque delectabatur illustris Episcopi vitæ integritate & innocentiâ, ut ipsius unius causâ plurima Ecclesiæ Leodiensi contulerit nova beneficia, aut à præcessoribus collata novis firmavit Tabulis: & illa quàmvis maximi forent momenti, nihil tamen piissimus Antistes æquè æstimavit atque sibi ab Imperatore datas sancti Andreæ Apostoli Reliquias, quibus suum sancti Jacobi Min. Monasterium exornavit, ac juxta illas sepeliri voluit, idem [Im]perator Leodii anno 1019. agens. In gratiam Baldrici, licèt [i]n vitâ defuncti, ut quem viventem eximiâ dignatione dilexe[rat], mandat Walbodoni ipsius successori, ut Ecclesiam sancti [Ja]cobi ad fenestras modò à Baldrico perductam, perficiat; tum

F

quòd honori defuncti id tribueret, tum ab eis Fratribus, opus illud urgentibus, interpellaretur, qui alioquin minabantur se jure acturos, Allodiaque Domûs Lossensis repeturos.

Ecclesiæ ab eodem dicatæ.

Beatissimæ Virginis Mariæ sanctique Lamberti Templum à Notgero ædificatum, tandemque anno 1015. confectum, cùm Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, quem in Sanctorum posteà relatum catalogum, veneratur Ecclesia, dicavitque quinto Kalendas Novembris, ipso nempe sanctorum Simonis & Judæ Festo. Tertio post die sancti Bartholomæi Ædem pariter dedicarunt, quam vir nobilis Godelschalcus Moriamæus, sancti Lamberti Præpositus, extra Urbis pomerium exstruxerat, addixeratque vectigalia duodenis ibidem alendis Canonicis : non fuit tamen illa hodierna Leodiensis, formâ elegantissimâ, & opere verè regio Basilica, quam Baldricus dedicavit; sed alia inferioris longè operis & formæ, ac fortè lignea, ut quæ igne absumpta sub Radulpho Episcopo, anno, ut aliqui scribunt, 1183; vel ut plures, 1185, juxta hos ab Ægidio adscriptos versus;

Annis transactis à Christo mille ducentis,
Subtractis ter quinque, ruit locus iste per ignem,
Festo Vitalis : Domini fuit ultio talis.

quæque hodie exstat, statim à conflagratione reædificari cœpta; sed cùm foret maximæ molis & ingentium expensarum, nonnisi demum post annos sex & sexaginta perfecta est, circiter annum Christi 1251. Dicata quoque ab ipso, ut diximus, Crypta sancti Andreæ in sancti Jacobi Monasterio.

Bellum Hugardiense.

Hujus occasio fuit Castrum Hugardiense, quod Episcopus ad Diœcesis suæ tutionem muniebat : id enim Lambertus Comes Lovaniensis in sinistram partem interpretatus, quasi ille oppido suo Lovaniensi vellet officere, illique frenum injicere, primùm verbis Episcopo adversatur; sed cùm is ex vero ostenderet, id sibi licere, nec suum jus alterius debere reputari,

injuriam Lambertus arma corripit, prædasque ex Episcopatu agit: cùmque rursus monitus, sub anathematis poena, ut ab injuria desisteret, non acquiesceret, semovetur à sacris; quod ille flocci pendens, majoresque quàm antehac copias contrahit. Contra quoque Baldricus, habito cum suis consilio, arma expedit; nec à vero alienum putem, ipsi fratres Gislebertum, Arnulfum, & Ottonem fidelem hoc bello navasse operam. De Herimanno Comite Virdunensi fratre Godefridi Lotharingiæ Ducis, quem alii Haselonem scribunt, certum est cum Episcopo tulisse suppetias. Joannes Baptista Gramaius cap. 5. Historiæ suæ Namurcensis inter Auxiliares Episcopi recenset Ratbodum, Alberti primi Comitis Namurcensis filium (Bartholomæus Fisen vocat Robertum Lamberti Lovaniensis Avunculum, cùm tamen juxta Gramaium, illius fuerit ratione Gerbergæ uxoris nepos,) Dynastam Florinensem, Rudolfum de Pratis, & Comitem Salinensem. Eductæ die 10. Octobris anno 1014. utrimque Acies, decertatumque in campis Hugardinis. Acriter inclinabat primùm in Leodienses victoria, nec poterant Lovanienses illorum diutiùs sustinere impetum; & ferè erat, ut ipse Comes initium fugæ faceret: quod ubi Godefridus Namurcensis advertit, desertis Leodiensibus, profugit ad Avunculum; restauratâque Lovaniensium Acies, Baldricum fugat, desideratis ex ipsius copiis supra trecentis, præter vulneratos. Gramaius ex Brusternio inquit: *Pugnatum acriter, & victoria penes Leodienses fuit; quâ illi jam potiti, & hostium securi, prædæque & poculis se dantes, somnum capiebant: cùm secedens ab exercitu Namurcensis, Avunculum monet, adducit, adjuvat, victoriaque, licèt carò empta, ad Lovanienses inclinavit.* Hæc ille. Herimanus Virdunensis pervaserat in Ecclesiam sancti Gorgonii Hugardiensis, sed quem militari licentiâ inde captivum abduxit Namurcensis; sed Baldrici prima cura fuit tantum Principem, sui causâ in captivitatem prolapsum, libertati asserere: & cùm Roberti Namurcensis mater dimissuram se promitteret, si modò ipsa in gratiam reciperetur ab Henrico Cæsare; id verò in se susceperunt Baldricus noster, & Gerardus Cameraci Episcopus, qui Confluentiam profecti, ad indulgentiam Imperatorem permoverunt: atque ita, ignaro Lovaniensi, Herimannus liber dimittitur.

Arcana politices Belli Hugardiensis ratio, quam paulò altiùs retrò repetere oportet.

OTto II, qui anno 973. Imperium in Italia suscepit, Lotharingiæ inferioris Ducatum, motis illic turbis, beneficii loco dedit Carolo filio Ludovici IV, fratri Lotharii Lodovici V, Regum Franciæ Patruo: quod Lotharius frater iniquo ferens animo, Ottonem Aquisgrani obsidet anno 978.

At ni effugisset, statuit etiam captivum abducere: quam Otto injuriam ulturus, Francos Lutetiam usque palabundos insequitur, ac tandem congressi ad Charum Luxemburgiensis agri fluvium, sermone controversiam dirimere anno 980. Mansit tamen Carolus in possessione Lotharingiæ; sed decisis ei nobilioribus partibus, multa cessere Archiepiscopo Coloniensi, quædam Episcopo Leodiensi, quæ etiamnum latâ satis jurisdictione tenent; Aquisgranum, Novisium Antuerpiam cum Marchia Riensi; item Comitatum Brabantiæ, uti scribit in suo *Lovanio*, Lipsius, assignavit Imperio, fractæque sunt Dynastiæ Imperialis: scilicet de alieno facile & proclive erat largum esse, & circumcidere etiam Lotharingiam, feudum Imperii. Inter consilia habebatur Carolus; itaque potioribus Lotharingiæ possessionibus ab Ottone II. exutus, cætera tamen titulo Ducis tenuit comitatum scilicet Bruxellensem, ubi principale dominium tenuit inter duo Zennæ fluminis brachia, prope Ecclesiam sancti Gaugerici, cum Districtu Nivellensi, & Comitatum Brachbantensem cum iis quæ adhærebant, annosque pene 15. obtinuit. Obiitque tandem Aureliani in vinculis anno 991. Successit Otto filius; cùmque Ducatum annos circiter quatuordecim administrasset, discessit ab hac vita Mosæ Trajecti, anno 1005. improlis: qua de causa & Ducatus ejus datus fuit in beneficium Godefrido Justo, sive improli Godefridi Capitini Comitis Virdunensis filio, vixitque ille ad annum 1023., id est paulò antè quàm Henricus Cæsar moreretur. Et quia Lambertus Barbatus uxorem habebat Gerbergam, Caroli Lotharingiæ Ducis filiam, sororem Ottonis natu majorem, (Ermengardis enim junior Alberto Comiti Namurcensi nupserat,) jure uxorio invasit quantùm potuit, Comitatumque suum Lovaniensem insigni accessione auxit; nempe Comitatibus Brachbantensi & Bruxellensi, atque ad posteros

transmisit jure hereditario. Nec eum spes de universa recuperanda Lotharingia deserebat; ut qui tacitus secum decerneret etiam omnia illa ad se pertinere, quæ Socer unquam possedisset, etiam postquam ab Ottone II. nobiliores Lotharingiæ partes forent ademptæ. Hujus animositatis Comitis Gerardus Episcopus Cameracensis haud ignarus, sæpè Baldricum, quocum in speciem ille amicitiam colebat, monebat ab hoc sibi, suæque caveret Diœcesi; homini nullam esse fidem & religionem: sed Baldricus candore verè christiano malebat semper ominari meliora; donec suscipiente sub hoc tempus expeditionem Italicam Henrico Cæsare, Lambertus sibi tutum putavit moliri res novas, & Lotharingiæ Ducatum vindicare armis, quem quidem illius munere, jam pridem Godefridus teneret, Ottone Affine suo mortuo, sed suum aiebat jure Gerbergæ uxoris adscito. Igitur in belli societatem Raginerio Montensi Comite, amicitiisque aliis Lotharingiam diris infestare populationibus instituit, ut ad se respicere cogeret; Ducemque exposcere, magno quidem Leodiensium damno, qui primi infestantibus occurrebant. At ut primùm moveri à Lamberto Henricus ex itinere comperit, Godefridum Ducem remisit, qui majoribus viribus insolescentem Lovaniensem retunderet: quod & initio fecit feliciter, compulsumque in urbem suam Lovanium obsedit; verùm obsidionem ille tantâ virtute sustinuit, ut re infectâ, Godefridum, multis suorum interfectis, retro abire coegerit: ferociorque hoc successu Lambertus, magno Lotharingiensibus terrori meritò erat. Baldricus illi vicinissimus, quo suis consuleret, Hugardiæ munitionem anno 1013. excitare cœpit, quæ Diœceseos suæ finibus foret præsidio. Consiliis suis velut repagulum objici Lambertus satis intelligebat; eaque de causa aliud atque aliud causam illam prohibere, & quoquo modo impedire studuit: atque hæc arcana ex prudentia civili Belli Hugardiensis ratio, quod prius descripsimus.

Occasio conditi à Baldrico Monasterii sancti Jacobi.

ADeò altum Baldrici animo clades Hugardica vulnus inflixerat, ut quàmvis piè susceptum bellum, pro injuria à grege suo propulsanda, sibi proponere posse videretur; animo tamen ejus cruenta suorum observaretur clades, ut qui animas suscepisset servandas, verebatur ne in exitium propulisset, hanc-

que continui mœroris æquissimam censebat causam, neque ullum videbatur admissurus solatium: suavis & interim necessitudo intercedebat cum Joanne quodam Episcopo Italo, quem Episcopatu pulsum Otto III. Imperator in suam familiam susceperat, & virtutis auctoramento coluerat, tribueratque plurimùm ejus consiliis; sed Leodium (ut Fisen bene scribit) aliquando dimisit, fortassis moriens, aut tendens in Italiam, Notgero Commendatum, non Baldrico, & quidem Ægidio placet: quandoquidem Baldricum Otto nunquam viderit Episcopum. Vir eximiæ sanctititatis erat Joannes. Primum ejus studium erat indefessâ vigilantiâ mentis tueri integritatem, asperos corpori labores indicere, ad ardua christianæ perfectionis semetipsum in dies excitare; amor divinæ servitutis, quo fervebat plurimùm, omnem animo excludebat rerum terrenarum amorem; nihilque jucundiùs ducebat, quàm frequenter orare, frequenter psallere, pati inediam, amplecti vigilias, ususque bene vivendi è sanctorum Patrum rectè factis, quasi selectissimis floribus, suave mel colligere. Præter interiorem hominis compositionem, quid de Dominicæ Crucis parma, quæ pectus armaverat? Quid de felici pudicitiæ loquar filio ejus? Candorem spontaneâ corporis castigatione servare contendebat, ipso oris totiusque corporis habitu virgineum referebat Angeli nitorem: quo animi cultu Baldricum in amicitiam (ut similes similibus gaudere solent) pelleretur quotidianâ consuetudine; persæpè illum consilio juvabat, quando aliquis ejus usus in arduis negotiis; cùm otium publicæ res interdum paterentur, ad ardua virtutum sibi invicem mutuâ hortatione addebant animum.

Verùm à clade Hugardica nullis Baldricus erigi poterat sanctioris Philosophiæ aculeis, quem acerbissimus dolor immensùm depressisse videbatur. Sed ubi Joannes sensit, non tam amissæ victoriæ, factæque jacturæ dolore, vel cladis pudore, tangi Præsulem, quàm tot animarum sibi creditarum percelli periculo, in quod eas ipse conjecisset; Ipse verò, uti judicabat hanc animi affectationem laude, Episcopoque dignam, ita & æquissimum talem censebat dolorem.

Sempiterna sunt (inquiebat,) *aut certè diris cruciatibus horrenda supplicia, in quæ præcipites misisti oves illas tuas, pro quibus tibi potius ponenda anima; & siquis impendendo solatio locus superest, crudele profectò fuerit ipsis illud negare: quare, si me audis, quo saltem etiamnum*

Sed modo tuis subveni, Templum Deo optimo, maximo, Monasteriumque pone, in quo venturis omnibus ætatibus Monachi, in sublevendas flammis purgatoriis animas incumbant.

Consilium placuit, statimque Baldrico occurrit perficiendum, quod Eraclius inchoaverat, S. Laurentii Cœnobium. Impulit in eam partem impigrè Hesselo Comes, pro suo in nascentem Domum sanctumque Martyrem studio. Joannes intercessit Episcopus: & quòd alienis fundamentis addere minùs videretur gloriosum, novum ab imo Monasterium ut ædificaret, Author fuit, & obtimuit. De ara tum quæstio fuit; proposuêre quidam cortem Amerinam, ab urbana frequentia segregatam, in regione transmosana, ideoquè Monachis aptiorem, quorum tum primùm studia Leodii erant initianda, inquit Ægidius, aut sanè potuit post liminio restituenda: quandoquidem Monachos ad sancti Petri à sancto Huberto constitutos, & vastatione posteà Normannicâ extinctos, idem Scriptor prodiderit. Magis nihilominùs placuit caput Insulæ, quam Notgerus nuper fecerat: hìc sancto Jacobo Monasterium inchoavit Episcopus, VII. calendas Novembris, idque, ut vidimus, occasione stragis acceptæ Hugardiæ.

Evocatus à Godefrido Duce Lotharingiæ ad commune Bellum contra Theodoricum Hollandiæ Comitem, in itinere moritur.

THeodoricus hujus nominis tertius, quartus in ordine Hollandiæ Comes, Domitor Frisiæ, quam sibi in ultionem paternæ cædis subjecerat filius Arnoldi Comitis Gandavensis, qui paterno jure audiebat Comes Gandavensis, materno Hollandiæ: fuerat etenim Hilgardâ sorore Theodorici II. progenitus, avunculoque in Comitatu Hollandiæ successerat. Ille igitur Theodoricus Arnoldi filius, Theodorici secundi ex sorore nepos, eâ tempestate bellis & seditionibus exagitabat Imperium, fretusque naturâ loci, victoriâque adversus Frisones partâ elatior, quietem turbabat Serenitatis Cæsareæ. Hujus audaciam conjunctam cum publicis Regni detrimentis, Henricus Imper. volens refrenare, imperat Godefrido improli, Duci Lotharingiæ, fratrique ejus Gotheloni, sive Gothilioni, qui Godefrido deinde successit, armis ire obviàm, validumque ad signa evocare exercitum; qui dicto audientes se armant, inque belli societatem authoritate Cæsareâ evocant Heribertum Coloniensem, Adelbodum Ultrajecti-

num & Baldricum Leodiensem Episcopos: quo id quod hîc ex Anselmo adnotavimus fiat clarius, legendus foret Heda in Adelbodo XIX. Ultrajectensi Antistite, de prima discordiarum origine inter Episcopos Trajectenses & Comites Hollandiæ. Sed quia ab illo scripta Eruditis minùs placent, adscribemus quæ Buchelius in Notis ad *Bekam* tradit. *Hanc rem*, inquit, *multis & magno verborum apparatu describunt Hollandici Annales*, verùm eos hîc omnino errare video: nam si quis primas controversiarum ac bellorum inter Trajectenses & Hollandos causas investigare voluerit, & liquido constare poterit quod Antistites longè priùs possederunt ut proprium donationibus; sed cùm Danorum & Normannorum invasionibus & deprædationibus, iis impares, cedere cogerentur, Vicarii ad limitum defensionem missi, quibus pro navata opera beneficiario jure aliqui Comitatus, (dominia non adeò magni nominis ut hodie volunt) concessi fuere; quorum posteri haud contenti, concessis vicinorum limitibus semper aliquid abradere, conquisitis undequaque causis, studuerunt per fas perque nefas. Hinc accidit, ut Arnoldus, sive Arnulfus, dictus Gandavensis, partem illam Frisiæ (omnis enim circumcirca Provincia Frisiis tum attributa,) quæ prima Hollandiæ nomen agnovit, & hodie Zuyt Hollandia, id est Australis, dicitur, occupasset, à vicinis Frisonibus sit occisus. Cujus filius, quo ab iisdem tutior foret, & loco, ubi nunc Dordrechtum (prima Hollandiæ civitas,) castrum sive munitionem exstruxit, vel, quod tempore Zuentebaldi ibidem erectum fuerat, instauravit; vicinorumque solum, invitis dominis, invadens, fecerit suum: quare iidem, quorum in numero erant Coloniensis, Trevirensis, Leodiensis, & quidem maximè omnium lædebatur Trajectensis Albaldus, sive Aldebaldus Antistites, contra illam Theodorici iniquam invasionem Henrici Imperatoris, Neomagi existentis opem, & auxilium imploraverunt: qui præter injuriam passos, etiam Godefridum Lotharingiæ inferioris Ducem contra dictum Theodoricum cum exercitu misit; sed ii, sive hostium contemptu, sive virium suarum fiduciâ, locique ignorantiâ, à Theodorico in fugam vertuntur, magnâ suorum clade, Duce etiam capto. Hoc prælium accidit in Bataviæ inferioris parte, juxta fluvium vel Insulam Merwede, ut sinceri Scriptores tradunt.

Cùm igitur Baldricus noster à Godefrido Duce & Gozelone fratre ejus ad expeditionem illam urgeretur, in exceptis haberi petiit,

petiit, causatus ætatem, annis, & corporis infirmitatibus gravem, armisque tractandis inidoneam. Sed illi istud sinistrè interpretabantur, quasi Theodorico magis faveret affini & amico, quàm Cæsari; vel quia Lutgardis, cognati sui nuper defuncti uxor, illius erat major amita; vel quia cum Lamberto Lovaniensi, infensissimo Cæsaris hoste, pacem inierat, cujusque neptem Otto ipsius frater duxisset uxorem: cùm tamen ex vero causaretur virium imbecillitatem. Ne quid tamen malè audiret apud Cæsarem, impactam calumniam profectione diluere voluit; evocatisque duobus fratribus Gisleberto & Arnulfo, se in iter dedit, ingravescente licèt valetudine. Mosæ Trajectum delatus, Deiparæ Virginis Ædem ingreditur, ubi Sacrarium condiderat: ab oratione cùm ad naves rediisset, universo exercitu solvente, *Ecce*, inquit Baldricus, *totum illud Episcopi Sacrarium in divæ Virginis cum Ara ipsa subvertitur.* Sinistrum vel Reipublicæ, vel Episcopo visum est omen: Ducem tamen secutus est; verùm defectis viribus, subsistit in vico Heremandantio, viquę mali tandem invalescente, vitâ discessit quarto calen. August. anno 1017. eodemque temporis articulo, quo Flardarbergæ Pugna committebatur, ubi, teste Sigeberto, repentè voce nescitur unde emissa, *fugite, fugite*. Cunctis fugientibus, multi à paucis Frisonibus perimuntur: Dux verò capitur, sed paulò post Theodoricus dimisit, ut in gratiam Cęsaris, ipso auctore, reciperetur. Episcopi corpus Leodium relatum est, & paulò post justa ab omnibus Ordinibus, magno doloris sensu, persoluta, terræ mandatur in Crypta sancti Andreæ, quòd Templum sancti Jacobi nonnisi ad fenestras adhuc surrexisset. Quot hominum lacrymis, quantoque commiserantium sensu deploratus, à quibus exsoluta justa, Ægidius copiosè cap. 63. exequitur. Atque is optimi nobilissimique Episcopi exitus fuit. Sera, licèt grata tamen, Fundatori suo Posteritas Tumbam sive Scenotaphium ex nigro marmore, ad quinque pedes supra Templi solum, extans in Odeo sive Choro sancti Jacobi, posuit cum Ectypo & insignibus Gentiliciis Episcopi in cippo excisis, cum hac Epigrapha: *Baldricus Præsul Leodiensis, genere Comes Lossensis, hìc quiescit, qui sub sancto Imperatore Henrico hoc Cœnobium inchoavit anno* 1014; *verùm, morte præventus, sub eodem imperfectum reliquit anno* 1017.

De Gisleberto, & Arnulfo hujus nominis tertio.

GIslebertum suprà ex variis Memoriis fratrem uterinum Baldrici ostendimus; nec de eo, & Arnulfo aliud exsculpere potui, quàm ex Chronico Ægidii Gritte, Prioris sancti Jacobi, hæc verba: *Anno* 1016, *indictione XIV, imperante Henrico II, Baldricus Episcopus Leodiensis, in Diplomate fundationis Monasterii sancti Jacobi adducit testes fratres suos Gislebertum Comitem de Los, & Arnulfum, & ex Oratione illorum ad Imperatorem Henricum habita, cùm ille Leodii* 1020. *Pascha celebraret.* Apud Ægidium cap. 67. quòd fuerint Patricii Romani, id est primæ dignitatis; quòdque infelicissimo contra Theodoricum Hollandiæ Comitem bello interfuerint, obtinuerintque à Cesare ut is Walbodonem Baldrici successorem jusserit sancti Jacobi exędificare Monasterium: quod & factum est. Adhæc ex Archivis ejusdem Monasterii constat, Gislebertum illius fuisse Advocatum. Obiisse alii volunt improlem. Vivebat adhuc anno 1022. Arnulfum verò Comitem Lossensem sepultum Crypta sancti Andreæ, juxta Baldricum. Mortem oppetiisse sexto Kalen. Novembris anno 1021, quo illi in Comitatu successit Otto frater germanus: quod ex Chronico Trudonensi erui.

Otto Lossensis Comes.

LIber in pargameno scriptus anno 1020. Vitam sancti Arnulfi Episcopi Suessionensis & Abbatis Aldenburgensis, Ordinis Benedictini, in Flandria, quarto ad solis occasum à civitate Brugensi lapide continens, ibidem asservatus, sic habet: *Albertus secundus Comes Namurcensis habuit tres germanas sorores, Lutgargardem, Odam, Ermengardem: qui Albertus genuit patrem Godefridi Namurcensis; Lutgardis genuit Emmonem Comitem de Los, & Ottonem fratrem ejus; Emmo genuit Arnulfum Comitem de Los, & Sophiam Ducissam in Hungaria; ista Sophia genuit Regem de Hungaria, & Ducissam de Hui; Otto frater Emmonis genuit Gislebertum de Duras; Oda, soror Alberti Comitis, genuit Meinsindam, matrem sanctissimi Arnulfi Episcopi Suessionicæ Civitatis in Francia.* Hæc ille. In Genealogia sancti Arnulfi Metensis Episcopi Lutgardis vocatur Emma de Los. Porro Carolus frater Lotharii Regis

Franciæ, Lotharingiæ inferioris Dux, Aureliæ ad Ligerim, in carcere, anno 991. mortuus, reliquerat ex Agnete sua conjuge, Heriberti Trecensis Comitis filia, filium Ottonem in Ducatu successorem, qui sine liberis anno 1005. obiit, duasque filias, Gerbergam Lamberto Barbato Lovaniensi Comiti, & Ermengardem Alberto Namurcensi Comiti nuptas: atque ex hac Ermengarda nata Lutgardis Ottonis uxor, cęteræque suprà memoratæ proles.

De Pameliis Aldenardensibus in Flandria.

DE quibus priusquam plura adferam in medium, liceat pauca adnotare, quæ abs re non fuerint. De sancto Arnulfo scribit Molanus in Natalibus ad diem 16. Augusti: *Aldenburgi depositio sancti Arnulfi Episcopi Suessionum & Confessoris. Hic patrem habuit Fulbertum, habitantem circa Scaldem, in villa Tideghem; matrem habuit ex nobili prosapia Comitum, Lovaniensium videlicet, Namurcensium, Lossensium & Montensium*; quod ita intelligendum arbitror, quasi ipse sanctus Arnulfus ex eadem nobili prosapia sit oriundus, unde dicti quoque Comites prodierunt. Arnoldus Wionius lib. 2. Ligni Vitæ cap. 53, & in Martirologio suo Benedictino ad diem 15. Augusti, vocat eum Pamelium & Aldenardensem Flandrum; fueritque pater ejus Fulbertus, villæ Aldenardensis Toparcha, ex familia Pamelia, quæ illam hodieque cum Arce circa Scaldim fluvium obtinet; distinguiturque ab hodierno oppido, ut nomine Pamela dicta, ita jurisdictione. Inter Baronias veteres in Comitatu Flandriæ sunt quatuor primariæ, quibus Ursi vulgò appingi solent; *Cisoen, Heyne, Pamele, & Boelers*. Quod demum sanctum Arnulfum attinet, is ex Monacho & Abbate sancti Medardi in Civitate Suessionensi, jussu Gregorii Papæ VII. creatus anno 1080. Suessionensis Episcopus, primusque Abbas Aldenburgensis in Flandria. Discessit ex hac vita in dicto Monasterio anno 1087, die 15. Augusti. Observavi Ipris in Flandria, cùm Priorem ibidem agerem, Pamelios Aldenardenses pręferre in scuto symbolum Comitum Lossensium, septenas nempe ex auro & minio tenias, ad distinctionem: cùm Comites nostri denas in clypeo habeant: intellexique ex Barone Pamelio, se suam ad Comites Lossenses referre originem. De quo nihil ambigo, sed spero mihi aliquando oblatum iri occasionem, quà de Pameliorum ex Lossensi arbore surculo pleniùs

edocear, Historiæque Lossensi interseram.

Ad Ottonem redeo, quem Chronicon Trudonense Gislebertum vocat. Is felicibus nuptiis sibi copulavit Lutgardam, aliàs Emmam, Alberti primi Namurcensis Comitis, & Ermengardis è Domo Francica filiam: atque eadem, præter alias proles, quarum Vetustate oblitterata nomina, sustulit Emmonem, Comitatûs Lossensis heredem; Ottonem jure uxorio Comitem Durassium; & Margaretam Withardi octavi Gelriæ Tutoris, sive Præfecti, conjugem: qui posteaquam sex & viginti præfuisset annis, obiit circiter annum virginei partûs 1061, relictâ ex Margareta Lossensi filiâ unicâ, Adelheidâ nomine. Hæc, juxtà aliquos, patre defuncto, per novennium mansit virgo, Præfecturamque administravit, ac demum Ottoni Nassavio nupsit: quod alii contigisse dicunt ante annum 1064. Nassaviorum autem Gens, ut eo connubio claritatem adepta, ita ipsa per se tum illustris, interque Germaniæ Principum familias haud postremas obtinebat: utque à vetustissima ac celeberrima Arce Oppidoque Nassavio ad Lonam fluvium, qui inde haud procul ex adverso ferè ostio Mosellæ sito, in Rhenum labitur, nomen diducat. Non altiùs in Nassavicæ Domûs decora penetro: id à quàm pluribus jam diù felicissimè præstitum. Nobis vel hoc unum sufficiat ostendisse, ex Domo Lossensi profectam illam Nassavicæ Domûs propaginem, quæ deinde Gelriam, Zutphaniamque Comitum titulo obtinuerit, diùque possederit. Adelheida mortalitatem posuit anno 1076, relicto in vivis Herhardo filio, qui Patri in utroque Comitatu successit. *Wichardo*, inquit Isacius Pontanus lib. 5. Historiæ Gelriæ, *conjugem tribuunt Margaretam Comitis Lonei filiam, ex qua susceperit Adelheidam, posteà Ottonis Nassavii primi Gelriæ Comitis conjugem. Nonnulli, præter Adelheidam filiam unicam, etiam Rotharem filium eidem adscribunt, Baronem à Buren, qui sacris initiatus, Episcopus deinde Paderbornensis factus sit.* Lonei idem est quòd Lossensis, uti ex Diplomatibus ipsorum Comitum liquet, qui se interdum Lonheos, aliàs Lossenses vocabant. *Wichardus, ejus nominis III, ordine octavus & ultimus Præfectus Gelriæ, Wilhelmo patruo, Episcopo Ultrajectino, contra Robertum Flandriæ Comitem suppetias tulit. Ex Margareta Lossensi unicam filiam & heredem reliquit Adelheidam, Ottoni Nassavio nuptui datam. Cum illa flos triplex esculanus mespilorum rubicundus, exaratus in auro occidit.* Ita Tesschenmaecher in Annalibus Geldriæ. Aquilius verò, apud

Pontanum lib. 1. Ottoni II. Nassavio Gelriæ Comiti, qui obiit anno 1202, tribuit mutata Gelriæ insignia, quæ esculi, sive mespili tres rubeos flores fuisse in clypeo, jam dictum est; assumptaque eorum loco Nassaviorum Leonem, nimirum aureum hastulatum in clypeo, sive campo, ut vulgò vocant, cæruleo; absque tamen corona & duplici cauda, quæ posteà accesserunt, omissis hastulis, ita volente ad discrimen insignium Nassaviorum Remaldo secundo, ut Pontanus refert. Primam eam mutationem ab Ottone factam exertè Berchowius prodit.

Ottonis Lossensis facta altissimo pressa silentio, oblitterataque pleraque. Istud certum, Diplomati, quo Fredericus Lotharingiæ inferioris Dux, & Monasterii Stabulensis Advocatus, Ecclesiam de Sprimont & Allodium Jenapæ Monachis Stabulensibus anno 1067. donat, subscripsisse: cujus donationis si recensentur testes, Adelardus de Fiesen, Helfridus de Alneur, Comes Otto de Los, Evleboldus de Molis, aliique, neque commodè istud ad Ottonem filium referri possit, qui nimis quàm exertis verbis pluries Comes Durassius scribitur. Seriesque temporis eò usque extendenda, ut illâ non interruptâ, ad Arnulfum ipsius ex Emmone nepotem veniamus. De Emmone agemus lib. 5. De Ottone Durassio libro proximo, ea, quam ibi dabimus, de causa.

Herimannus Lossensis.

HErimannus, Arnulfi & Ottonis Comitum Lossensium frater, anno 1042, ut habet magnum Chronicon Belgii, septem Canonicatus in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & S. Odulfi Confessoris in Ecclesia Loscastrensi fundat. Bartholomæus Fisen ad annum 1014. inquit: *Adolescebat eâdem tempestate inter Christi tirones illustris juvenis Herimannus, Lossensis Comitis frater, qui posteà Leodiensis Canonicus & Archidiaconus, Ædem Loscastrensem sanctis Petro & Paulo & Odulfo olim conditam, novis amplificavit operibus, septenosque in ea Canonicos collocavit.* Quibus verbis Fundatio Canonicorum Lossensium insinuatur posterior, quod verosimilius. Floruit maximè sub Wazone, integerrimo laudatissimoque LII. Leodiensi Præsule, *cujus sepulchra*, inquit Ægidius, *nostris temporibus erant incognita hominibus, sed post concremationem, cùm Cæmentarii foderent fundamenta novi operis, inventum est ejus corpusculum in sacrophago marmoreo, habens titulum in hunc modum desuper scriptum:*

Miræus in notit. Eccles. Belgii fol. 362. cap. 146.

Antè ruet mundus, quàm surgat Waso secundus.

Theoduinus, Wasonis in Cathedra Leodiensi successor, dicaverat Hui anno 1066. Templum in honorem beatissimæ Mariæ Virginis sanctique Præsulis Domitiani, unà cum Lietberto Cameracensi Episcopo, ita distributis muneribus, ut Theoduinus statum inferiorem, Dominus verò Lietbertus statum superiorem Missarum solemniis consecraret: inque Ædem jam dicatam B. Domitiani sacrum intulere corpus rarâ totius Cleri, Populique religione; ac tertio Dedicationis die, anno sui Episcopatûs 19, eximii juris prærogativâ donavit Huienses. Ne religiosam Populi munificentiam ædificando Templo irremuneratam relinquere videretur; sanxit ergo ut quamdiù, Episcopo mortuo, teneret Interregnum, non aliis quàm suorum armis Huiensis Populus Arcem tueretur; Castrensibus item muniis quibuscumque ante octavum à suscepto bello diem non teneretur, ac tum deinde Leodiensem Populum præeuntem sequeretur: aliaque minoris momenti indulsit. Neve posteà prece vel pretio ista possint immutari; impressione sigilli sui prædicta voluit communiri, sub assensu & testimonio, tam Clericorum quàm Laicorum. Inter Clericos in capite positus primus fuit Herimannus noster Lossensis Archidiaconus, deinde Præpositus Godeschalcus, Wolbertus Decanus, Arstulfus Cantor, Franco Scolasticus, Bono Canonicus, Emmo & Wolbodo. Inter Laicos, primus Dux Lotharingiæ, Godefridus Barbatus, Comes Namurcensis Albertus, aliique. Certè necesse aliquid singulare fuerit in Hermanno, quòd & Præpositum, Decanumque præcederet, ista prærogativa ætatis? An quia Huyum ad ipsius spectabat Archidiaconi curam. Vitæ satur obiit, conditus in medio Odeo, sive Choro Ecclesiæ Lossensis, ubi expectat immutationem universæ carnis. Nunc ad Res Durassias, si fortè lectionis tædium varietas abstergat, digredior.



LIBER QUARTUS.

De Rebus Durassiis.

Singulari has Libro perlustramus, ut reliquæ Historiæ aliquod lumen adferant. Antiquissimam Comitatûs Durassii memoriam hæc carta è Tabulario sancti Trudonis deprompta continet. *In nomine Domini. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, quòd Godefridus Comes cum matre, nomine Herlinda, veniens ad Monasterium sancti Trudonis, positum in Sarchinia, super fluviolum Cisindriam, tradidit ad Altare ipsius Sancti, in usus inibi Deo deservientium, medietatem villæ Wilre nuncupatæ, in terra culta & inculta, &c. pro remedio animæ sui filii Adelberonis, quem eâdem die hâc 4. non. Novemb. ibidem sepelierant: eâ videlicet conditione, ut ipsa, quamdiù viveret, medietatem earundem rerum possideret; post obitum verò suum ipsi filio suo consepeliretur in eadem Ecclesia, &c. Acta sunt hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo vigesimo-quarto, 4. nonas Novembr., imperante venerabili & pacifico Henrico, ipsius Monasterii Advocato tum existente, Gisleberto ejusdem Dominæ Harlindæ filio, &c.* Quod ita interpretor, non quòd Gislebertus perpetuus foret Monasterii Advocatus; sed hâc dumtaxat vice, dum vice & nomine Monasterii, matris donationem acceptat, atque aliquantùm post eadem Domina Herlinda Comitissa, Mater Godefridi Comitis Durassii, de consensu filii sui, contulit B. Trudoni medietatem villæ *Peplyr* cum omni sua Justitia, & pratis, terris, aquis, ceterisque universis, pro Anniversario suo & filii sui primogeniti Adelberonis, Metensis Ecclesiæ Primicerii, pridem defuncti, qui ambo in una tumba consepulti sunt, infra absidem Monasterii, id est Ecclesiæ, vulgò Munster, juxta parietem, qui est versus Meridiem, ubi & Altare stat in honore B. Virginis. Ita Chronicon Harlindane. An verò maritus ejus (cujus nomen nusquam exprimitur) è Domo Lossensi originem traxerit, non liquet: illud intereà certum, & apud omnes qui unquam publica Comitatûs Lossensis Monumenta vel obiter inspexerint, indubitatum, Durachium, vel ut modò enuntiamus, Durassiam, semper fuisse Domûs Lossensis primum appenagium, ut vocant; sive Di-

tionis Loſſenſis partem ; vocanturque in Chronico Trudonenſi duo Giſleberti, Duraſſius Herlindæ filius, & alter Loſſenſis frater Baldrici Epiſcopi, cognatu ſanguineque conjunctiſſimi, ejuſdem igitur familiæ. Illud quoque ex ſuprà productis probo conſequens, Nerlindam anno 1024 fuiſſe viduam, quo filium ſuum natu maximum Adelberonem, Metenſis Eccleſiæ Primicerium, (prima eſt poſt Epiſcopum dignitas) ſepelivit in ſancti Trudonis Baſilica; ad hæc illi fuiſſe alios duos filios, Godefridum Comitem Duraſſium, & Giſlebertum Advocatum ſancti Trudonis, ab ipſis electum tantùm Monachis, quemque pro libitu negotiis adhibere ſuis poſſent. Godefrido ſine liberis mortuo in Comitatu ſucceſſit Giſlebertus frater, ſtirpemque per filiam propagavit, quam Otto Loſſenſis habebat tori ſociam. Cur verò illam potiùs Giſleberti ſcribam filiam quàm ſororem, ipſa temporis evincit ratio; quòd Otto vitam protraxerit ad annum Chriſti 1090. Ubi videbitur, neque ex Oda, ſi fuiſſet Herlindæ filia, Giſleberti ſoror potuiſſet ſuſcitare Giſlebertum Comitatûs Duraſſii, & Advocatiæ Trudonenſis heredem : ut qui patri Ottoni juvenis ſucceſſerit, ſupervixeritque annis minimùm 40.

Otto Comes Duraſſius conſtituitur Sub-Advocatus Trudonenſis.

ALbero, Metenſis Eccleſiæ Epiſcopus, pari cum Abbate ſancti Trudonis Juriſdictione in ſancti Trudonis Oppido fruens; cùm pro ſingulari ſua erga Monaſterium pietate & benevolentiâ, quò poſſeſſiones ejus tutiore forent loco, remotioreſque ab iniqua invaſione, & tyrannide Præpotentum, illius armatum Advocatum, ſeu Defenſorem anno 1059. deſignaſſet Fratrem ſuum Fredericum, Lotharingiæ inferioris Ducem; ille quòd gravioribus ſæpè Imperii teneretur negotiis, neque Trudonenſibus ſemper commodè adeſſe poſſet, ſubitòque emergentibus occurrere difficultatibus, ſuum Sub-Avocatum perpetuum beneficio clientelari, non prout ſuprà Giſlebertus pro ſingulari negotio fuerat, inſtituit Ottonem Comitem Duraſſium, ex Loſſenſi Familia, in vicinia ſancti Trudonis, tum opibus, authoritateque pollentem : atque hac ratione Tabulas ejuſdem Alberonis ſignat, quibus ille, Adelardo & fratribus rogantibus, ſcrutum cereviſiæ à prædeceſſore ſuo Theodorico eidem Monaſterio datum anno 1046, confirmat. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1060, coram idoneis

idoneis testibus, quorum nomina subternotata. Nomina Nobilium; signum Advocati, Ducis Frederici; signum Sub-Advocati, Comitis Ottonis, Hermanni Comitis, signum Richuini &c. Quid verò sit scrutum, sive jus gruttæ, ut hoc obiter dicam, didici ex Diplomate Ottonis III. Cæsaris dato anno Christi 998. apud Hedam, mihi fol. 95, quo Ecclesiæ Ultrajectinæ confirmat quasdam possessiones; has inter Telonium monetam, & negotium generale fermentatæ cerevisiæ, quod vulgò *Grutt* nuncupatur. Atque ab illo tempore manserunt primùm Duces Lotharingiæ, deinde Duces Limburgii, eundem aliquando Ducatum adepti ab Imperatore Majores-Advocati Monasterii sancti Trudonis; Durassii verò Comites eorundem hac in parte Clientes Minores, sive Sub-Advocati, donec Comitatus rursus ad Domum Lossensem rediit: tum & Comites Lossenses Sub-Advocatiam Trudonensem obtinuerunt, hodieque possident. Advocatia verò nihil Jurisdictionis tribuit, sed jus tantùm tuendi & protegendi: & veluti Togati Advocati, sive Patroni, non gratis patrocinantur suis Clientibus, eorumque causas agunt; ita & olim decretum, ut Advocati armati habeant ex mulctis criminalibus, tribus placitis generalibus & magno banno tertium denarium: quàmvis aliqui Advocatorum titulo adeò Monasteriis exstiterint graves, imò prorsus intolerabiles, ut multò præstiterit nuuquam ejusmodi obtinuisse munus. Hac non abs re præmittenda duxi, quòd deinceps Advocati & Sub-Advocati Trudonensis fiet mentio. Jura ad Monasterii Trudonensis Advocatum, & Sub-Advocatum pertinentia explicat Albero III. Metensis Episcopus: *Ego Albero Metensis Episcopus. Notum esse volumus omnibus, nos in Villam sancti Trudonis, quæ Sarchinium dicitur, venisse, & ob contentionem inter Germanum meum Ducem Lotharingiæ Fredericum, & Abbatem sancti Trudonis nuper exortam in Advocatione ejusdem loci (quam eidem fratri meo dederam in beneficio,) quid nostri, & Advocati juris esset in ipsa Villa, vel in reliqua Abbatia ad nos attinente, Majores natu consuluisse, ut supra hoc negotio quidquid à Majoribus suis didicerunt, vel ipsi usque ad illud tempus tenuerunt, fideliter proferrent; qui sacramento adstricti protulerunt, quasdam curtes esse in ipsa Abbatia, id est Burlon, Lare, Mere, Wilere, Richem, Stadem, Halemalle, in quibus nunquam à meis Prioribus aliquid concessum est Advocato: quia eædem stipendiis adscriptæ Fratrum, nulli alteri abaudire debent, quàm Præposito, & ejusdem Monasterii Cellerario; in Villa autem sancti*

Trudonis, vel reliquis Abbatiæ Villis, professi sunt, ipsi Duci, qui Advocatiam in benefico tenebat, sive Advocato ab ipso constituto, ex tribus generalibus placitis à magno banno, si quis fortè intra Villam occisus, vel vulneratus fuerit, tertium denarium debere assignari; reliquos autem duos, vel mihi, vel Abbati. Cæterùm testati sunt Abbatis, vel Villici mei esse arbitrii, ut quidquid libuerit sine Advocato possent placitare; scilicet de terris, de domibus, de alienis uxoribus ducendis, de familiis, nisi grandi fortè exigente negotio, ab Abbate, vel Ministro meo ad rem discutiendam invitatus fuerit. His ita inquisitis & collaudatis aliquanto tempore post decessum dicti fratris mei, iterùm iisdem qui priùs in præsentia nostra in Castro nostro Salembrucca venire jussi, præsente Domino Udone fratris mei successore, eandem Advocatiam in beneficio à nobis habente, & Otthone Sub-Advocato, eadem tunc utique sunt professi: quapropter fidelibus nostris, qui tunc temporis aderant, consilium præbentibus, quorum nomina infrà notari jussimus. Nequis hoc postmodum audeat infringere; placuit tam præsentium, quàm futurorum, memoriæ commendare. Actum in dicto Castello Salembrucca, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo-quinto, Indictione III, regnante Henrico III.

Albero, Metensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsit, Adelbero Primicerius, Theodoricus nepos ejus, Gernoldus Archidiaconus, Odelricus frater Ducis Gerardi, Fredericus Stermannus, Reguinus, Otto, Bardo, Bernardus, Stephanus, Gruntrannus, Wigericus, Hermannus, Hugo, ego Gislebertus ad vicem Domini Siefridi Metensis Ecclesiæ Cancellarii, subscripsi Lambertus Homuncio.

Ottonis Durassii Comitis uxor.

NE verò commentum videatur, Ottonis Durassii uxorem vocatam fuisse Odam; en tibi testem irrefragabilem Rudolfum Abbatem sancti Trudonis, Chronici sui Lib. 9. cap. 1, ubi enumerato bonorum suorum catalogo, inter possessiones deperditas primo loco illud recenset, quod Comes Otto & filius ejus Gislebertus de Durachio, ille pro anima uxoris suæ Odæ, iste pro anima matris, tantùm Allodii Monachis sancti Trudonis dederint in villa de *Mildreges*, non longè à villa *Lincholt*, quòd singulis annis valere posset, præter censum, prędium, linum, pullos, ampliùs viginti solidos, ut memoriam ejus anniversariam age-

rent; miniſtrareturque illo die Fratribus charitas de vino & piſcibus in refectorio. Sed cùm Rudolphi tempore periiſſet illa hereditas, ſubjungit: *Diem anniverſarii quidem agimus, ſed charitas debita non impenditur.* Et quia ex ejuſdem Chronici lib. 4. cap. 4. conſtat, Ottonem illum vitam protraxiſſe ad annum 1090, ubi ſcribit, Lemponem pſeudo-Abbatem & Stepelinum Monaſterii ſancti Trudonis perturbatores, Leodium evocatos ad audientiam ab Henrico Epiſcopo. *Quos excipiens Epiſcopus*, inquit, *in clamoſa voce & gravi indignatione, ait ad Leuponem: Tune ille Leupo, veriùs Lupus Dominici Ovilis, qui me coegit ire ad ſanctum Trudonem, & pro peccatis meis totum illud oppidum, necnon Eccleſiam B. Virginis incendere? Ad Stepelinum autem converſus: Tuque* (inquit) *inveteratus dierum malorum canus canis, quid debacchans in reliquias patentis ruinæ, & miſerandæ deſolationis? Reſpondereque volentes dedignatus eſt audire; ſed ſibi aſtanti Advocato noſtro Ottoni patri Giſleberti minaciter ait: Præcipiendo præcipio tibi ut pacem facias Eccleſiæ ſancti Trudonis de iſtis duobus Dei inimicis.* Leupo enim, ſuaſore Stepelino, vi Abbatiam invaſerat. Trudinopolis ab Henrico Epiſcopo anno 1085. obſeſſa, deditaque à Bruſtemienſibus, Trudonenſium ab antiquo hoſtibus, ferro flammâque everſa, ſęviſſimèque in dedititios graſſatum fuerat: inde poſteà totâ patriâ factiones & cędes. *Quos*, inquit Rudolfus, *in multa malorum ſuorum confuſione ad Domum noſtram Leodii reverſos Giſlebertus filius Ottonis Advocati noſtri, ſtatim è veſtigio proſecutus, graviter cæſos, fœdèque laceros domo ejecit, tollens eis paleſridos, & quidquid præter ſimplicem veſtem habere viderentur: igitur Stepelinus ſe Moſam contulit, Leupo Lovanii manſit.* Hæc ille, ex quibus clarum evadit, Odam marito ſuo præiviſſe ad alteram vitam, conditamque ſepulchro parentum ſuorum ad ſancti Trudonis, filiumque poſt ſe reliquiſſe Giſlebertum, qui patri ſucceſſerit. Fuit eis pręterea alter filius, Cono de Duras, Dominus de Repe, ſive Otrepe, Diepenbeck & Schans, qui deinde factus eſt ſancti Lamberti Canonicus. Tabulas ſignavit anno 1140. quibus Albero Leodienſis Epiſcopus donationem Manaſſis Domini de Hierge in ditione Leodienſi, profecturi in Siriam, Monaſterio Bronienſi, hodie ſancti Gerardi juxta Namurcum, confirmat.

Gislebertus secundus, Comes Durassius & Advocatus sancti Trudonis.

UXor Gertrudis, Cononis Montis-Acuti, & Idæ sororis Godefridi Bullionii filia; liberi Otto, Gislebertus, Gerardus, Theodoricus, Bruno, Juliana & N. nupta Domino de Corthesem. Mortuo Adelardo II. Abbate anno 1082, nobilissimum sancti Trudonis Asseterium in magnam calamitatem incidit: quatuorque, sed nullus eorum canonicè electus, de Pedo decertabant; Lantzo; Abbas sancti Vincentii Metensis; Leupo, & duo Herimanni, patruus & nepos. Tenuitque hæc contentio & digladiatio ad annum 1099. stilo Romano, quo Theodoricus sancti Trudonis Monachus, sed Gandavi in Monasterio sancti Petri, iniquâ persecutione pseudo-Abbatum exulans, revocatur ad Pedum legitimis suffragiis, & Sacerdotio Abbatiâque initiatur Leodii ab Oberto Leodiensi Antistite 3. idus Februarii. Huic tum sub initium sui regiminis magno presidio fuit Gislebertus Durassius, Monasterii Sub-Advocatus, egregièque contra Herimannitas eum tuitus; qui, autore Herimanno Juniore exauctorato, nihilominus non cessabat negotium facessere. Jam pridem illum quidem Arnulfus Lossensis Comes ab Abbatia anno 1087. armis depulerat, coegeratque secedere apud Henricum II. Comitem Limburgicum, ubi hactenus veluti in asilo delitescebat. At cùm Henricus III. Imperator ex Germania anno 1101. venisset in inferiorem Lotharingiam, Paschaque Leodii celebraret, unus illi adhuc ex suis Principibus & Episcopis resistebat Limburgius, partesque Henrici IV. sequebatur, filii scilicet contra patrem, jam pluries à Gregorio VII. Pontifice diris devotum. Quod Henricus Senior Imperator haud diutiùs ferendum ratus, vi aggredi placuit, Fœderatosque advocans Fredericum Coloniensem Archiepiscopum, Obertum Leodiensem, Buchardum Monasteriensem, Cononem Wormatiensem, Adelberonem Metensem, Walcherum Cameracensem, Episcopos, Fredericum Ducem, Marchiones Burchardum & Herimannum, Comites Seifridum Palatinum, Albertum Namurcensem cum filio Godefrido, Godefridum Lovaniensem, Arnulfum Lossensem, & Gerardum Wasimburgensem. Horum auxiliis Henricum Limburgium ad officium compellere constituit, obseditque validissimam ipsius Arcem & Oppidum Limburgum; ad cujus muros dum

aliquamdiù sedet, medio mense Maio ad eum venit cum Oberto Leodiensi Episcopo Fulcardus Abbas Lobiensis ; & suffragantibus omnibus illis Principibus, se suaque omnia in Cæsaris fidem recipi obtinuit, Tabulisque quibus Cæsar privilegia Abbatiæ Lobiensis confirmat, subscripserunt. Actum in obsidione Castri vocabulo *Lemborck* ; item postridie, id est 18. Kalendas Junii, Andennam villam, ab Alberto III. Comite Namurcensi Virginibus in Ecclesia Andennensi Deo famulantibus restitutam, idem Imperator approbat. Easdemque Tabulas inter alios signarunt Comes de Los, Arnoldus, & Gislebertus filius Comitis Ottonis, qui & huic expeditioni Cæsaris contra Limburgum interérant. Diplomata Miræus exhibet cap. 122. in Notitia Ecclesiarum Belgii.

Paucis post diebus Limburgum expugnavit Henricus Senior, cæteraque Limburgii Præsidia redegit in potestatem ; sed explorato hominis ingenio, cùm conatibus suis deprehendit aptissimum, cujusque ope securè uti in omnibus suis machinationibus posset, ideoque facili in gratiam recepit negotio : & quò sibi arctiùs devinciret, vacantem inferiorem Lotharingiam (Godefridus siquidem Bullionius, Lotharingiæ Dux, & Rex Jerosolimitanus, obierat) illi clientelari beneficio tradidit ; atque ex eo tempore Comites Limburgii deinceps se Duces scripserunt quàmvis, anno 1106. Henrico seniore Leodii mortuo, illique in Imperio succedente filio Henrico IV, ab eodem Ducatu Lotharingiæ, ob perfidiam, quòd se relicto, cui sacramentum dixerat, descivisset ad patrem ; fuerit exutus, indeque Ex-Dux fit cognominatus.

Jam ad institutum redeo. Limburgius illâ Ducatûs dignitate auctus, animo elatior, neque cùm se pro Duce modò gerebat, sed quasi pro Rege, quòd Romanorum Imperatorem armis contra filium adnitaret, poneretque extra periculi metum ; omnia quæ liberent sibi putabat licita : nec diù cunctatus, Herimannum reducit Oppidum, Monasteriumque sancti Trudonis, ingenti stipatus militum manu, invadit, & Abbatiali Triclinio colat. Theodoricus Abbas, instantis periculi admonitus, nec vasibi metuens, tempori recesserat ad Gislebertum Durassium Monasterii Advocatum.

Qui haud segniter rem gerens, evocato in auxilium Godefrido Barbato Lovaniensi Comite, armatisque suorum quadrin-

gentis, parabat vim vi repellere, cumque Limburgio conserere manus: cui Godefridus quoque aliunde infensus erat, quòd se præterito, Lotharingiam à Cæsare obtinuisset; sed priusquàm ille cum copiis adventaret, Limburgius Oppido excesserat, relictis ex suis qui Herimanno sint præsidio: quos tamen Durassius nihil metuens, Theodoricum reducit, magnâque Cœnobitarum & Civium aggratulatione & gaudio excipitur, qui uno omnes ore exoptatissimum suum Prælatum deprædicabant, virumque eruditione & morum integritate eximium ferebant in oculis, parati etiam pro illo certaminis subire aleam. Comitabantur correptis armis primi Civium: & ferè erat ut antè Signario Guntramno, viro bellicoso, fidelissimoque sancti Trudonis Cliente, Conclave Abbatiale perfringerent, Herimannumque cum suis ibidem desidentem obtruncarent; nisi illum militarem & efferatum animum Theodorici melle dulcior delinivisset oratio, & modò Durassium, Guntramnumque modò obtestatus per omnia christianæ pietatis rogasset sacra, humanum suâ causâ non effunderent sanguinem. Tolerabatur intereà ibidem Herimannus, donec adventante non diù post ad sancti Trudonis Cæsare, ipse Abbatis Triclinium deserere cogitur, pulchroque stratagemate à junioribus Monachis prohibetur regredi, necesseque fuit sibi fugâ consulere: & quàmvis hoc factum Limburgius molestè ferret, vindictamque spiraret animo, præcipuè quòd Gislebertus suus Sub-Advocatus contra se corripuisset arma; attamen vix vertente anno delinitur muneribus, cumque Theodorico & Durassio redit in gratiam, obtentâ ab Abbate facultate, ut Herimanno redire ad Monachorum contubernium liceat, antè actorumque abolitâ memoriâ, privatò ibidem degere.

Quod Theodoricus pro innata clementia haud gravatè indulsit; sed cùm erga Durassium foret parcior, qui ingentem pecuniæ summam pro belli impensis exigebat, minitabatur ille se deinceps Hermanno adhæsurum; donec exolutâ pecuniâ, amicitia rursus Abbatem inter & Durassium coalvit. Nescio unde Author Compendii Historiæ Leodiensis universæ ad hunc annum 1102 hauserit quòd Lovaniensis & Durassius Comites Trudonopolim incenderint; cùm non aliud Monumenta sancti Trudonis quàm quod diximus referant, neque de Oppidi exustione id temporis ulla fiat mentio.

Horribili quâdam tempestate Navis sancti Trudonis annos ferè

totos septemdecim jactata, tranquilla quidem in statióne, jam ab anno 1099, quo Theodoricus Abbas inauguratus fuerat steterat; sed ut solùm Monachalis Disciplina turbulentissimo illo tempore plurimùm laxata, imò prorsus dissoluta, necdum ad pristinum nitorem redierat, vigebant adhuc mali aliqui mores, pulcherrimaque illustris Abbatiæ facie apparebant turpes nævi; Rodulfus, qui deinde Theodorico anno 1108 successit Abbas, vir scientiâ æquè ac zelo Religionis præstans, Prioremque, ut vocant, tum agebat, Theodorico persuasit Reformationem Cluniacensium in Burgundia, tum temporis famâ sanctitatis toto Orbe celeberrimorum, in Asceterium suum introducere, illo præcipuè usus argumento, quòd illam Abbates sanctorum Laurentii & *Jacobi* jam pridem admisissent, quos Abbas sancti Trudonis tam longè præcederet opibus temporalique jurisdictione, nihil concederet, majorisque fieret in sæculo; indignum fore, si posthac regularis vinceretur disciplinæ observantiâ, & qui præferretur dignitate, aliis postremus foret suos reformandi studio. Persuaserat Rudolfus, inquam, & sub finem anni 1106. Usus, sive Disciplina Cluniacensium quoque in sancti Trudonis introducta. Exclusæ in primis à Claustro familiæ, adacti ad silentium solitudinemque Monachi; accisa cum sæcularibus familiaritas: & quod Rudolfo conciliare debuerat omnium benevolentiam & venerationem, haud paucorum odium peperit, atque in primis Gertrudis Gislebertti Durassii conjugis, cui antehac omnia Monasterii loca ita patuerant, ut etiam Ecclesiæ clavem haberet, mulieris & genere & opibus illustris, ita minùs quàm arrogantis & impotentis animi illa adversus eum ita conjugem suum commovit, nam exiguo reverà judicio erat, atque iræ retinax, ut cum eo quoad ipse vixit, nunquam inimicari destiterit, odioque plusquàm vatiniano magnisque prosecutus sit injuriis.

Hinc mortuo eodem anno Leodii Henrico III. Imperatore, cùm Henricus Limburgius Henrico IV. jam sine æmulo Cæsari pœnas dedisset, quòd se contra Parentem concitasset, turpique mox levitate deseruisset: peractum enim reum majestatis custodiam dederat, quam cùm evasisset, mulctavit Ducatu Lotharingiæ, illumque dedit Godefrido Barbato Lovaniensi Comiti ex quo ipsi posterique omnes ad nostram ætatem Lotharingiæ, sive Lothici, imò & Brabantiæ Duces appellati sunt, qui antè nonnisi Lovanii indigitabantur Comites. Cùmque Limburgius, se-

ipſum nequaquam deſerens, anno ſequente arma pro Ducatu Lotharingiæ corripuiſſet, occupaſſetque Aquiſgranum, Godefriduſque Lovanienſis advolaret cum exercitu, illi ſe Giſlebertus Duraſſius, ſuis ſtipatus Familiaribus, dat comitem, pravâque ipſius ſuggeſtione, primò Oppidum Trudonenſe, cujus Limburgius foret Major-Advocatus, expugnat, diripitque. Inde digreſſi Aquiſgranum recipiunt, ipſo Limburgio fugâ vix elapſo; ſed plurimis ex prima Nobilitate, uxoreque illius & filiabus captis, quas non aliâ conditione quàm ſacramento rogatas, has etiam muneribus dotatas Godefridus dimiſit. Ita viribus Limburgii acciſis, ſuas auxit, ſibique Ducatum confirmavit. Ita Duraſſius invidiæ odiique ſui virus in innoxios effudit, Cluniacenſemque Reformationem ulciſci voluit.

Eodem anno 1107, 7. Calend. Majas Theodoricus Abbas obiit, legitimiſque ſuffragiis Rudolfus eligitur: intereà Herimannus ille, de quo ſuprà, Abbatiam ſibi ab Imperatore dari obtinet, illumque Giſlebertus & conjux ejus amplexi, Domum deducunt; ſed Monachi Civeſque adeò averſabantur, ut nemo ferè illorum dignaretur alloquio, nedum ullo fidelitatis ſacramento, quòd foret illâ dignitate non modò indignus, ſed remotus à Fidelium cœtu, prorſuſque incapax: nec Obertus Leodienſis Antiſtes, licèt recenter Cæſari reconciliatus, auderet metu Sedis Apoſtolicæ illi munus benedictionis impendere. Commodum tum quoque accidit, ut Fredericus Archiepiſcopus Colonienſis, Godefridus Barbatus, Dux Lotharingiæ & Brabantiæ; Comites, Godefridus Namurcenſis, & Arnulfus Loſſenſis, copias ſuas Virdunum ad Imperatorem mitterent. Loſſenſi ſe junxit Rudolfus Electus, in columiſque, pluribus in itinere defunctus periculis, pervenit Metas, ratamque haberi ſuam Electionem ab Epiſcopo, qui Oppido ſancti Trudonis cum Abbate Condominus, obtinuit, quàmvis Giſlebertus contrà ſcripſiſſet, ipſius Electionem haud canonicam, ſed veritas obtinuit.

Priùs quam tamen anno 1109, ſeptimo Calendas Martii, beneficium Conſecrationis Abbatialis conſecutus eſt, quamplurima ab eiſdem perpeſſa gravia pertulit, quòd quererentur ſe ab eo deluſos reſponſione ambiguâ, quaſi res Herimanni futuræ eſſent in tuto, modò tenori Epiſtolæ Epiſcopi Metenſis acquieſceret, quâ ſcribebatur Rodulfo, ut acquieſceret: cùm enim ſuaderet ab impetu deſiſtere, Superioribuſque obedire: *Comitiſſa Gertrudis*

trudis (inquit Rodulfus in Chronico) *sentiens quia & antè illusissem iratum in me Comitem Gislebertum maritum suum, indignatione femineâ vehementiùs cœpit acccendere; ita etiam, ut intra parietes dissipati Claustri non auderem me credere, intraque ipsum Monasterium timerem capi. Quod, vitæ meæ timens plurimùm, cùm diutiùs sustinere non possem, tacitè egi per Comitem Lessensem Arnulfum, ut me suo conductu sanum de Claustro nostro educeret, animamque meam eriperet de medio catulorum leonum. Eduxit igitur me 4. Calendas Septembris MCVIII. tristem vehementissimè, quòd locum consuetum relinquerem, & ad juvenes erudiendos multùm desudaveram, ad omnemque Congregationem, in qua plurimùm laboraveram, non ultrà redeundi spem haberem.* Hæc ille. Sed nequaquam spe excidit: paulò siquidem post Leodii in Conventu Cleri Metensis & Leodiensis, Herimannus jussus causam dicere, abjudicatur ab ipso Imperatore, dignoque mulctatur exilio; qui ad Cellam sancti Simphoriani, in silva supra Leodium, juxta Clarum-Montem secedens, nonnisi supervixit quinquennio, fatalique correptus morbo, reconciliatur Rudolfo Abbati per Internuntios.

Anno 1114. Gertrudis quoque naturæ debitum persolvit, sepultaque in sancti Trudonis Basilica; cumque illa mariti odium erga Rudolfum aliquamdiù quievit, donec rursus novâ oblatâ occasione recruduit.

Anno 1119, Oberto Leodiensi Episcopo mortuo, longa fit inter Alexandrum Archidiaconum & sanctum Fredericum de Episcopatu disceptatio. Pro illo stabant cum omnibus suis Godefridus Comes Lovaniensis, tunc temporis Ex-Dux, Gislebertus Comes Durassius, Leodiensis Militiæ Signifer, Renerus de Monte-Acuto, Comes Lambertus, & pene tota familia Ecclesiæ totis adnitebatur viribus. Frederici partes sequebantur Godefridus Comes Namurcensis, cum suis, sed non omnibus, Waleramus Dux Limburgius, tota Civitas Leodiensis, exceptis paucis, Primarii Abbates & Archidiaconi, potiorque totius Cleri pars. *Solus Arnulfus Comes Lossensis inter utrosque medium se tenebat*, inquit Chronicon, *Frederico tamen magis obtemperans ex Domini Papæ obedientia, quàm Alexandro ex Imperatoris violentia. Illi Alexandrini; hi appellabantur Fredericini; obtinueruntque in Aula Pontificis victoriam: Fredericus siquidem Rhemis consecratus fuit ab ipso Papa Callisto XI. Leodiensis Episcopus, excommunicatus Alexander cum suis. Hinc tanta in Clericos & Monachos exarsit persecutio,*

quanta vix audita est (inquit Rudolfus) *à temporibus Arianorum*.

Inter hæc Giflebertus Abbatem sancti Trudonis, quòd nollet communicare excommunicatis, fidemque servaret Romanæ Ecclesiæ, suo expulit Monasterio; qui certus omnia, quantùmvis atrocia, pro obedientia Romani Pontificis perpeti, concessit Gandavum ad Monasterium sancti Petri in Monte Blandinio: inde post quinquemestre Domum reversus, sibique graviora (quàmvis ab ipso Alexandro revocatus) ab Alexandrinis metuens, cum Frederico Archiepiscopo pervasit Coloniam, hospitioque excipitur à Ruperto, ex Monacho Laurentiano Abbate Tuitiensi, nec diù post designatur quoque, adnitente Archiepiscopo, Abbas ad sancti Pantaleonis. At maluit anno 1123, quo designatus Albero Leodiensis Episcopus, redire ad sancti Trudonis, posteaquàm fraude & violentiâ Gisleberti exulasset annis duobus, quinque mensibus.

Rudolfo absente, Otto duxit uxorem Bertham, celebratæque fuerunt nuptiæ in ipsa Abbatia, profanataque certa turris, quam ea de causa Abbas, suis deinde redditus, demolitus est.

Beatæ Mariæ Cœnobiolum, quod Prioratum dicunt Bertreiæ, condidit Walterus Trudiginius anno 1124, Cluniacensibus dedit. Hujus donationis fuerunt ex nobilibus atque illustribus Viris testes Godefridus Comes Namurcensis, Gislebertus Comes de Durachio, Lambertus de Monte-Acuto. Graviter deinde Abbas expostulat oppido, suisque possessionibus quater illatam vastitatem à Gisleberto. 1o. Anno 1102, ut dictum est. 2o. Tempore Alexandrinorum diris devotorum, quibus ille adhærebat. 3o. Anno 1129, quando summè infensus Trudonensibus damnatusque ab Episcopo Metensi & Leodiensi, bellum movit, auxiliantibus Duce Lovaniensi & Comite Flandriæ. Qui tamen omnes victi ab Alexandro Leodiensi Antistite, prope Durassium, ipsiumque Ducis Prætorium Vexillum captum est. Audiamus Trudonense mss. Chronicon. *Gislebertus commonitus humiliter ab Abbate Rudolfo, increpatus frequenter à Limburgensi Duce Domino suo Waleranio, proclamante etiam super ipsum Domino nostro Episcopo Metensi, tandem pro pertinacia & contumacia legitimo judicio abjudicatur ab Advocatia. Et quia erat homo pertinacis animi, & non multi consilii, contigit ei sub eisdem diebus, ut exigentibus suis culpis, exueretur Comitatu, & Beneficio quod obtinebat à Leodiensi Ecclesia, proclamante ipso Alexandro Episcopo. Et partibus quid faceret, vires, quibus supradictis*

Dominis resisteret, non suppetebant; nimia tamen animositas eum quiescere non sinebat.

Contulit se igitur ad Ex-Ducem Lovaniensem Godefridum, Regni & Imperatoris inimicum, ob Lotharingiæ Ducatum, qui ei à Lothario abjudicatus fuerat, datusque Waleranio Limburgensi Comiti, Advocato nostro Majori. Calamitas hujus dissentionis maximam partem Ecclesiæ nostræ incubuit: quæcumque enim ex prædiis nostris, possessionibusque subjacebant Gisleberto, aut Ex-Duci, vastata, aut igni tradita; quantòque nobis viciniores, tantò & infestiores. Solum restabat nobis Oppidum & Monasterium, quibus necdum audebant profanas injicere manus. Habebat verò Gislebertus in animo, quia Oppidum sine ulla munitione erat, in ipsum suas, Lovaniensiumque vires introducere, oppidanosque hospitii dissipatione gravatos postremò captivos abducere; sed providentia Abbatis improbos ipsius conatus prudenti prævertit consilio: tantùm enim obtinuit apud Metensem Episcopum Stephanum, ut ipsius commendatione, Alexander Leodiensis Antistes Abbatiam nostram & oppidum sub suo susceperit patrocinio, arctumque inierit fœdus nobiscum & civibus. Tum verò cœpta renovari fossata Oppidi, adeòque validâ firmarunt munitione, ut similem in plano terra nostra nunquam viderit: quamobrem in majus quotidie dissentio, hinc furente Ex-Duce, illinc Gisleberto, ut substantiis Monachorum & Clericorum, tam in villis quàm Ecclesiis, nullâ aliquâ ratione parcerent; omnis ætatis, sexûs & ordinis abducebantur captivi, nec ullius erat miseratio. Qua etiam de causa uterque innodatus excommunicationis vinculo, obsidetur posthæc Durassium ab Alexandro, & Limburgensi Waleriano anno 1129: ad cujus liberationem Lovaniensis movit exercitum, cumque eo Theodoricus Flandriensis Comes. Durum commissum est prælium ante Castrum, acerrimèque pugnatum. Victi fugerunt Lovaniensis & Flandriensis Comites. Exciderunt ex hostibus supra quadringentos. Rediit circa Castellum obsidio; sed diù teneri non potuit, propter instantem messem in Augusto. Dissoluta est ergo Tyrannorum conspiratio; nec diù post Lovaniensis & Durachiensis Domini, & qui cum ipsis erant excommunicati, venerunt Leodium; & ecclesiasticam facientes satisfactionem, acceperunt absolutionem, & emendationem promiserunt.

Isthæc quàm accuratè & eleganter describat omnia Bartholo-

mæus Fisen lib. 9. Historiæ Leodiensis §. XXXIX. videamus. *Turbinem atrocem*, inquit, *suscitavit Gislebertus Durassii Comes, vir opibus & genere potens, sed mente judicioque tenui, atque iræ tenax; odium semel animo receptum non facilè ponebat. Ante annos quatuor & viginti Trudonem oppidum unà cum Godefrido Barbato ceperat, diripuerat, incenderat. Cladis illius inferendæ causam nullam invenio. Tot annorum lapsu nihil demulcebatur Comitis animus: odium exercere pergebat, Trudonensesque, quoties occasio daret, infestabat. Rogavit Abbas Rudolfus, omitteret hostilia in immerentem populum: cùmque frustrà fuisset, adiit ad Waleranium Limburgii Ducem, de vi querelas depositurus. Erat Limburgius Monasterii oppidique Tutor, Advocatum dicebant, sibique substituerat Comitem Durassium, Sub-Advocatum appellabant. Ferocem hominem non infregit Ducis authoritas: diem ergo dixit Stephanus Metensis Episcopus. Oppidi Dominum ab antiquo suprà commemoravimus, contumacem damnavit Episcopus, Trudonensique tutelâ sive Sub-Advocatiâ mulctavit. Fortè sub idem tempus Trudonenses aliquot Cives Leodio redibant ab antiquo mercatu; intercepit Durassius, pecuniâque & vestibus spoliatos malè habuit. Violatam mercatûs Leodiensis libertatem, atque ideo vindicandam censuit Alexander Episcopus. Gislebertum in judicium vocat, ad pacem Leodiensem; causamque dicere detrectantem, ac condemnantem, Beneficiis omnibus exuit. Durassio vires non erant quas Episcoporum, aut Limburgii Ducis objiceret potentiæ; nec tamen quiescere sinebat animi impotentia: Lovaniensem adversus Limburgium æmulum suum non difficulter suscitavit. Icto fœdere conjurati Trudonem omnibus munimentis nudatam invadere constituunt. Antevertit prudentiâ suâ Rudolfus Abbas, vir religione & sapientiâ spectabilis, atque Scriptis in posteritatem clarus. Is Episcopo Metensi author fuit, ut uno consilio cum Episcopo Leodiensi Alexandro societatem & amicitiam jungerent, quo Leodiensium Trudonensiumque armis conjunctis, hostem propulsarent. Quâ fiduciâ Trudonenses recreati, fossam purgare, vallumque multis jam locis prostratum restituere cœperunt: quamobrem spe suâ dejecti hostes, in agros effundunt, quem in oppidum conceperant animo furorem; qui rem omnem agrariam ferro flammâque sæviunt, imò & in corpora, nullo ordinis, ætatis, sexûsve discrimine. Severâ sacrorum inhibitione, Ducis Comitisque consilio, & hostiles ausus castigavit Alexander. Et quia provectiorem Durassii impotentiam animadverterat, quàm ut sacrorum dumtaxat armorum religione coerceretur, Arcem Durassiam obsidione cinxit, advocato in auxilium Limburgio. Neque fidem suam à*

ſocio Comite deſiderari Dux paſſus eſt : advolavit cum ſuis, Theodoricique Flandrorum Comitis auxiliaribus copiis. Pugnam Alexander non detrectabat; cæſiſque hoſtium plus quadringentis, cæteros in fugam avertit. Ubi conatus ſuos non procedere Dux ſenſit, Leodium infeſta ſigna movit, quo ad ſua tutanda revocaret Epiſcopum; verùm & invadentem exceperunt fortiter Leodienſes, & obſidionem Epiſcopus nequaquam ſolvit. Ergo copiis omnibus decernere ſtatuunt; diem Epiſcopo dicunt 7. idus Auguſti; locum campum Willerianum, qui proximus eſt Arci Duraſſiæ. Victoriam ab exercituum Deo ſciebat Alexander impetrandam : triduanum ſuis indixit jejunium, ſupplicationeſque conciliando Numini. Conſtituto die campoque pugnatum eſt à Brabantis acerrimè, Epiſcopique aciem inclinarunt primùm; ſed locum ſuum generosè tenuerunt Hoienſes, & cum illis Arnulfus Comes Loſſenſis, & pauci è Nobilitate; reſtitutiſque eorum virtute ordinibus, hoſtem denique pepulerunt, editâ ingenti ſtrage. Perierunt ex hoſtibus nongenti, quadraginta-duo, præter eos qui vel ſtagno propinquo abſorpti ſunt, vel in fuga inter ſilvas ſegeteſque, aut domi vulneribus confecti, vitam amiſerunt. Vexillum Ducis Prætorium cepere Leodienſes, quod opere plumario ſcitè elaboratum, dono dederat Angliæ Regina. Boum quadrigâ vehebatur, cuſtodiebaturque Coborte Prætoria; quod multis deinde annis deportari ſolemne fuit iis Supplicationibus, quas Rogationum appellamus. Campus porro in quo captum fuit Vexillum, vernaculum ab incolis nomen Standar *accepit, tenetque. Paucis poſt victoriam diebus in Alexandri poteſtatem venit Arx Duraſſia, parta Eccleſiæ Leodienſi nobili triumpho.* Hæc ille.

4to. Demum malè Trudonenſibus ceſſit, quòd Giſlebertus offendiſſet Ducem levi de cauſa, nolens illi abaudire; data offenſionis cauſa ab ovo. Ex Chronico erat genus mercenariorum ex lana & lino telas texantium, quod vulgò reputabatur procax & ſuperbum. Ad horum ulciſcendam procaciam & ſuperbiam pauper quidam ruſticanus, ex fano ſancti Cornelii juxta Indam oriundus, duobus ſupra Aquiſgranum milliaribus, hanc diabolicâ inſtructione excogitavit technam. Illud, ut commodè poſſet, ſibi in primis conciliavit favorem Potentiorum, aſſumptiſque leviſſimis quibuſdam hominibus, qui jocis delectabantur & novitatibus, ædificat in proxima ſilva naviculam, rotiſque impoſitam, quaquà verſus duxtilem conſtruit. Obtinet deinde à Poteſtatibus, ut injectis funibus, trahatur à Textoribus Aquiſgranum, ubi magnâ hominum utriuſque ſexûs excepta proceſſione; coactique Textores

etiam Trajectum pertrahere; ibique emandata, & malo veloque insignita, pergit Tungrim, inde Loscastrum, ac demum Trudinopolim. Rudolfus Abbas audiens navim illam infausto compactam omine, malâque agitari alite, Gentilismumque redolentem nostro adventare Oppido, præsago denunciabat civibus spiritu, ne portis admitterent, quòd maligni in ea operarentur spiritus in perniciem humani generis; quòdque presagiret inde orituram seditionem, ex qua cædes, incendia, rapinæ, multusque funderetur sanguis humanus. Quem ita omnibus diebus, quibus malignorum spirituum simulacrum Loscastri morabatur, declamantem Oppidani nostri audire noluerunt; sed & studio & gaudio excipientes, quo perituri Trojani, fatalem equum in medium Fori deduxerunt.

Atque illo Textores Villæ proscriptionis accipiunt sententiam, nisi ad profanas hujus simulacri vigilias maturè adveniant. Pape! quis unquam hominum vidit, si ita latinisare liceat, in rationalibus animalibus brutitatem? Quis tantam in Christo renatis Gentilitatem? Cogebantur sub pœna proscriptionis Textores diù noctùque navem stipare omni armaturæ genere, sollicitasque sine intermissione obire excubias. Mirum etiam quòd non coegerint ad navem ipsi sacram Neptuno immolare victimas; at Neptunus illas Marti reservabat, uti reprobavit eventus. Textores interim occulto, sed præcordiali gemitu Deum justum Judicem contra ludiones illos & agirtas vindicem invocabant, qui tantam sibi irrogabant ignominiam: cùm juxta optimè institutam vivendi rationem antiquissimorum Christianorum, quin & Apostolorum, de labore diurno nocturnoque vivant, familiæ suæ prospiciant, indigentibusque elargiantur eleemosynam. Dolebant vel maximè, interque seipsos querebantur lacrymabiliter, cur hæc ipsis quàm aliis potiùs mechanicis irrogaretur ignominia; cùm tamen sint in populo plura alia opificia magis vilia & abjecta; nec ullum sit aspernabile Christiano homini, nisi quod absque peccato exerceri non posset; longèque meliores esse Textores, quàmvis pauperes, quàm Christianorum deprædatores, licèt ditissimos, viduarum exspoliatores. Cùmque hæc, hisque similia lacrymabili repeterent voce, ridebantur ab opulentis & potentioribus, qui negotium illius diabolici simulacri agebant; Bacchine dicam, an Veneris, Neptuni, aut Martis? sed ut veriùs dicam, receptaculi malignorum spirituum, & execrabilis domicilii, qui-

bus à nebulonibus istis varia concinebantur cantica admodùm obscœna, Religioneque Christianâ prorsus indigna. Sed quid facto opus eloquar, an sileam ? utinam liceret esse hâc vice mendax ! Matronarum caterva, abacto pudore, ubi strepitus hujus vanitatis audiebatur, sparsis capillis, de stratis suis exsiliebant, aliæ seminudæ, aliæ simplici tantùm textæ chlamide, chorum ducentibus, circum navem impudenter irrumpendo, se admiscebant. Videre erat ubi aliquando mille homines utriusque sexûs prodigiosum & infaustum celeusma celebrantes usque ad noctis medium; dum verò execrabilis illa chorea solveretur, emisso ingenti clamore vocum incentivarum, sexus uterque hac illacque ferebatur. Quæ verò tum peragerentur, illi dicant quibus videre & interesse libuit : nostrum potiùs est isthæc deflere calentibus lacrymis & tacere, qui modò illorum luimus insaniam.

Istis tam nefandis sacris totos dies duodecim supradicto ritu celebratis, Oppidani deliberabant quid navi facerent : qui sanioris erant consilii introque missam dolebant, Deum ob tam enormia flagitia reveriti, quæ viderant & audierant, metuque impendentis divinæ ultionis hortabantur contribules ut diabolicæ machinæ subjiceretur ignis, vel frustratim concideretur.

Huic sententiæ quorundam adversa stulta cœcitas, quòd maligni spiritus sparsissent in populo, illorum locum futurum omnibus vicinis opprobrio, quod navis desiisset.

Conclamatur itaque ab insano & furente populo, illam dèducendam Lerbam, vicinum Oppidum : huic accedebat Durassiorum Comitum contra decus ingenitæ Nobilitatis authoritas, quàmvis frustrà per Oratores Ducis Lovaniensis fuissent seriò præmoniti, ne id facerent, alioquin, abrupto fœdere, se utrimque illaturum arma; si histrioniam exercere velint, quærant alium quocum componantur: viri siquidem religiosi & pii illi denuntiarant diabolicæ istius technæ calliditatem & nequitiam, caverentque ne abominanda navis fines Imperii Brabantini attingeret; sed mente excæcati Durassii, cum Trudonensibus comitantur infamem machinam Lerbam usque; jussuque Principis arcentur ab Oppido, qui illatæ injuriæ haud segnis vindex, illico suos ad arma convocat, conflatoque insigni exercitu, hostes invadit anno 1.135, sed haud imparatos, éditâque aliquâ strage, arma metatur Lerbam inter & Arcem Durassiam. Dumque se ad illius expugnationem parat, supervenit Albero Metensis Ec-

clesiæ Primicerius, filiorum Lovaniensis Principis Avunculus, ejusque interventu (nam Comitissa Durassia illum quoque sanguine contingebat) conscriptæ conditiones pacis, quibus dum Durassii plus æquo tardiùs parent, illata à militibus agris, villisque ingens calamitas; eventuque probatum est, Rudolfum Abbatem vera præmonuisse, nec vanum fuisse augurem. Pax quidem coaluit, sed Durassiis Trudonensibusque, & præcipuè innoxio Abbati, magnò empta. Gislebertus subscripsit Tabulis, quibus Monasterio sancti Trudonis restituentur possessiones hactenus usurpatæ ab Hezelone Papifero.

Acta sunt ista solemniter & publicè, præsente Gisleberto Advocato nostro & Comite, & Rudolfo Abbate, testibus Paribus Ecclesiæ Arnulfo, Episcopi Metensis quondam Judice, Everardo Abbatis Judice, Guntramno de Los, Gwattero de Kirckem, Suederico de Halmacle, Ruthardo cognomento Gimo, & alio Ruthardo Curiæ nostræ villico, Arnulfo tunc Scabino & Abbatis Pincerna, Rudolfo Mariscalco, Ulrico, & Lamberto Camerariis, Reinero de Milen, Reinero Grutario, & Oppidanis parvis & magnis plusquàm centum hominibus, anno ab Incarnatione 1135, regnante Lothario, de Terra & Gente Saxonum, Petro, Leone, & Gregorio Diacono, qui post consecrationem vocatus est Innocentius, de Papatu contendentibus Metis, Stephano episcopante Coloniæ, Brunone secundo Treviris, Adelberone Metis, quondam Primicerio Leodii, ejusdem nominis & loci post illum Primicerio, in Episcopum Leodiensem electo & investito, sed necdum sacrato.

Quo Gislebertus obierit anno, necdum liquidè deprehendi; nisi quòd videatur ex quibusdam conjecturis, superfuisse ad initium anni 1138. Sepelitur ad sancti Trudonis juxta conjugem.

Gisleberti II. & Gertrudis liberi.

OTto primogenitus, de quo agemus pluribus, Gislebertus; Bruno, Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconus, subscripsit Litteris Alberonis Leodiensis Episcopi anno 1140, quibus ille approbat donationem Manassis de Hierge, in agro Leodiensi, factam Broniensi Abbatiæ, dum proficisceretur in Siriam.

Theodoricus ad sancti Lamberti Canonicus, Gerardus Abbas trigesimus secundus sancti Trudonis.

Erat

Erat is quidem Gisleberti Comitis Durassii, ex Familia Lossensi, filius, Ottonis frater, sed utrique studio pacis & quietis moribusque multùm dissimilis. Monachum in Asceterio sancti Trudonis induit, egregiamque mox de se spem dedit; nihil enim magis habebat in deliciis atque vitæ asperitatem, religiosam modestiam, fugam sæcularium: nec contentus bene cœpisse, generosi innati sanguinis impetu ferebatur in magis ardua, solidèque aspirabat ad religiosæ perfectionis culmen. Vigebat ibidem introducta à Rudolfo annó 1107. norma vivendi Cluniacensium in Burgundia; sed valdè sitienti non sufficiebat huc Cluniacó deductus rivulus: ad ipsum aspirabat fontem, nec gravatè eò commigrandi à Forcardo Abbate facultatem paulò ante hujus mortem obtinet. Quo, post obitum ejus, defuncto, Cœnobitæ de eligendo novo Archimandrita consilia conferunt. Omnibus unus occurrit Gerardus, Cluniacum non ità pridem profectus: ut sibi hâc ratione Familiam demererentur Durassiam, quæ hactenus infensa Abbatibus fuerat, præterquàm quòd ipse eo munere, ob egregias virtutes, haberetur dignissimus. Datum duobus ex senioribus negotium, ut Cluniaco accersant, denuntiatumque sancti Trudonis Abbatem reducant. Nunquam tamen illi potuisset persuaderi, ut rediret, nisi Abbatis Cluniacensis (à cujus nutu totus pendebat) accessisset authoritas. Rediit itaque cum Legatis ad lares patrios Abbatiâque insignitur. Nec sui electores spes fefellit: nam toto, quo præfuit tempore, nullà à Consanguineis Domus sancti Trudonis passa injurias aut vexationes; quin contrà eam ab injuriis vindicabant. Istud tamen vel maximè Cœnobitæ virtuti industriæque Gerardi tribuebant: omnibus itaque ex Monasterii illius servatis servandis, 8. Cal. Aug. anno 1145. festinâ totius Populi utriusque sexûs adgratulatione Oppido inauguratur; cui non tantùm ob generis splendorem in veneratione erat, sed & in deliciis, ob singularem modestiam, egregiasque animi corporisque dotes. Illum non mediocri studio plantatum hîc Disciplinæ Cluniacensis surculum irrigasse, quà exemplo, quà verbis, dubitare haud quaquam debemus. Anno Domini 1146. Domum Macharii villici sui de Halen, cujus Pater Joannes Rudolfum Abbatem crebrâ arrogantiæ suæ infestatione lacessiverat, quam idem Macharius in modum Castelli fossatis, & aquarum meatibus undique muniverat, hoc modo cepit & evertit, in rebellionis pœnam: cùm enim Macharius vanâ

elatione tumidus Abbati se opponeret, quodque animo libuisset opere expleret; contigit quemdam Gerardi servum committi negotiorum causâ: hunc Macharius in odium Domini ejus, non modò hospitio non dignatus est, sed contumeliosis primò verbis, deinde verberibus exceptum, etiam rebus quas ferebat, vestibusque exuit. Quam injuriam Abbas graviter ferens, fratri suo Comiti Durassio refert, contraque iniquissimum hunc prædonem opem implorat.

Durassius, ad vindicandam injuriam paratissimus, eò cum armata militum manu pergit, Machariumque severè monet, Abbati ut se purget, injuriamque & illatum damnum resarciat.

Quod cum ille detrectaret, coram Judicibus citat, qui causâ justitiæ decernunt illum excidisse feudo, omniaque ipsius jure devoluta ad suum Dominum, ob feloniæ & rebellionis delictum. Sed cùm nec sic ferociam remitteret, nec sententiæ severitatem deprecari vellet; quin è contrà armis pararet se tueri, pergit eò Durassius cum armatorum globo, vallumque diruit, domum occupat, diripitque, & Macharium cum uxore & liberis abducit. Sed ea fuit Gerardi lenitas ac clementia, ut in Ludovici Lossensis Comitis gratiam, illi noxam remiserit, ablataque per Durassium reddi curaverit, ubi delicti deprecatus veniam, emendationem spopondit.

Agebat Leodii Gerardus, homo quidem primariæ in Ecclesia dignitatis, id est cardinalitiæ; sed studio avaritiæ plus addictior. Is ut Gerardum Abbatem pecuniis emungeret, quem opibus affluere noverat; sub discessum suum simulat se velle celebrare Ecclesiastorum Conventum, missisque litteris Abbatem vocat: qui aliis intentus negotiis, venire differt; donec Cardinalis mox Romam discederet. Frustratusque suâ spe pecuniæ, Abbati intentat minas; polliceturque se delaturum ad Sedem Apostolicam, quòd in sua persona illa sit vilipensa. Quid opis & consilii. Gerardus Gerardum insecutus, Treviris reperit, muneribusque placat: eò nempe spectaverat illa Synodi simulata celebratio. Ex itinere illo redux, deinde in Flandriam proficiscitur, atque à Theodorico Alsatio, Flandriæ Comite, obtinet Diploma, quo firmabantur Domûs sancti Trudonis possessiones in Flandria, præcipuè dominicalis villæ de Pervyn, quam Bertha assentiente filio suo Arnulfo Comite, anno 967, ad sancti Trudonis decumbens Monasterio, testamento legaverat, cùm Aquis-

grano rediens, ubi ad Deiparæ Virginis se voto religionis exolverat, hîc in lethalem incidisset morbum, terræque fuisset recondita. *Eodem anno*, inquit Chronicon, *cùm ingravescente languore Comes Otto, frater ejusdem Domini Gerardi Abbatis, ad extrema venisset, & de vita desperatus esset, in redemptionem animæ suæ & heredum suorum, contulit Ecclesiæ sancti Trudonis villam quandam*, Aleym *nomine, in Batavia, juxta exundantem sæpiùs Mosæ alveum: & non multò post defunctus, in Claustro, juxta matrem, secus introitum in Ecclesiam, ad Aquilonarem plagam, sepultus jacet. Sic plerumque mortales solent, dum ad januam stant æternitatis, sibi eleëmosynis, piisque legatis reserare aditum: quis enim insigni eum tum ductum pœnitentiâ neget, quòd Trudonenses anteà tot tantisque torsisset difficultatibus & molestiis.*

Expletis verò justis, præsentibus Adelberone secundo, Leodiensi Episcopo, & Ludovico Lossensi Comite, frater ejus Theodoricus, Canonicus sancti Lamberti, Bruno, qui Archidiaconatum ejusdem Ecclesiæ posteà meruit, Alexander Præpositus, & Arnulfus de Curtrese, juxta Diestam, sororis filius, & alii plures nepotes ejus, traditionem Comitis suâ authoritate firmarunt, & banno episcopali stabiliri Ecclesiæ in perpetuum fecerunt: At Arnulfus quinto ab obitu Ottonis anno donationem factam, & à se quoque signatam, in dubium revocare conatur, dominiumque Aleymense vi invaserat, sibique vindicabat. Cui Gerardus Abbas se viriliter prò jure Monasterio acquisito opponit; quantâque industriâ, labore, & impensis pacificam illius villæ possessionem tandem obtinuerit, nepotemque Ottonis à malè cœptis abstinere coegerit, ipse publicis Tabulis Posteritatem consciam memoremque esse voluit. *In nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Gerardus Dei gratiâ Abbas sancti Trudonis. Notum facio præsentibus & futuris qualiter frater meus Otto, Comes Durachiensis, Allodium suum de Aleym sancto Trudoni, impeditum quidem, pro anima sua tradidit, quod gravibus expensis Ecclesia tandem liberum ab omnibus heredibus coram venerabili Henrico secundo, Leodiensi Episcopo obtinuit. Huic donationi, contra suam ipsius sponsionem, postmodum Arnulfus nepos meus obvians, bonum nostrum invasit: & licèt inde ab Episcopo excommunicatus, ab incœpto desistere noluit. Sentiens igitur gravibus nostris damnis, eum ab intentione sua non posse averti, & Ecclesiam jam pridem ejus incommodationibus vexatam, ad id nequaquam sufficere; me medium opposui, & prædia ad jus Abbatiæ pertinentia,*

scilicet, Hales & Welbekem, factâ publicâ & liberâ commutatione coram Fratribus & Fidelibus nostris, ad usus Præbendæ Fratrum transtuli, & id quod impeditum erat, mihi retinui conveniens. Itaque nepotem meum maximo meo labore & expensis ad hoc perduxi, ut publicè exfestucato & libero nobis Allodio nostro reddito, ab excommunicatione absolutus, in Capitulo nostro veniret, veniam peteret, emendationem promitteret.

Ea ergo quia sincero animo, & communis utilitatis studio egimus, & tantùm laboris nobis assumpsimus, accitis Fratribus & Fidelibus nostris, sub excommunicatione, & divini Numinis interminatione decrevimus, ut mihi in vita mea de Allodio Aleym canonicè & liberè uti liceat & Fratribus, de Hales & Welbekem, cum suis appendiciis, quidquid est utilitatis proficiat. Post obitum verò meum, & eleemosyna fratris mei, cum melioratione, si quid meliorare potero, ad usus Fratrum cedat, & successor meus ad jura suæ Abbatiæ antiquitus constituta se conferat. Huic commutationi & constitutioni testes idonei interfuerunt, quorum nomina subter annotavimus. Engelbertus Prior, Balduinus, Hubertus, Eboldus, Libuinus, Conrardus, Joannes, Christianus, Hermannus, Wericus, Walterus, Nicolaus, Renerus, Arnulfus, Otto, Marcellus, Henricus, Mathias, Ptolomeus, Henricus, Theodoricus, Heymo, Emmo, viginti-tres sancti Trudonis Cœnobitæ. Ex sæcularibus, Arnulfus de Cortesem, Gosewinus de Borne, Everardus Judex, Ruthardus villicus, Arnulfus Jordanus Marescalcus. Acta sunt anno Incarnationis M. CL. Indictione XIII, Romæ Papâ Eugenio, Rege Conrardo, Leodii Præside Henrico secundo, Prælationis nostræ anno sexto.

Dominium istud Aleymense hodieque Abbates sancti Trudonis obtinent, titulumque præferunt beneficium, æternamque memoriam munificentiæ Domûs Lossensis. Anno 1154. Gerardus rerum caducarum pertæsus, privatæque & securioris vitæ desiderio flagrans, agitare cœpit consilia de abdicando Pedo, dignitateque deponenda, atque hac de re Henricum Leodiensem Episcopum consulit, ejusque sententiam perquirit. Sed is per Epistolas, Monachis id subitò facientibus, rogatus, ne desiderio Abbatis aliquâ ratione annueret, sed potiùs ipsius quasi humi jacentem piâ cohortatione erigeret animum, pusillanimitatisque argueret; illud prorsus dissuasit, quin contrà vehementer eum adhortatus est, ut muneri sibi à Deo credito faciat satis, Domumque sancti Trudonis, quâ hactenus vigilantiâ & studio, administrare pergat: qua in re insignis Episcopi discretio enituit.

Importunitate tamen illius tandem victus (obstinaverat enim animo curas dignitatemque abjicere,) adnitentibus ejus Consanguineis aliisque potentibus Amicis, quos in suam sententiam inflexerat, plurimùmque apud Episcopum authoritate valebant, voluntariæ ipsius resignationi assensum præbuit. At quia Henricus hoc anno in Italiam cum Frederico Imperatore profectus est, nec inde tam citò rediit, abdicatio Gerardi, nonnisi in finem proximè sequentis anni incidit. Haud vero absimile arbitror, facultatem resignandi non ab Henrico Leodiensi, sed Stephano Metensi Episcopo factam, erratumque à Chronici Trudonensis Exscriptore. Ut ut est, Gerardus, nonnisi tradità facultate, à dignitate abiit. *Discessurus ergo Abbatiâ*, inquit Chronicon, *anno M. CLV. obtinuit à Fratribus, ut eorum electioni interesset, quatenus electi personam & mores ipse suâ authoritate approbaret, quod ita quoque, Fratribus in omnibus ei obedientibus, accidit, habitâque electione die 2. Decembris, cum Fratribus adfuit, & Wericum majorem Ecclesiæ Præpositum & Armarium, omnium in commune vocibus clamantium sibi in successorem, ipsisque in Patrem elegit.*

Deinde paucis transactis diebus, jam privatus, ut dudum animo concupierat, Flandriam abiit, Monasteriumque sancti Petri in Gandavo expetiit, ubi ab Abbate Sigero honorificè exceptus, communis vitæ regulâ aliquot ibidem annis cum Fratribus vixit. Inde ab Abbate Cluniacensi, qui cùm ab amore solitudinis vitæque anacoreticæ jam pridem noverat evocatus, Cellam quandam ipsorum Cluniacensium, tribus circiter leucis à sancto Trudone abjunctam, juxta Montenacum, *Bertriis* nomine, ab eo regendam suscepit. Cui cùm aliquanto tempore præfuisset, illamque multò quàm antehac reddidisset meliorem, tandem sibi faventium consilio persuasus ut ad nos rediret, & illam Cellam deserit, optatissimoque S. Trudonis Monasterio, posteaquàm aliquamdiù ibi valdè regulariter & devotè vixisset, piissimè in Domino senex moritur anno 1174, atque in Ecclesia ad ostium Choripsallentium dextrum, versus Meridionalem plagam, locum sepulturæ obtinuit. Præfuit Trudonensibus annis decem, mensibus quinque; vixit privatus annis unum de viginti. Movi aliquando Abbatem Hubertum Suetendael, ut lapidi ejus sepulcrali velit curari indici ejusmodi tanti Viri memoriam;

D. O. M.

Monumentum Gerardi Durassii, ex Familia Lossensi, Abbatis XXXII, Comitali Stirpe, sed vitâ piè & innocenter actâ illustrioris, abdicatâ dignitate anno 1155, obiit privatus 1174.

Sufficit hæc tibi laus : Bene qui latuit, bene vixit.

Juliana nupsit Godefrido Comiti; Altera filia copulata matrimonio Domino de Curtrese, mater Alexandri Præpositi, & Arnulfi, qui Gerardo avunculo Abbati litem movit ratione Toparchiæ de Aleym in Curterese sive Curtrese. Idem sit quòd Cortresem, pagus hodie celebris Collegiatâ sancti Petri Ecclesiâ, non ausim asserere : sunt tamen rationes quæ eò me pertrahunt; aliàs juxta Diestam est vicus Cortrese. Arnulfus post se reliquit liberos Rogerum & Idam, quos Gerardus Comes Lossensis dignitatis suæ testes adhibuit, cùm anno 1171 Brustemienses suos donaret jure Civium Leodiensium, & prærogativis amplissimis. Otto, hujus nominis secundus, jure paterno Comes Durassius, & Advocatus Trudonensis, materno quoque Montis-Acuti, & Claromontis, post Lamberti aliorumque, scilicet Avunculorum, mortem, matrimonio sibi copulaverat Bertham Godefridi de Buchain, Domini de Rubemont, & Jolendis à Gelria filiam. Balduinus III. Hannoniæ Comes Jolendam illam, sive Iolam N. Comitis Gelriæ filiam, Dominam de Dodeweert & Dalem duxerat; sed quæ secundò nupsit Godefrido Anselmi filio, Castellano Valentianensi, Domino Riboldimontis & Comiti Ostrovandiæ. Ita Miræus in Notat. ad cap. 105. Notitiæ Ecclesiarum Belgii, atque hoc pacto Bertha cognata fuit Alberonis Leodiensis Episcopi. *Gerardo siquidem*, inquit Isacius Pontanus Histor. Gelriæ lib. 6. cap. 9. *uxorem pariter Hedevigen Henrici, quem successorem habuit; matrem etiam Singardam à quibusdam video, & eam quidem Namurcensis Comitis filiam, quæ ipsi Adelbertum, sive Alberonem peperit, secundum ejus nominis Leodiensis Cathedræ Præsulem, in ordine XXX.* De quo multa Ægidius Aureus-Vallensis, & Placentius; quorum

prior ait, *Familiam Namurcensem tum temporis armis usque ad mare suos protulisse palmites*. Posterior de genere ejus hæc refert : *Albero, ejus nominis secundus, filius Comitis Gelronum, ex sorore Comitis Namurcensis*. Unde notandum Petrum Mercæum capiendum eo loco ratione matris, quæ Namurcensis fuit, ut jam est demonstratum. Anno 1128. Otto subscribit Alberonis Litteris, quibus mandat ut Arnoldus Dominus de Diest quotannis feriâ quartâ Pentecostes Ecclesiæ sancti Trudonis decem persolvat solidos. Quod si omittat facere, Diestenses ipsius teneantur, uti priùs, obulos bannales perdere, id est vicatim venire ad sanctum Trudonem obulosque offerre per singulas familias.

Anno 1140. Otto Durassius Advocatus quidem erat Trudonensium, sub Limburgio ; sed nimiùm sibi ideo arrogabat : neque enim Advocatia quidpiam jurisdictionis tribuit. Adelbero Leodiensium Præsul fœdus inierat cum Metensi Episcopo, & Werico Abbate, oppidi sancti Trudonis Dominis, arctâque amicitiâ sibi Cives devinxerat. Istud Ottoni dolebat, contendebatque absque suo, utpote Advocati, assensu non posse fieri ; sed nimia hominis importunitas & præsumptio rejicitur : unde in omnem se vindicandi occasionem intentus, illam mox reperit.

Vetus intercedebat simultas inter familias Limburgiam & Lovaniensem de Ducatu Lotharingiæ, quem Henricus V. Imperator ab Henrico Comite Limburgio in Godefridum Barbatum Lovaniensem transtulerat, ideoque dicebatur Ex-Dux. Reddiderat quidem Lotharius Cæsar Waleramo, Henrici filio, cognomine Pagano ; sed eodem rursus circa annum 1138. à Conrardo Lotharii successore exuitur. Vivebant igitur hoc anno 1140. Henricus ille Walerami filius, & Godefridus filius Barbati, Lotharingiæque Ducatum obtinebat, eaque de causa non optimè illa inter duarum Familiarum Capita conveniebat : ignis suppositus jacebat cineri doloso, quem Otto Durassius perversæ adulationis flatu animavit in flammam. Godefrido persuadet, Limburgium grave quidpiam moliri, nec frustrà oppidum Trudonense muniisse præsidiario milite. Credidit ille delatori, copiasque illi expugnando parat, pertracto etiam in partes suas matrueli suo Comite Namurcensi ; pergit deinde Otto Leodium, conaturque Alberonem Episcopum à fœdere cum Trudonensibus inito abducere ; rogatque ne propriis Consanguineis adversari nolit. Obsidetur Trudinopolis ab Exercitu Brabanto, Duce Ottone Du-

rassio, 4. idus Augusti. Quam cùm primo impetu expugnare non potuisset, obsidio in longum protrahitur, maximaque Abbati & Civibus damna infert. Cives continebant se intra mœnia, nec ullius velitationis periculum faciebant, tantùm intenti in Ottonis conatus, si quid moliretur adversus Oppidum. Commeatus abundè suppetebat obsessis; illius penuriâ adeò premebantur obsessores, ut ex Oppido sint coacti pecuniâ emere. Ringebatur Durassius, cùm ecce Ducem inter & Cives agi cœptum de pace, adnitente Alberone Episcopo, qui jam tum recuperationem Castri Bullioniensis animo agitabat. Conditiones obtulerunt tam æquas, ut Dux, acceptâ in belli impensas exiguâ summâ pecuniæ, exercitum jusserit abcedere. Neve deseruisse videretur socium, Ottonem quoque reconciliavit Abbati & Trudonensibus, nullâ factâ mentione Limburgii, qui ratos tantùm aliquos Trudinopoli milites præsidii causâ miserat; nec quidpiam graviùs moliri deprehendebatur.

Otto moritur anno 1146, sepeliturque ad sancti Trudonis, juxta matrem.

Ægidius Comes Durassius, Montis-Acuti, & Claromontis, Advocatus Trudonensis & Dionantensis.

IN hisce dignitatibus patri successit præclarâ indole Princeps, commodisque moribus ac pietate in Superos insignis.

Anno 1170 bellum gessit cum Ludovico Lossensi Comite, uti dicemus libro 5; factâque cum Gerardo filio pace, obtinuit Aleidem, elegantis formæ virginem, ejus sororem, sibi dari conjugem; sed ex qua prolem non sustulit.

Anno proximo signat Tabulas Frederici Imperatoris, quibus possessiones Ecclesiæ Leodiensis firmat, vocaturque Comes de Durachio. Non erat quòd quispiam conquereretur de Durassio, tantam de se optimi Principis spem dabat; sed vetus de jure Advocatiæ durabat adhuc contentio cum Abbate: quòd cùm esset delatum ad Henricum Ducem Limburgium, & Marchionem Arlonensem, Advocatum majorem, Durassium plus solito sibi arrogari, neque se tam pro Tutore, quàm oppressore gerere: *quo deinceps omnis ejusmodi cessaret controversia, anno MCLXXVI.* inquit sancti Trudonis Tabularium, *Henricus de Lemburck, qui & Comes de Arlon, adpetitionem Weriti Abbatis Ecclesiæ sancti Trudonis*

nis obviare volens injuriis quas Comes de Duras aliique sub ipso Advocati in Allodio ejusdem Ecclesiæ facere consueverunt; venit ad sanctum Trudonem, præcepitque adesse Comitem de Duras, in cujus presentia Scabinos sancti Trudonis sanctique Stephani, quorum judicio hoc agendum erat, de jure suo, sicut justum est, commonuit, & consuluit. Qui Chartam jura sua ab antiquo continentem suggesserunt; illâque visâ Limburgius professus est se in Curtibus de Burlo, Melelare nihil juris habere: quia stipendiis adscriptæ sunt Fratrum, debenturque Præposito, & ejusdem Monasterii Cellerario; in villa autem sancti Trudonis, & reliquis Abbatiæ villis, ex tribus generalibus placitis, ac magno banno, ac siquis fortè infra villam vulneratus sit vel occisus, tertium denarium de jure Advocatiæ se habere debere. Cæterum licet Abbati, vel ab ipso Constitutis, de quocumque negotio sine Advocato placitare, id est placito sive judicio decernere (placitum enim propriè, juxta D. Augustinum, dicitur quod pluribus placet, ut observatur epist. 174.) scilicet de terris, de domibus, de externis uxoribus, coreniedis, sive citermiædis & familiis, nisi fortè grandi exigente negotio, ab Abbate, vel Ministro ejus invitatus fuerit; declaratque se non habere precarias & exactiones, neque illas alicui sub se Advocato concedi, &c.

Nota quòd singulis annis fierent tria placita generalia, id est judicia: unde placitare idem est quòd in judicio disceptare. Ex his placitis proveniebant pecuniæ à vitiosè litigantibus solvendæ, prout hodieque fit. Bannus est edictum publicum ad comparendum in Judicio, idque fiebat per campanam bannalem: & hâc ratione debebatur certa summa à citatis. Deinde si ob vulneratum, vel occisum fiebat pecuniaria compositio, harum trium summarum tertia pars devolvebatur ad Advocatum. Quid sint precariæ, videri potest libro 3. Decret. Gregorii IX. titulo. 14.

Henricus I. Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux, benefacit Villariensibus Monachis, Cisterciensis Ordinis, anno 1184. primique ex Nobilibus adhibiti testes, Ægidius de Duras & Petrus frater ejus.

Circiter annum 1185. Ægidius Comes Durassius, vir magnanimus, possidebat Claromentem, Rupefortium, Geldoniam, Advocatiam Trudonensem & Dionantensem; verùm elephantiasi affectus, ubi sibi publico abstinendum sensit, Cononi, Petroque fratribus omnia sua cessit, servatâ sibi, quoad viveret, Geldoniâ. Cùm sine liberis essent fratres, heredem ambo scripserunt sanctum Lambertum. At neque Rudolfus Episcopus satis Ec- Fisen lib. 11. pag. 410.

clesiæ suæ prospexit : nam hic quidem Gerardo Comiti Lossensi Castrum Durassium vendidit & Advocatiam Trudonensem ; ac Walderico Walcurio, sororio suo, Claromontem, Rupefortium & Advocatiam Dionantensem, quæ sanè possiderent, Conone Petroque vitâ functis. Verùm Cono, ut leviculus erat, Henrico Limburgiensi clientelarem obsequentiam negabat, cum ejus beneficio Trudonensem, aliaque prædia possideret. Mulctavit ergo clientelari jure contumacem Henricus Limburgius, & Advocatiam beneficiario mancipio tradidit Gerardo Lossensi, qui ut magnas opes in proximo habebat, in extrema se præcipitem dedit Cono, nullâque priorum conventionum habitâ ratione, Durassiam Arcem, & Trudonis Advocatiam septingentis marcis Henrico Lovaniensi vendidit, qui statim, munito Durassio, quas habebat lectissimas copias in agrum Lossensem immisit ; tristique vastitate illatâ, Trudonem obsedit, quam insederant valido præsidio Limburgius & Lossensis : & expugnandi spes erat, nisi Balduinus IV, Comes Hannonius, cui arctum fœdus erat & cognatio cum Lossensi, ejus rogatu, & quia Lovaniensis icti fœderis legibus non stabat, movisset in Brabantiam, agrumque fœdasset incendiis. Quò sua defensum iret Henricus, obsidionem solvit. Id Hannonio satis fuit, copias dimisit, relicto in finibus præsidio. Idem fecit Lovaniensis : ita mutuis studebant incommodis, & nullam alter alteri officiendi pretermittebat occasionem Durassia controversia. Quo denique fine composita, dicetur in Vita Gerardi Lossensis.

Nec diù post Petrus vitâ fungitur. Cono anno 1188. proficiscitur in Siriam ; nec utriusque alia memoria, nisi quòd cum illis extincta sit mascula Domus Durassiæ stirps.

Ægidius deinde Abbatiam Vallis sancti Lamberti, Ordinis Cisterciensis, primò condit anno 1093. Joanni Abbati de Signy, ejusdem Ordinis, Insulam de Rosiers, Sartum d'Estrival, aliaque prædia, cum consensu Henrici Ducis Limburgii, à quo illa obtinebat beneficio clientelari, donat, piæque donationi assensi sunt Waldericus Walcurius, istius sororius, & Theodoricus filius, ratamque habuit anno 1192. Lotharius Hostadius, invasor Cathedræ Leodiensis. Dotem paulò post auxit idem Limburgius, filiis suis Henrico, Waleramo, Frederico, & Gerardo assentientibus, uti liquet ex Litteris Mourmalii, datis anno 1196.

Idem Ægidius eodem propemodum tempore fundat Abbatiam

sancti Remigii, Ordinis quoque Cisterciensis, juxta Rupefortium.

Bertha soror illorum juncta matrimonio Walderico Walcurio, qui, ut dictum, ab Affinibus suis emit Claromontem & Rupefortium, necnon Advocatiam Dionantensem, transmisitque ad posteros hodieque illustres illæ Familiæ è Domo Durassia supersunt & florent.

Anno 1249, tertio Kalendas Januarii, obiit Masecæ, ad sinistrum Mosæ latus, Petrus de Walcuria, secundus Generalis Crucigerorum Hui, vir non minùs splendore virtutum, quàm sanguine illustris; utpote ex Familiis Lossensi, Chiniacensi, & Rupefortensi oriundus; cui in eadem dignitate successit ordine VIII. Generalis, Nicolaus à Rupefortio, ex fratre nepos, patrui egregius in pietate & sancta conversatione æmulator ad plures; obiit anno 1320. Ita Henricus Russellius Prior Suessionensis in sui Ordinis Chronico. Nota Crucigeros tum Masecæ necdum fixisse Sedem, ut qui primùm anno 1476. eò immigravit, ideoque nec ubi apud suos Walcurium sepulturæ obtinuisse locum.

Aleydis Durassia nupsit Gerardo de Mombeck, Domino de Villary. Horum filia Elisabetha, secunda Abbatissa Lintrensis, obiit anno 1244.

Juliana convenit in manus Balduini Castellani de Borbruck in Flandria; atque isthæc sunt quæ de veteribus Durassiis eruere potuimus.

LIBER QUINTUS.

Emmo Comes Lossensis.

REdimus in orbitam Rerum Lossensium; neque tamen multa occurrunt quæ de hoc scribamus Comite, nisi quòd fuerit Ottonis & Lutgardis Namurcensis filius, procreaveritque ex conjuge nobis ignota Arnulfum sibi in Comitatu Lossensi successorem; Sophiam Ducissam in Hungaria, quæ & Regem de Hungaria genuit, & Ducissam de Huy, necnon Ottonem Comitem Durassium; alteram quoque filiam Gertrudem junctam matrimonio Guilhelmo filio natu maximo Eustachii II. Comitis Boloniæ, & Idæ Ducissæ Lotharingiæ, fra-

tri Godefridi Bullionii & Balduini, Regum Jerusalem. Et quia Godefridus quoque erat Dux Lotharingiæ, regebat illam pro fratre Guilhelmus, & porro vacantem per mortem ipsius anno 1100, regere pergebat, quàmvis se Ducis nomine abstineret, Balduini reverentiâ, qui ut ætate prior, Godefridi hæres, Lotharingiæ Ducatum vindicabat. Limburgio nihilominus Cæsar tradidit Lotharingiam, saltem inferiorem: cùm satis sciret Balduinum in Oriente Jerosolimitano tuendo Regno distineri, quò minùs res Lotharingicas curare posset; perrexit nihilominus Guilhelmus, quoad vixit, pro fratre Lotharingiam, quam potuit, saltem superiorem, regere. Et post, cùm filius Theodoricus, qui tandem Balduino patruo decedente, administrationi, quam nunquam deseruerat, etiam Ducis nomen adjunxit, & quibus potuit viribus superiorem Provinciam retinuit. Ita ferè Wasseburgius.

Quo anno Emmo desierit vivere, nusquam reperi. Obiit tamen 16. Kalend. Februarii.

Arnulfus eo nomine IV. Comes Lossensis.

EMmonis fuisse filium, communis est Genealogiorum opinio, nec ab illis dissentire licet; nullus tamen illorum uxoris meminit, sed duntaxat liberorum: antiquissimaque illius memoria, ab anno 1085, uti ex sequenti narratione videbitur, quàmvis aliquis citiùs potuerit fuisse. Auspicatus Imperium, Feretrum sancti Trudonis ab anno 1050, primùm sub Guntramno Abbate XXIII, ad quinquennium deinde sub Adelardo secundo*, ejus successore, ad annum ferè 1082, quo obiit, id est annos totos triginta & ampliùs, tam crebris miraculis claruit, ut antehac nomen Sarchinium, ad Cisindriam fluviolum, excreverit in urbem anno 1058. dicique cœperit Santronium, *Syntruyen*, Fanum, sive Trudonis oppidum. Theodoricus Abbas de illis in Vita sancti Trudonis apud Surium ad diem 28. Novembris scribit quòd incredibile videatur, nisi ita narraret, ut nullus dubitandi sit relictus locus: *Singulis penè diebus (rem toti Urbi compertam loquor) plerùmque triceni, aut quadrageni, interdum etiam cententi, ab hac medicinali Tumba, secundùm incommodorum qualitatem, recuperandi sospitatis beneficia reportarunt. Plus est, quod tota mecum testabitur Provincia, plerique, visâ à longè B. Patris Ecclesiâ, antequàm*

peterant, accipiebant, & solo affectu, longo adhuc terrarum remoti spatio, fide tamen propè erant, & mediis agris tota residens languentium multitudo ibi orabant, ibidemque statim impetrabant; eòque excrevit. Fidelium huc undequaque affluentium pietas, & pro acceptis beneficiis grati animi liberalitas, ut oblationes ad Altare sancti Trudonis in auro, argento & ære, præter omnis generis altilia, oves, boves, ceram, linum, ova, oleum, plerisque hebdomadibus centenis æstimarentur marcis, id est septingentis argenteis Philippicis taleris: erant enim argenti quinquaginta selibres, dimidiæ libræ; eleemosynæque redditus ipsius Abbatiæ adæquabant: ut minimè mirum sit, si viginti propemodùm annis quatuor robusti Competitores de tam nobili opulentaque Abbatia certaverint. Defuncto Adelardo secundo, Lantzo, Abbas sancti Vincentii Metensis, per posticum intraverat, id est non canonicè electus illam obtinuerat: designatus nempe tantùm ab Episcopo Metensi, qui Oppidi erat Condominus; *primoque ipsius Prælationis anno, qui est redempti Orbis* 1083, 7. *idus Martias combustum corruit*, inquit Rudolfus sancti Trudonis Abbas & Historiographus, *munificum illud Monasterium, vulgò Munster, id est sancti Trudonis Basilica, quod incomparabilibus in hac terra columnis & tecturâ incomparabili penè consummaverat. Quà sollicitudo Adelardi Abbatis secundi, tantumque fuit, non dicam, infortunium, sed occultum Dei judicium, ut de una domuncula, longè quidem posita, in toto nostro Oppido solum nostrum combureretur Monasterium: globus namque ardentis straminis se altissimè attollens ab incendio flammivomantis domunculæ dicitur tandem corruisse in nidum Ciconiæ, in una duarum turrium quæ sunt juxta Orientales apsides in australi parte, situm ad dexteram Capellæ sancti Trudonis; & Oppidanis ad clausum Monasterii ostium concurrentibus, sed Fratribus causam nescientibus, tamdiù prolatatus est introitus; donec vis ignea sibi inexpugnabile præoccupasset totius Domûs imperium. Cecidit illud tandem, cecidit igitur illud Monasterium, cujus simile ampliùs nostrum non videbit Cœnobium, illæque mirabiles columnæ, super quibus labor expensæ, studium, opus, pulchritudo referri vix dignè possunt. Ita funditùs igne depastæ sunt, ut ex duodecim, ne una quidem præteritarum similis exsculpi possit.*

Hactenus ille. Sola incendio maxima ad Occidentem superfuit, quæ ex solido lapide, castelli instar, toto eminebat Oppido. Cùmque Luypo, Monachus sancti Trudonis, ex Comitum Lovaniensium prosapia, corrivalis Abbatiam ab Imperatore Hen-

rico IV. ſchiſmatico impetraſſet; datumque ab ipſo fuiſſet negotium duobus Palatinis ſuis Gerardo Domino de Waſſemberge, & Goſwino avunculo ejus, Dynaſtæ Hinsbergiæ, ut Luyponem armati comitarentur, eſſentque præſidio. Lanzo potentiam eorum veritus, in ſuperſtitem illam ſe receſſit turrim, nec niſi inediâ inde pelli potuit. Cujus rei indignitate permotus Henricus Leodienſium Antiſtes, rogatuſque à Metenſi Epiſcopo contra iniquum Abbatiæ invaſorem, conſcribit militem, annoque 1085. Fanum ſancti Trudonis obſidet, deditioneque accipit. Bruſtemienſes quidem, ob veterem ſimultatem, in deditios flammis graſſantur, ipſaque Deiparæ Virginis Eccleſia exuſta incendio. Luypo cum ſuis turrim aſcendit, illamque tuetur; donec inde digrediens, conceſſâ militum direptioni ſacrâ ſupellectile, cuſtodiendam tradit Arnulfo Comiti Loſſenſi, qui præſidiarios impoſuit uſque dum controverſia decideretur. *Tum verò*, inquit Rudolfus, *miles quidam, cui Arnulfus Comes de Looz, conſanguineus Giſleberti Comitis de Duras, excubias majoris noſtræ turris commiſerat, intempeſtæ noctis ſilentio proſpiciens deorſum ad exuſtam Monaſterii navim, cæteris conſortibus ſuis dormientibus, vidit quoſdam ſpecietenus monachali habitu veſtitos, à Cœmiterii noſtri loco, nudis pedibus, procedere uſque ad ſepulcrum ſanctorum Trudonis & Eucherii, quod ex recenti adhuc incendio ſine tecto nudatum, ſub dio eum humillimis ſupplicationibus & ſatisfactionibus venerantur ambiebant. Hujus ille viſionis volens teſtem & conſcium adhibere, cùm conaretur vicinum dormientem excitare, ipſe immobilis mutuſque tamdiù permanſit, uſque dum viſio diſpareret, & reverſis illis quos viderat priſtinum Cœmiterii locum. Mox, tantæ viſionis virtutem non ferens, tam valido languore correptus eſt, ut tertiâ die exanimatus ſepulturæ daretur.*

Ecce quàm altè petenda narratio, ut vel tenuiter noſtri Comitis meminiſſe poſſimus, qui litigantibus inter ſe partibus, ſequeſtrum egit, turrimque ſervavit ad opus habentibus: itaque hîc animum ſubit cogitatio, Arnulfum jam tum fuiſſe virum provectioris ætatis; quòd illa prudentiam parere ſoleat, tamque arduum negotium ab Epiſcopo non fuerit commiſſum, niſi experienti & potenti Principi. Unde videtur conſequens, hunc Arnulfum non fuiſſe eundem qui Averbodium fundarit, ut qui protraxerit vitam ad annum circiter 1140, ſed Fundatoris illius Patrem.

Occasio dissentionis variarumque cædium per totam Diœcesim.

HEnricus Episcopus obsidionem urbis Trudonensis instituerat ante Kalendas Julii anni octogesimi-quinti. Urbs erat munita ætatis istius, munitiones accipe ex Brustemio. Oppidum totum vallo munitissimo cingebatur, cui septum ex postibus firmissimis, magnisque tabulis compactum imminebat. Portas singulas muniebant ligneæ turres prælatæ, & trabibus fortissimis latera contectæ. Prætereà turris Monasterii, quæ incendio superfuerat, firmissima è lapide, quasi Arx, excelsis in medio Oppidi eminebat. Has munitiones insidebant viri animis viribusque promptissimi: & diuturna videbatur obsessio futura, si in defensionem universi conspirassent Cives; sed plerisque non placuit fortunas, liberos, conjuges, capita sua Luyponis ambitioni ludum objicere. Cæteri qui pro illo stabant, compulsi sunt deditionem facere 8. idus Julias.

Vetus erat Trudonensibus & Brustemiis dissidium. Hi audito Trudonenses incolumitatem pactos, deditionem fecisse, exarserunt irâ: spes enim fuerat explendi odii internecione hostium. Et verò tentare statuerunt, neglectâ fide quam Episcopus dederat. Furori secunda fuere omnia: acceptâ pace, Oppidani deseruerant murorum stationes. Clàm in Urbem transgressi Brustemii, flammas silentio primùm per urbem spargunt, tùm Cives imprudenter ad restinguenda incendia concurrentes obtruncant. Clamor undique horrendus tollitur: relato igitur igne, Cives corripiunt arma, structisque ordinibus, medio Foro concurritur. Trudonenses accendebat justus dolor necessitasque, atque ultima desperatio. Primis successibus Brustemii insistebant, virtutemque tandem oppresserunt multitudine, fœdaque fuit utrorumque strages, sed maximè Trudonensium: priùs nimirum cedere compulsi, quàm potuerunt pervadere in Monasterium. Funestiorem cladem fecit ignis, totâ urbe impunè grassatus: nec enim vel reliquum tuguriolum, ipsaque adeò Virginis Deiparæ Ædes ignibus absumpta est. Tam subitus fuit vesani furoris impetus, ut nonnisi clade jam illatâ supervenire potuerit Episcopus; qui fidem suam, quamquàm alieno scelere, tam crudeliter violatam questus, jussis primùm Urbe facessere Brustemiis, Leodium repetiit, ne tam barbarum facinus diutiùs ad oculos versaretur.

Coercenda potiùs fuerant odia inter Populares, quæ profectò non sunt extincta cum flammis.

Trudonenses ulcisci parant, non dissimulanter; palàm in causæ societatem pertrahunt quos possunt: neque Brustemiis consilium defuit; & ipsi cum aliis conspirant in Trudonenses. Non est certatum unquam collatis signis, sed ut sors ferebat. Facti invicem obvii, mutuis in se cædibus & rapinis, tum direptionibus, incendiisque grassari cœperunt. Ita paulatim, non horum studio, aut odio istorum; sed privatis concitati injuriis, dum singuli meditantur ultionem, novis factionibus omnia complent. Hic pagum, oppidum ille, ut quemque desertim fecerant injuriæ in partes pertrahunt, atque ejusmodi mali contagium brevi Diœcesi pervasit universum: ut nec ignobilis quisquam angulus à partibus immunis esse videretur.

Quod nemo mirabitur, dummodò reminisci velit, ratione controversiæ duorum fratrum totam in duas quoque partes aliquando scissam Italiam; Guelfiosque vocatos ab altero fratum, qui pro Pontifice stabant; quique pro Imperatore, Gibellinos. Immania perpetrabantur facinora, quæ defleret faciliùs quilibet aut damnaret, quàm coerceret ullus Principum qui Diœceseos hujus finibus tenerentur: non ut suos quisque in officio contineret, tutos tamen præstare non poterat à finitimorum injuriis. Qui cùm nusquam alibi quàm à suis Judicibus coerceri possent, nec facilè speraretur ea Judicum æquitas, ut externis æquè ac civibus jus redderent; proruebant singuli potiùs ad injurias armis, hoc est novis injuriis, quàm Judicio vindicandas: sic æternum novisque in dies irritandum cladibus, meritò omnes malum timebant.

Ac tandem divinæ clementiæ benignitas excitavit anno 1088. spiritum Henrici Leodiensis Antistitis, qui pro ea quâ in gregem bonus Pastor ferebatur pietate, cùm in omnem patrem versaret animum, & varia consilia agitaret, id invenit tandem quo & universæ Diœcesi pacem, & decus novum, insignemque potestatem Ecclesiæ suæ, & sibi gloriosam Pacifici appellationem comparavit.

Finitimos omnes Principes, qui Ditionem aliquem intra Leodiensis Diœceseos fines haberent, in consilium advocavit. Ubi convenerunt, exorsus Præsul gravi oratione commemorare funestam calamitatem quæ omnes singulorum, atque Principatûs

in certum exitium trahere videbatur, quando nulla adhuc consilia, nullive cujuspiam conatus pestem illam sistere potuerant; solum hoc superesse demonstravit, ut omnium suffragiis Judex discernatur; qui acceptâ à cæteris Principibus potestate judiciariâ, ipsorum clientes ac subditos quoscumque vocare posset in Judicium, saltem ubi de vi, aut injuria quæstio sit. Intellexêre Principes potéstati quidem suæ hoc novo Tribunali quidpiam derogandum; idipsum nihilominus in lucro reposuerunt, amodò, tam fœdâ hoc tempore tempestate sedatâ, pacem consequerentur.

In eam ergo venêre sententiam, nec alium creari Judicem placuit, quàm ipsum consilii auctorem, & qui in rebus ad Religionem spectantibus communis omnium erat Pastor & Parens. Hanc ergo suffragiis omnium novi hujusce Judicii formulam præscripserunt: *Episcopus Leodiensis ipse, non alius ullus, non alio quàm solemni Pontificis habitu, pro Tribunali sedeto in Æde beatæ Mariæ Virginis-ad-Fontes, non alio loco, nec alio tempore quàm Sabbatho, armatus adstato Prætor, cum aliquot Beneficiariis Ecclesiæ Leodiensis Clientibus, de injuria, vi, cæde, furto, direptione, violatis induciis, incendio, cæsis arboribus frugiferis, aliisque, judicato.* Huic Tribunali sistere se coguntor universi Diœceseos incolæ; Principes tamen eximuntur, unà cum Clero. Exempti mox fuere Rupenses in Arduenna, ut jam dicemus, & posteà Leodienses ipsi cives, nescio quibus ex causis. *Alterum absens nemo in Jus trahito; hoc tamen conceditor Clero, infirmiori sexui, itemque impuberibus, ut per Procuratorem diem dicant. Qui reus septimò citatus non venerit, nec excusarit, ære campano istius Ædis pulsato, infamis denunciator, Diœcesanorum Principum Ditionibus omnibus pellitor, interdicitor aquâ, igni, atque sacris. Altero à citationis die, hoc est Dominico, Præsul in Palatio pro Tribunali causam cognoscito: si Jure agi reus voluerit, binis Ecclesiæ Clientibus causa committitor. Eâ cognitâ, ex æquo bonoque sententia pronunciator: singulari certamine si reus maluerit controversiam dirimere, liberum esto: Prætori gladium porrigito, Prætor actori. Ante finem sextæ ab eo hebdomadæ, armis tecti miniatis, ambo in campum descendunto, vicenos pedes longum latumque, quanta ruditas & imperitia seculorum illorum, quæ non unam Diœcesim Leodiensem, sed Cristianum Orbem universum occupavit: adeò ut passim armis finerentur causam agere actores reive: & innocens, si diis placet, ille judicaretur qui jugulasset adversarium.* Aiunt sanè Henrico hoc Antistite quadrin-

Fisen lib. 9. fol. 206.

genta tredecim paria (augent alii plus altero tanto) controversias suas armis discussisse. Hanc Judicii formam descripsere Principes, addideruntque leges aliquot, quibus armorum usum ac gestationem iter facientibus quibusdam temporibus inhibuerunt. Judicandi verò potestatem Episcopis Leodiensibus concesserunt in venturas omnes ætates. Adfuerunt condendis hisce pactionibus Duces, Godefridus Bullionensis, Vindo Arduennæ, Henricus Limburgii; Comites, Luxemburgiensis, Lossensis. Notent hoc nostri Lossenses, quo loco tum Arnulfus noster sit habitus: Lovaniensis, Montis-Acuti, Mohanus, Claromontius, Rupensis, aliique complures, & postquam in eas jurassent, comprobarunt singraphis, ac sigillis appensis. Unus ab omnibus recessit Comes Rupensis, neque cæterorum minis aut precibus se eò passus est adduci, ut suam ipse potestatem imminueret, transcriberetque in Episcopum. Cæteri graviter tulerunt illam unius tergiversationem: & quasi pacem nollet, conjunctis omnes viribus in eum arma movent. Nihil ille territus, in adversum tendit, primoque congressu vincitur, & illico se recepit in suum Oppidum, ingenio loci munitissimum. Septem menses obsidionem toleraverat, quando eum defecerunt cibaria. Ad artem conversus, hostem elusit; suem Urbe dimisisse fertur, quam cùm excepissent obsidentes, & tritico multo pastam depræhendissent, spem omnem deposuerunt Oppidum fame expugnandi: pacis ergo conditiones proferunt, pactumque, ut qui in Urbe, vel intra primum milliare agerent, ab Episcopi Judicio viverent immunes.

Quibus ex Authoribus pleraque istorum elegantissimo calamo suo transcripserit Bartholomæus Fisen, videri potest apud Capeavillum tom. 2. in Henrico Pacifico.

Cæterùm illa sunt nobilissimi hujus Tribunalis exordia, quod non alio quàm Pacis Leodiensis nomine nuncuparunt comprobaruntque suâ authoritate Pontifices, Cæsares, Reges complures. Transmosanus scribit, anno 1113, mense Maio, Cæsarem venisse Leodium, judiciariamque Præsulis potestatem auctam novo Tribunali condito, quod Rubram Portam, vel Anaulum Palatii appellarunt, ideo quòd pro Tribunali sedere soleret Episcopus ad Palatii Portam, quam olim solitam esse rubram aiunt: quòd is Legiæ symbolicus sit color, in memoriam profusi eodem loco ab invicto Martyre Lamberto sanguinis. Datum

porrò Juri dicundo signum concussione sonituque Annuli ænei è Porta dependentis, unde & Jurisdictionem illam Palatii Annulum dixerunt. Eam verò non jam à Cæsare conditam aliquis existimat, verùm probatam dumtaxat illam dicundi Juris formam, quam ab omnibus hujus Diœceseos Principibus, in unam omnium pacem & bonum conspirantibus, Episcopo fuisse concessam, Pacemque Leodiensem dictam, commemoravimus. Crediderit igitur Transmosanus; jam primùm decretam constitutam per Cæsarem, quòd ipsius Rescripto fuerit probata, & fortassis (ut nihil oritur perfectum) aptiores quæpiam cognoscendi judicandique formulæ fuerunt inventæ, & ab Augusto probatæ.

Arnulfus præsidio est Monasterio sancti Trudonis.

ANno 1094, necdum cessante dissidio inter Henricum IV. Imperatorem & Metensem Episcopum, ille partem dominicalem, quam Metensis apud nos habere videbatur, tradidit in clientelare beneficium Arnulfo Comiti de Loz. Quod Limburgius graviter ferens, eo quòd major esset Advocatus, se præterito, Cæsarem propendere in Lossensem; facinus præoccupat, omniaque, quantùm tempus sinebat, invadit, conaturque Herimannum secundum, pseudo-Abbatem, vi intrudere, pristinæque, quâ abjudicatus fuerat, dignitati restituere, atque in illa stabilire. At Cœnobitæ tanto animorum consensu & constantiâ illi Simoniacoque Abbati resistebant, ut non antè Sacra peragere obstinaverint animo, quàm uterque à sancti Trudonis Terra abscesserit. Delitescebat alicubi obscuro granarii loco Herimannus, & per emissitios suos expiscabatur ecquid ageretur in Monasterio, quorsumque Monachorum propenderent animi; nihil tamen ipsi, vel Limburgius, quà terrendo, quà pollicendo, obtinere potuerunt quod vel umbram spei faceret.

Non cessabat intereà Lossensis, qui evocatis suorum expeditissimis, nec exiguo numero, confestim advolat, nihilque minùs cogitantes, Limburgium & Herimannum opprimit, suamque redigit in potestatem, abducturus in custodiam, nisi Godefridus Barbatus, Lovaniensis Comes, suam interposuisset authoritatem, obtinuissetque controversiam amicè & sine strepitu peragi. Pace firmatâ, Limburgius cum pseudo-Abbate abscessit, cœptaque ipsâ discessûs illorum horâ Divina peragi, actæque à Cœnobitis Lossensi gratiæ, qui divi Trudonis Domum tam evidenti eripuerit periculo. In hunc modum Chronicon. Nec plu-

ra habeo quæ de hoc Arnulfo dicam, nisi quòd genuerit filium sibi cognominem, Comitatûs heredem, de quo mox agemus; Theodoricum, Raynaldum, & Henricum. In fata concessit 11. Kalendas Octobris. Ignoratur anni Christiani epocha.

De ejus filiis.

DE Theodorico istud tantummodò legi, quòd ipse & frater ejus Arnulfus Comes de Loz Tabulas signarint anno 1101, quibus Henricus III. Imperator approbat restitutionem villæ Andanæ sive Andennæ factam ab Alberto III. Comite Namurcensi Virginibus in Ecclesia Andennensi Deo famulantibus. Sunt tamen qui hunc velint, non Arnulfi IV. filium, sed fratrem, quibus non repugno: malo tamen aliter sentire, donec aliunde grandior lux affulgeat. Raynaldum scribit Brustemius Gerardi Comitis Lossensis filium, sed credo Exscriptoris alicujus vitio; cùm id temporis, quo ille vixit, nullorum Comitum Lossensium uspiam aliqua in veteribus Memoriis, & manuscriptis Codicibus fiat mentio, nisi duorum Arnulforum, qui ab anno 1083. ad usque 1138 successivè obtinuerunt Imperium. Placentius, quem Recentiores potiùs sequuntur, ne impingant, Raynaldum Comitis Lossensis tantùm scribit filium: quâ enim ratione toties entia multiplicamus, quoties injuriosè scribentis aberrabit calamus; & ut alii fuerint è Domo Lossensi, non aliter tamen scribebantur quàm de Los; nullus addebatur Comitis titulus, nisi qui re ipsâ forent Comites. Ponamus igitur Raynaldum Arnulfi IV. filium, Fundatoris Abbatiæ Averbodiensis fratrem; is igitur fuit anno 1131. Canonicus sancti Lamberti, & Præpositus Fossensis, Alexandro primo Cathedræ Leodiensis Antistite, quo Capituli Leodiensis recensebantur Imperatoris Lotharii filii duo, Regum septem, Ducum quatuordecim, Comitum triginta. Quos inter Raynaldus noster quarto recensetur loco, Baronum septem. Quod Cleri Cathedralis decus augustumque lumen dum Brustemius aspicit, æstu quodam, seu amoris, seu stuporis, incitatus, sic exclamat: *Pulchra erat & decora facies illustris Ecclesiæ Leodiensis, ut de ea diceretur; Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.*

Tabulas Alberonis II. Leodiensis Episcopi, quibus approbat conventionem factam inter Ebroinum Broniensem Abbatem, & nobilem virum Manassen de Hierge, profecturum in Siriam an-

no 1140: quia inter cæteros testes signavit Berengius Præpositus Fossensis, inde videtur consequens, jam tum Raynaldum Lossensem cum Præpositura vitâ quoque excessisse; neque quòd de eo dicam suppetit aliud.

Tertius mihi Arnulfi filius suggeritur ex Genealogia Dynastarum ab Arckel, quam Coloniæ cùm essem anno 1639, subministravit Cl. V. Ægidius Gelenius, posteà Osnaburgensis Suffraganeus, ex instructissima sua mſ. Codicum Bibliotheca, quâ Joannes hujus nominis V. Dynasta ab Arckel scribitur sibi copulasse matrimonio Gertrudem Henrici de Los, Domini Steyvordiensis filiam, atque ex illa stirpem propagasse. Steyvordiensis verò pagus, itinere sesquihoræ Hasseleto distans, hodieque est celebris, & aliquot nobilium Virorum Castellis insignis. Cùmque Ecclesia Steyvordiensis, Hasselensis Parochiæ filia sit; etiam ex illius hujus elucet antiquitas. Reliquit præterea post se alteram filiam Elisabetham uxorem Theodorici secundi Domini de Renesse, qui obiit anno 1207. Dirick van Renesse, secundus filius Peregrini Comitis Hollandiæ, habuit uxorem Elisabetham filiam secundogenitam Henrici Lossensis Comitis. *Ita ex antiqua Tabula de Auleys Castri nostri Heusdensis adnotavi anno 1652. die 18. Junii*, inquit D. Remaclus Bartholens, Monachus & Receptor Trudonensis.

Cùmque ex Gertrude illa Lossensi, quam Reusnerus vocat Comitis Lonii filiam, diducat suum genus Joannes Arnoldus ab Arckel, XLVIII. Leodiensium Antistes; non pigebit aliquantò altiùs prosapiam Arckeliorum repetere, illustremque Domum ab oblivionis vindicare interitu. Herimannus, vir nobilis & militaris, ex Pannonia in Hollandiam profectus, ob animi insignes corporisque dotes, Præfectus partis Frisiæ constituitur: eâque spartâ probè administratâ, tandem Ditione Arckelia, cujus Metropolis Gorinchemium & Lerdama, donatur à Theodorico secundo Hollandiæ Comite. Is ex destructo Fano, in quo olim ab Accolis cultum Herculis Idolum, Ædem resuscitavit Deiparæ Virgini, adjectâ, quam ipse posterique inhabitarent, Arce, cui ab Herculis Fano mansit nomen *Herckelbrouck*, quod decursu temporis dictum *Erckel* sive *Arckel*, aspiratione suppressâ resciſſâque postremâ sillabâ, idque brevis euphoniæ gratiâ: hinc Ditio Arckelia nomenclaturam adepta, habuitque plures pace & bello illustres Regulos.

Poppo, Herimanni filius & successor, Arcem auxit. Obiit provectè senex anno Christi 1008. Uxor maria Comes Hoyensis.

Joannes, hujus nominis primus, Dynasta ab Arckel, absolutâ jam Arce anno 1034, proficiscitur contra Infideles in Siriam, ibique pulchram oppetiit pro Christiana Fide mortem. Uxor Elisabetha Wilhelmi Comitis Lucani filia.

Joannes II. periit in oppugnatione Arcis Iselmondanæ anno 1082. Uxor Margareta Domini Altenni filia.

Joannes III. in reditu ex Siria, impetratis multis pro Ditione sua Arckelia immunitatibus, naturæ satisfecit anno 1112. Uxor Aleyda Heusdana.

Joannes IV. cæsus in secunda pugna Grimbergensi anno 1144. Tori socia Petra sive Petronilla Comes Aræ.

Joannes V. duxit uxorem Gertrudem de Los, Henrici Dynastæ de Steyvart filiam, Arnulfi Comitis Lossensis neptem. Discessit ex hac vita in reditu Jerosolimitano anno 1176. Joannes VI. Arcem Arckeliam vetustate collapsam resuscitavit à fundamento novam, emitque Oppidum cum Arce Asperana à Gerardo Asperæ Domino. Occubuit in pugna Couvardana anno 1225. Conjux Margareta Balduini Ninhoviæ in Flandria filia. Hic (quod ad Historiam nostram pertinet) Ludovicum Lossensem Comitem consanguineum suum humanissimo excepit hospitio, latibulumque præbuit in Arce Altena, dum ab Aleyde Theodorici VII. Comitis Hollandiæ conjuge, marito recenter mortuo, evocatus ad inauspicatas Adæ filiæ advolaret nuptias, ut pluribus narrabitur lib. 7.

Quinque deinde alii etiam Joannes nomine, nihil interruptâ serie masculâ, successerunt.

Duodecimus Comes ab Arcka Joannes quoque nomine. Pater fuit Joannis Arnoldi ex Ultrajectensi XLVII. Leodiensis Episcopi, quem illi peperit Comitis Warneburgii filia. Hic postremò bellum gessit de Comitatu Lossensi cum Rummeo, Arcemque illius excidit, redactoque in ordinem, Episcopatui Leodiensi asseruit anno 1367. Sub fine vitæ, dum ab æstu negotiorum, tumultuque regiminis discensionem parat, vitamque meditatur solitariam (ut qui diù vixerat aliis, sibi ad extremum viveret) à Deo; in cujus manibus sunt ævi nostri momenta, anno 1378. evocatur è vivis, & Ultrajecti sepelitur. Fratrem habuit Ottonem Arkelium Dynastam, cujus filius Joannes XIII. infeliciter

consensit manus cum Alberto & Guilhelmo Bavaris, Hollandiæ Comitibus. Is deinde à propriis captus subditis, & quàmvis post decennii detentionem tandem dimissus, nunquam tamen à Gorinchomiis admitti potuit, & hac de causa Ditio Arckelia divendita Egmundanis. Diem obiit extremum Leydæ anno 1416. Nupserat illi Joanna Juliacensis, cui Raynaldus frater extremæ voluntatis suæ Tabulis legavit Gelriam, peperitque Guilhelmum Arckelium & Mariam. Guilhelmus decertans contra Joannem Bavarum Hollandiæ Comitem, & Walravium Bredenrodium, Gorinchomii succubuit (licèt illud à patre venditum, operâ Joannis Egmundani demùm recuperasset.) Ceciderunt in illa pugna circiter duo millia: ipse tantò felicior, quòd nullum cladis, uti nec bonorum, reliquerit heredem. Maria soror, aliis Margareta, nupserat Joanni Egmundano. Isque jure uxorio ad se devolutam Ditionem Arckeliam vendidit Guilhelmo Bavaro Hollandiæ Comiti, mansitque deinde Hollandiæ annexa.

Arnulfus V. Comes Lossensis fundator Cœnobii Averbodiensis.

EXordium Imperii ejus desumo ab anno Christi 1101, quo ipse cum fratre Theodorico signavit Tabulas Henrici III. Imperatoris, uti diximus. Fuit eximiâ pietate in Superos, Ecclesiasticumque Ordinem munificentiâ, nec rebus bello præclarè gestis prudentiâque inferior. Arcta illi cum Theodorico, Politiorum Litterarum in paucis perito, Abbate sancti Trudonis, ejusque successore Rudolfo, constansque familiaritas; resque Trudonensium pro viribus tutatus est, ac se quidem ipse, non nomine, sed Advocatum, id est Defensorem & Protectorem, exhibuit, singularique Rudolfum benevolentiâ semper complexus est. Probationes horum præcedenti dedimus libro, ad annos Christi 1107 1109 & 1119.

Henricus V. Imperator anno 1119. decimas Santflitianas concedit & attribuit Collegio Canonicorum Antuerpiensium in Ecclesia sancti Michaelis adhuc residenti, id petente Godefrido Barbato Lotharingiæ & Brabantiæ Duce, S. R. I. Marchione Antuerpiensi. Inter testes sæculares primo recensetur loco Arnulfus, Comes de Los.

Walterus de Trudeneris, vir nobilis, Monasterio sancti Laurentii Leodiensis dono dat prædium suum in Comitatu Steppensi.

Donationem suo Diplomate confirmat Albero Leodiensis Episcopus anno 1124. De Nobilibus testes fuerunt Gerardus Comes Namurcensis, Arnulfus Comes Lossensis, Gislebertus Comes de Duras, Lambertus Comes de Monte-Acuto.

Bellica ipsius virtus.

DUrassiæ pugnæ superiore libro meminimus ad annum Christi 1129, cui Arnulfus cum immortali bellicæ virtutis gloria interfuit. De eo siquidem apud Chapeavillum tomo 2. in Additionibus ad cap. 24. Ægidii Aureæ-Vallensis scribit Brustemius: *Cum suis Episcopus tunc Alexander contra Ducem Lovaniensem pugnaturus, Orationum munitus clipeo, triduano inducto jejunio, in congressu innumerabilem sub mœnibus Durachii fugavit & protrivit exercitum. In principio conflictûs terga vertebat exercitus Episcopi ad fugam compulsus, uno tantùm cuneo, in quo Hoyenses erant, & pauci admodùm milites, cum Comite Arnulfo Lossensi remanente, à quo posteà exercitus Lovaniensis in maxima parte cæsus est, & tandem fugatus.* Hæc ille.

Aderat dies septimus idus Aug. pugnæ designatus. Disponuntur utrimque acies campo præelecto. Pro Brabanto stabat Theodoricus Comes Flandriæ, & belli origo, Gislebertus Durassius; Episcopi partes adjuvabant Waleramus Limburgius, Dux Lotharingiæ, generosusque Comes noster Arnulfus. Fit pugnæ signum, fortissimèque decertatur. Hæret viro vir, & ut cominùs impugnabatur acerrimè (necdum reperto usu nitiati pulveris aut ænearum machinarum,) Arcibus exiguam opem ferentibus. Inclinabat primùm victoria ad Lovanienses, qui Leodienses & Waleramum de gradu dejecerant: solus ex Ducibus perstabat Arnulfus cùm paucis militibus, id est Equitibus Auratis, ut modò loquimur, adjutus insigni Civium Hoyensium cuneo, Brabantorumque non modò repulerunt impetum, sed perfregerunt aciem, compulerunt in fugam, peperere victoriam. Quod quàm facilè dicitur, tam observandum sedulò Arnulfum rei bellicæ fuisse experientissimum, exiguam quidem Equitum Lossensium sub signis habuisse manum, eaque sic firmasse peditatum, ut rupis instar, hostilis torrentem exercitûs sustinuerit impetum, ordines redintegrarit, Leodiensibusque certam adaperuerit ad victoriam viam. Neque existimandum, exiguum tum illud fuisse prælium, quo fortè nullum majus Belgica antè viderat: cùm non modò climatis unius, sed cres-

crespitis de summa rei decertarent maximi Belgarum Principes, ut nostro Comiti, post sancti Lamberti gloriosissimi Martyris preces, accepta ferenda sit hujus victoriæ gloria; qui veluti Principibus Triariorum rem Leodiensium retrolapsam restituit, optima quoque de potentissimo hoste retulit spolia. Quo verò encomio, Heros fortissime, hoc facinus celebrabo tuum? aut quibus te Antiquorum Bellatoribus conferam? Certè illud militiæ summum est decus, inclinantem aciem restituere, hosti vincenti victoriam extorquere, suorum firmare animos, adversariorum dejicere: quid enim Antiquitas majus habuit quod deprædicaret in Julio Cæsare, quàm quòd, cedentibus in prælio Romanis, ereptam Signifero Aquilam in consertam hostium aciem conjecerit, initium fecerit resistendi, ac tandem profligaverit hostem. Mirum Scriptores ejus ævi tam paucis factum illud verè heroicum perstringere: qui si præconem nactus fuisset ex Romanis, haberet fortè Patria quod omni retro Antiquitati opponeret; at illi, magis promovendæ pietatis, quàm milites celebrandi, studiosi, malebant quoscumque felices rerum eventus supremo Numini, & intercessioni sui Defensoris, potiùs quàm cujuspiam industriæ vel fortitudini adscribere.

Prudentiæ ipsius specimen.

SWeerius Almus in Historia Fundationis Rerumque memorabilium sui Monasterii Mariæ-Wertensis in Bethua, aliique Scriptores Hollandici, tradunt, dissentionem circiter annum 1058. intercessisse Florentium primum Hollandiæ Comitem inter & Herimannum Comitem de Cuyck, illamque tenuisse ad annum 1062, quo in manifestum erupit dissidium, & bellum perventum mox ad manus, jussumque prælium in vico Hemertensi, ad Mosæ & Vahalis Confluentiam; protritæque & profligatæ ab Hollandis Hermanni copiæ, nisi quòd Florentius ea in pugna occubuerit, ipsius Hermanni redintegrantis prælium peremptus manu. Hinc natum immortalis quasi odii seminarium eò excrevit, ut Theodoricus VI. Hollandiæ Comes, post plurium annorum decursum, rursus corripuerit arma, bellumque indixerit Hermanno, alteri interfectoris filio, ulturus nempe avi mortem. Cùmque jam omnia spectarent ad cruentum prælium, Andræas de Cuyck, Hermanni frater, Antistes Ultrajectinus, consilio in-

terventuque in primis Arnulfi Loffenfis Comitis, Joannis Heufdani, Wilhelmi, Hermanni, aliorumque Dynaftarum & Procerum, illud anno 1130. obtinuit ab Hollando, ut omiſsâ pugnæ aleâ, controverſia decideretur ex bono & æquo. Latus eſt utrimque ipſe Antiſtes Arbiter, quòd homo facer eſſet, & pro æquitate rei judicaturus videretur, potiorem juſtitiæ quàm ſanguinis rationem habiturus. Is verò, ut erat ſingulari prudentiâ, vitæ integer, & pacis amantiſſimus, habito cum Loſſenſibus, aliiſque ad id evocatis, conſilio, ſtatuit, fixumque eſſe voluit, ut in abolitionem veteris inimicitiæ, ac qualem perpetrati homicidii expiationem, frater ſuus Hermannus fundet dotetque Monaſterium eo loco quo olim commiſſa pugna, Religioſique Deo famulantes nunquam intermittendas pro interfectis fundant preces, animamque Florentii Deo concilient. Hoc Cœnobium tributum fuit Canonicis Regularibus Ordinis Præmonſtratenſis, Lauduno è Galliâ ab Epiſcopo evocatis, nomenclaturamque obtinuit *Mariewert*.

Anno 1131. prima Chriſtiani Orbis Capita, Innocentium ſecundum Pontificem, & Lotharium Cæſarem, Leodium excipit. Innocentium Italiâ pepulerat Petrus Leonis, pſeudo-Papa, Anacleti nomine; ſed hunc Legia damnabat, Innocentium amplexa ſtudio non minore quàm prudentiâ. Profugus ergo Româ legitimus Pontifex, poſt luſtratas Galliarum Eccleſias, Remiſque celebratum Concilium, Lotharingiam ingreſſus, Leodium venit XI. Kalend. Aprilis. Venienti Lotharius cum ſplendido Præſulum Principumque Comitatu proceſſit obviàm, & inter ſtructos Cleri decumbentis ordines ex adverſo progreſſus, Pontificem pedes ipſe ſalutavit, Stratoriſque munere functurus, virgam alterâ manu ad arcendam turbam, alterâ frenum accipit, deduxitque Pontificem, non aliter ac Dominum ſuum, ac deinde deſcendentem ex equo ſuſtinuit brachiis.

Hoc celeberrimo Præſulum, Principumque Conventu quis abfuiſſe Loſſenſem audeat dicere adeò vicinum Leodio, Cæſari clientelari beneficio obnoxium, Antiſtiti Alexandro noviter fœderatum, ſummi denique Eccleſiæ Capitis obſervantiſſimum; adde quòd haberet fratrem Raynaldum ad ſancti Lamberti Canonicum, Præpoſitum Foſſenſem, Comitatûſque Imperatorem, Diplomata ipſius inter teſtes ſignaverit. Quem illuſtrem Conventum nemo tamen magis illuſtravit, vel generis claritate, vel ma-

jestate dignitatis, quàm Bernardus Claræ-Vallis Abbas vitæ suæ sanctimoniâ.

Octavâ postquam venerat Innocentius die, id est Dominicâ *Lætare*, læto & bene animato die, à divi Martini in Monte, ad sancti Lamberti instituta Supplicatio, tum solemne Sacrum in Æde principe ab ipso Innocentio Pontifice maximo celebratum. Denique Dominica Palmarum quasi palmata est triumphali luce: ab eodem Pontifice Lotharius Augustus Cæsar, cum Augusta Conjuge, Imperiali Coronâ redimitur, adstantibus Cardinalibus plurimis, Archiepiscopis, & Episcopis, tam Lotharingicis quàm Trans-Rhenanis triginta, & Abbatibus permultis; quos inter etiam sanctus Bernardus: ut nihil de Principibus sæcularibus dicam, quos inter Arnulfus Comes Lossensis. *Anno primo Imperii Lotharii, id est anno* 1133, *quo Romæ coronatus*, inquit Ægidius Gritte Prior ad sancti Jacobi in suo ms. Chronico, *Olbertus sextus Abbas sancti Jacobi Leodii impetrat ab eodem Imperatore confirmationem medietatis villæ de Bacenges, quam Widichinus homo nobilis de Zuatsenbruch in Saxonia, veniens ad Curiam Aquisgrani, in Epiphania, tradidit Deo & B. Jacobo in Leodio, per manum Arnulfi Comitis de Los Advocati sancti Jacobi.*

Ecce ut ab exordio istius Monasterii Comites Lossenses hereditarii fuere Advocati Armati, sive Defensores, ipsique Leodienses Episcopi, qui Comitibus successerunt, non nativitate, sed electione Capituli Leodiensis esse perseverent. Quid verò pro defensionis & protectionis opera Monasterium Advocato pendere debeat, idem Ægidius recenset in hunc modum: *Anno* 1315, *die sancti Mathæi Apostoli & Evangelistæ, Arnoldus Comes Lossensis, & Margareta uxor ejus, interveniente consensu Ludovici Comitis de Chiny, filii eorum primo-geniti, declarant quòd ratione Advocatiæ Monasterii sancti Jacobi Leodiensis, ad Comites Lossenses spectantis, de bonis ejusdem Abbas & Conventus solùm sibi teneantur annuatim in tribus marcis, sex solidis Leodiensibus, pelliceo & bottis. Cùm Leodii Pontifex ageret, Alexandro Episcopo imperat sancti Gerardi Broniensis sacrum corpus terrâ educeret, quo promeritos vitâ sanctissimè actâ, multisque post mortem prodigiis honores religiosiùs mortales rependerent, atque uberiùs (si Numini videretur) ab illo beneficia referrent. Eam esse Dei voluntatem non infrequenter è Cœlo nuntiatum fuerat. Paruit eodem mox anno* 1131. *Alexander Antistes, ingenti religiosoque Ordinum omnium consensu, atque in primis piissimus*

Comes noster Arnulfus adfuit. Maximè tamen Godefridi Namurcensis pietas enituit, qui sancti Gerardi reverentiâ ductus, non modò professus est, nunquam se commissurum, ut libertatis Broniensis ipse quidquam imminueret, verùm illam omnibus tueri viribus sibi constitutum esse. Hujus donationis Diploma Alexandri Episcopi in Tabula Broniensi asservatum integerrimâ quoque fide exhibet Bartholomæus Fisen in Not. ad lib. 10. fol. 403; illique subscripserunt Nobiles viri, Clerici & Laici, qui rei celebratæ testes adfuerunt. In primis Joannes Archidiaconus, & Præpositus sanctæ Crucis, Dodo Archidiaconus, & sancti Bartholomæi Præpositus, Herimannus Archidiaconus, & Nivellensis Præpositus, qui tum reverà vixerunt: nec tamen ullius illorum nomen in Tabula Trans-Mosani exprimitur, adeòque fictos ab eo homines illorum substitutos dignitatibus videtur esse consequens. Deinde sigillavit Arnulfus Comes Lossensis, Obaldus de Florims, Gualterus de Bar, de familia sancti Lamberti, Theodoricus de Ponte, Wericus de Prato, &c. Actum Bronii feliciter, &c.

Lotharius Imperator jura ac privilegia Ecclesiæ sancti Servatii Trajectensis ad Mosam confirmat. Hujus rei testes de Principibus fuerunt Dux Waleramus, Dux Simon, Comes Arnulfus de Los, Gosuwinus de Falco-Monte, Gerardus de Hostade.

Fundat Abbatiam Averbodium.

IN silva Averbodiensi annosa stabat quercus, cui ad latus nonnihil excavatæ fidelium quorumdam rusticanorum pietas imposuerat, cultûs causâ, exiguam Deiparæ Virginis Statuam: nec diù ibidem stetit, cultaque sine prodigiis. Quantùm enim Advenarum quotidie crevit accursus & devotio, tantùm benigna & munifica fuit in cujusvis generis afflictos, variisque laborantes morbis Virgo Mater, sanctissimâque suâ apud Filium intercessione, crebra ibi fieri miracula obtinuit. Quibus Arnulfus Comes, qui & ipse singulari in Deiparam ferebatur pietate & cultu, promotus, quercui adjecit Ædiculam sacram, quâ Advenæ commodiùs suas profunderent preces, ipsaque sacra Icuncula servaretur ab aëris & tempestatum injuria. Non raró eò voti exolvendi causâ adequitabat, subditisque optimo raræ erga Dei Matrem devotionis prolucebat exemplo; tandemque deliberavit cum animo suo, ibi majoris cultûs venerationisque ergo, collocare ali-

quos Ecclesiastici Ordinis, qui Sacra quotidie peragerent, & affluenti Populo forent præsidio.

Intercedebat illi, ut suprà vidimus, arcta sanctaque familiaritas cum Rudolfo Abbate sancti Trudonis, qui ob ingentem quam illi movebant prosecutionem Gislebertus Durassius, quòd electioni Frederici Leodiensis Episcopi faveret contra Alexandrum designatum à Cæsare, secesserat Coloniam, ibique agente Frederico Coloniensi Archiepiscopo, cui jam diù ab eximia pietate & doctrina innotuerat, electus fuerat in Abbatem sancti Pantaleonis. Cùmque sanctus Norbertus inspiratus divinitùs ubi sacra D. Gereonis Sociorumque Martyrum delitesceret lipsana, anno 1121. venisset Coloniam, omniumque in se convertisset vultus & animos, ob excellentem, quæ in eo relucebat, vitæ sanctimoniam, facilè id ejus causâ venerat, nimirum perquirendarum sacrarum Reliquiarum; facultatem ab Archiepiscopo & Clero obtinuit: & quàmvis paucis ab hinc annis Rudolfus in Regione Interamnensi, unde erat oriundus, sanctum Norbertum (ut similibus simul gaudeant) familiariter novisset; arctior tamen illos junxit necessitudo, ex quo Coloniæ habitu pontificali cum cæteris infulatis, inventioni & elevationi sacrorum Pignorum ipse adfuit, sanctumque Norbertum summâ veneratione complexus, Sacrum cecinit de sanctis Martyribus, jubente Archiepiscopo, qui & Orationem ad Populum habuit. Quæ omnia bene longâ & eleganti ad suos Trudonenses perscribit epistolâ, quâ se peccatorem, Norbertum Dei servum magnum Prædicatorem dicit. Extat illa lib. XIII. Chronici Trudonensis.

Quibus conditionibus Callistum Pontificem inter & Henricum Imperatorem anno proximo pax illa de Præsulum designatione, sive investitura per baculum & annulum, toto Orbe Christiano diù desiderata, omnibus inferorum artibus impedita, & singulari divinæ pietatis beneficio demum concessa, coaluerit, videri potest ex Urspergensi apud Bartholom. Fisen lib. XI. §. 32. Illâque jam Rudolfus Abbas, qui à Pontifice semper steterat, planè plenèque securus, in comitatu Archiepiscopi ad suam sancti Trudonis Abbatiam revertitur, pacificèque deinde possedit, relictâ sancti Pantaleonis Coloniæ, extra muros: & ut ad illum aliquando visebat Arnulfus Comes, seriò tandem mentem suam aperuit de advocando aliquo religioso Cœtu ad Ædiculam sacram in Averbodio, quæ ob Deiparæ Virginis Imaginem

jam pridem cœperat clarere miraculis. Ille verò ingenti sancti Norberti, Ordinis Præmonstratensis Institutoris, perstrictus amore, quòdque religiosissimus ipsius Cœtus recenti miroque per Belgium flagraret odore, Comiti idipsum animo volventi facillimè persuasit eò aliquot ex sancti Noberti Asseclis accersere, qui variis tum locis Colonias deducebant: Floreffiæ anno 1123, Antuerpiæ ad sancti Michaelis 1124, in Ducum Parco juxta Lovanium 1129. Isthæc pleraque habeo ex relatu R. D. Remacli Bartholeyus Monachi, & Receptoris Generalis Imperialis Monasterii sancti Trudonis, ejusdemque Tabulario.

At quo præcisè anno Præmonstratenses Averbodium immigrarint, primaque Monasterii injecerint fundamenta, Authores variant.

Vidi veterem quandam Memoriam, quâ traditur id factum anno 1128, quo scilicet Grimbergense Cœnobium sancto Norberto ejusque Sociis traditum ab Arnulfo Grimbergæ Domino, quod deinde Lictardus Cameracensis Episcopus anno 1132. confirmavit.

Bartholomæus Fisen, & ex eo Author Compendii Historiæ Leodiensis Universalis, scribunt Averbodiense Cœnobium conditum anno 1131, idque ex eo credo quòd Arnulfus Comes in Diplomate Fundationis nonnisi anno 1135. expedito, dicat se fundasse Ecclesiam sanctæ Mariæ, sanctique Joannis-Baptistæ in Averbodio, obtinuisseque firmari hanc donationem ab Innocentio bonæ memoriæ universalis Ecclesiæ Patre nostro, quod contigit, quando anno prænotato Leodii adfuit. Huc etiam spectant Alexandri Episcopi Leodiensis Tabulæ, qui de simonia accusatus, Romam evocatur ad dicendam causam anno 1133; proximoque damnatus, movetur Episcopatu, deinde anno 1135. tristitiâ confectus moritur: itaut Tabulæ ipsius expeditæ censeri debeant anno 1131: cùm coràm audisset vidissetque in præsentia summi Pontificis piam illam Comitis donationem factam. Certè ergo huic sententiæ assentior, donec certiùs eluceat. Miræus in Chronico Belgico inchoatum ait anno 1133, quem plures sequuntur quòd ad ea quæ diximus non reflexerint animum. Diploma Comitis ne vel sillabâ imminutum habe.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Respectu divinæ misericordiæ dignum adjudicamus fideles Christi famulos debere confovere, & de nostra habundantia necessitatibus eorum concurrere, & eorum im-

piam sublevare : ut cùm defecerimus, recipiant nos in æterna Tabernacula. Hinc est quòd ego Arnoldus Dei gratiâ dictus Comes de Los, cum Lodovico filio meo, Ecclesiam sanctæ Mariæ sanctique Joannis-Baptistæ in Averbodio, Allodio nostro fundavimus, & in ea Canonicos Præmonstratensis Ordinis, sub regula B. Augustini degentes, collocavimus; quibus omnem terram cum nemoribus, à termino Erdeberghæ usque ad terminum qui dicitur Ulrepack, cum pascuis circumjacentibus, liberè concessimus. Ecclesiam etiam de Tessenderlo, cum decimis & appendenticiis, prædictis Fratribus in usus proprios largiti sumus. Hanc etiam donationem à Patre nostro universalis Ecclesiæ Pontifice bonæ memoriæ Innocentio firmari fecimus. Ne autem aliquis successorum meorum hanc nostram donationem temerè violare præsumat, præsentem paginam sigilli nostri attestatione communivimus. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ 1135. Indictione XIII, præsentibus liberis hominibus nostrisque Ministerialibus, quorum hæc sunt nomina; Walterus de Heere, Cono frater ejus, Engranius de Los, Godefridus & Hildefridus fratres ejus, Eggebertus de Rolenghem, Oldericus de Bilrewelt, Helias de Gelmene, Sebaldus & Conrardus de Gelmene, Godefridus de Mettencoven, Robertus de Berloz, Hugo frater ejus, Hermannus Busch, Hermannus de Bovingen.

Verba illa *Pontifice bonæ memoriæ Innocentio*, non significant illum tum obiisse, cùm vitam protraxerit ad annum 1143; sed quòd piùs Comes suavissimæ Pontificis Leodii præsentiæ recoleret memoriam, qui tanti hanc fundationem fecit, ut sub sua sacræ Sedis protectione susceperit. *Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Ecclesiam beatæ Mariæ sitam in Averbodio, quam nobilis vir Arnulfus Comes, ejusque participes fundarunt, sub protectione sancti Petri suscepimus, & præsentis privilegii paginâ communivimus. Datum Laterani anno millesimo, centesimo, tricesimo-nono, Pontificatûs nostri anno decimo-octennio.* Ecce seriùs datæ Litteræ Apostolicæ, quàm fundationem Leodii approbasset vivæ vocis oraculo. Eodem anno, dum Pontifex Rogerium Apuliæ Calabriæque Ducem persequitur, ab eodem capitur; à quo cum honore habitus, ipsi Apuliam & Calabriam, cum Regis titulo, 24. Julii concessit. *Ego Alexander Dominici Gregis in Episcopio Leodiensi humilis Custos, notum facio quòd Arnulfus Comes de Los, assensu aliorum Nobilium Participum, sacrum scilicet Arnulfi de Areschot, Arnulfi de Diest, Comitis de Rupe, & Rudolfi Abbatis Monasterii sancti Trudonis Allodium, quod nominatur Averbodium, ad*

honorem Christi dedit. Hoc autem in ædibus nostris stabilitum est me teste, me presente, temporibus Lotharii Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, Pagani Ducis Limburgensis, & Godefridi Comitis Namurcensis.

Suprà dixi mihi videri, has donationis testes litteras datas fuisse anno 1131.

Rudolfus Abbas sancti Trudonis benefacit Averbodiensibus.

STephanus divinâ miseratione Metensis Episcopus. Terram, quæ Averbodium vocatur, usque ad tempora Selis, latronum & prædonum spurcitiis, rapinis & homicidiis vacantem, in qua cum aliis viris Nobilibus portionem aliquam Ecclesia sancti Trudonis habuit, consensu Rudolfi ejusdem Ecclesiæ Abbatis, Ecclesiæ sancti Joannis-Baptistæ, quæ inibi fundata est, liberè possidendam contradidimus. Huic nostræ traditioni assensum præbuerunt Advocati Ecclesiæ sancti Trudonis, Waleramus Dux & Marchio Lotharingiæ, & Gislebertus de Duraschio. Testes adhibiti Bruno Coloniensis Archiepiscopus, Albero Episcopus Leodiensis, Comes Godefridus de Namurco, Arnoldus de Los, Lambertus de Monte-Acuto. Actum anno millesimo, centesimo, tricesimo-sexto.

Philippus Archiepiscopus Coloniensis Averbodium in suam protectionem suscipit circiter annum 1199.

PHilippus Dei gratiâ Archiepiscopus. Dilectis in Christo Fratribus Stepponi Abbati, & toti Conventui in Averbodio. Domum vestram in Averbodio, quam licèt possessione tenuem, devotione tamen invenimus locupletem, in protectione nostra suscipimus; nominatim autem jus Patronatûs Ecclesiæ de Tessenderlo, à Comite de Los vobis collatæ, similiter jus Ecclesiæ de Testel; & item quidquam pertinet ad Curiam vestram de Cheiserbruck; item Beneficium quod contulit vobis Gerardus Comes de Los; item Tessenderlo, præsentis scripti patrocinio confirmamus. Datum in Averbodio, Pontificatûs nostri anno 18.

Anno 1138. Arnoldus noster Comes de Los interfuit celeberrimo illo Actui, qui præsentibus quampluribus Belgicæ Germaniæque Proceribus, Coloniæ Agrippinæ est habitus, quo Ostergoæ & Westergoæ, Frisici Comitatûs, volente ita Conrardo Romanorum Rege III. Præsuli Ultrajectino Andreæ Cuickio sunt adjudicati, Tabulasque inter cæteros signavit. Extant apud Hedam.

Idem

Idem Conrardus prædium Harve, ab Henrico III. Imperatore avo suo collatum Aquisgranensi Ecclesiæ, confirmat eodem anno. Testes sunt post Episcopos, Wilhelmus Comes Palatinus, Waleramus Dux, & filius ejus Henricus, Godefridus Namurcensis, Comes de Los. Atque hæc postrema Arnulfi nostri memoria: nec ullas ampliùs signavit Tabulas publicas, quæ extent; veroque simile, ante annum 1140. concessisse in fata. Obiit tertio idus Aprilis.

Uxor Arnulfi & Proles.

ILla vocabatur Agnes, Ducis Bavariæ filia, Ottonis soror: nec aliud exsculpere potui, nisi quòd marito superstes, benefecerit Monachis Villariensibus, juxta hoc fide dignum testimonium: *Dominus Ulricus, Abbas Villariensis, strenuè abbatisavit viginti-quatuor annis. Iste plantare cœpit Curias de Scheten & Sart, Resbarbe & Hex, quas Agnes Comitissa de Los anno* 1160. *dedit Monasterio Villariensi, nihil juris sibi vel heredibus suis in Allodio illo retinens. Iste Abbas fuit homo plenus decori & famæ suaveolentis.* Ita Codex manuscriptus sancti Trudonis, *Sacrarium* inscriptus fol. 1. Cujus donationis hodieque Monumentum amplissimum superest Monachorum. Curia vulgò *Muninxhof*, propè Loscastrum, olim ædificata ad normam ipsius Villariensis Cœnobii, quam Villarienses cesserunt tempore Grosbekani Principis Canonicis sancti Lamberti, pro fundis aliis, quos Ecclesia Leodiensis possidebat in Brabantia. Ludovicus primo-genitus patri successit. Philipus de Los moritur circiter annum 1164. Videndus foret Albericus, si ad manum foret, ad annum 1166. Gerardus de Los filium habuit Ottonem, qui aliquando abreptus undis interiit; sed precibus & intercessione Arnihii, Averbodiensis Religiosi, rediit ad vitam, uti infrà dicemus.

Agnes de Los.

Emma de Los nupsit Walthero de Mombeck Domino de Villary.

Ludovicus hujus nomimis II. Comes Lossensis.

ANtiquissima hujus, quam eruere potui, hæc est memoria, quòd egregiam navaverit operam Hermanno Wilhelmi Dynastæ Hornei filio, qui defuncto anno 1150. Heriberto XXVI. Ultrajectensi Episcopo, cùm in locum à Clero surrogaretur,

illiusque mandata Populus detrectaret facere, inferiorisque conditionis homines nollent audire; corripuerunt pro eo arma Theodoricus Hollandiæ, Henricus Gelriæ, Theodoricus Cliviensis, & Ludovicus Lossensis, Comites, aliique quamplurimi minorum Gentium Domini, Populumque Ultrajectensem adegerunt ad præstandum Episcopo officium debitum, jussaque ipsius facienda. Utrùm idem Comes noster etiam Henrico Leodiensi anno 1153. suppetias tulerit in bello, quod ei fuit cum Henrico Namurcensi Comite, non liquet; bellum tamen Lossensem inter & Namurcensem aliquando exarsit: sic enim Wilboldus Abbas Stabulensis simul & Corbeinsis in Germania, utrumque Monasterium graviter administrans, ad suos Corbeienses Stabuleto scribit: *Ut autem sciat Vestra Fraternitas tempus nobis otiosum non præteriisse; inter Comitem Namurcensem & Comitem de Los, & Comitem de Dasburck (qui Mohanus aliter dicitur,) quorum discordia totam terram lacerabat, pacem, Deo authore, fecimus, atque inter Comitem de Rupe, qui noster Stabulensis Advocatus est, & Comitem de Monte-Acuto, qui multorum incitamentis maxima inter se bella movebant, finitimam, & toti terræ salutarem concordiam reformavimus in Diplomate dato anno* 1151, *Henrici III. Episcopi Leodiensis, Emancipationis beatæ Mariæ Magdalenæ, ad Ecclesiam sancti Jacobi Leodiensis.* Inter cæteros testes enuntiatur Ludovicus Comes de Los. Ægidius Gritte in suo Chronico.

Quo operæ pretio Ludovicus electus sit Advocatus ab Averbodiensibus.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Ego Ludovicus Dei patientiâ Comes Lonensium, notum facio præsentibus & futuris, quòd Walterus Decanus sancti Gereonis, & frater ejus Hubertus, libertatis suæ prædium, quod possidebat in Eicke, quæ supra Mosam est, cum familia ad ipsum pertinente, & omnibus appendiciis ejus, tacti spiritu timoris Dei, Ecclesiæ Averbodiensi legaverunt, observatâ Salicæ Legis omni cautelâ. Idem verò Waltherus Arnulfum de Diest, hominem liberum, Advocatum suum faciens, donationem prædii sui per ipsum ad me pertulit, ut sub defensione, & introductione mea Ecclesia illud usu caperet; introduxi itaque Abbatem Andream in possessionem, & jurisdictioni ejus ex integro supposui. Cùm autem careret Advocato idem prædium; causâ pacis &

amplioris tutelæ, elegit me Ecclesia Averbodiensis in Advocatum, determinato certo redditu pro Advocatia, per annos singulos sex solidos videlicet, quod de manu Abbatis vel Magistri, qui loco præerit, Minister meus accipiet & perferet ad me. Erit verò tam ipsum prædium, quàm familia collata cum prædio, liberum ab omni Advocatorum exactione, sive imprecaria, vel angaria, vel placitis, vel hospitiis. Æstimationem bonorum defuncti non consequentur ab heredibus vel à maritandis, nihil ab iis qui defunguntur ab vxoribus expediti. Urgente autem necessitate adductus ad placitum, tertium inde consequar denarium, & nihil ampliùs. Hoc ergo ut illibatum apud posteros meos permaneat, præsentia scripta sigilli mei impressione communio, ne res acta vacillet. Testes sunt Arnoldus de Diest, Arnoldus de Kesninck, Godefridus de Materberg, Cono de Diepenbeck, Conrardus de Aubertinghe. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo, centesimo, quinquagesimo-quinto, Indictione III. concurrente, 15. epactâ V. regnante Imperatore nostro Frederico. Quæ sic habent in autographo : Ex Chartis Averbodiensibus fol. 221.

Suppetias dum fert Godefrido Duci Brabantiæ, nepos ejus Otto perit aquis, resuscitaturque à mortuis.

LOssensis & Brabantus Ditionum suarum finibus uti vicinissimi, ita animis, fœdere, proximoque affinitatis gradu quammaximè conjuncti erant : ut siquis adversarius alterutrum impeteret, utrique bilem moveret; nec cum altero conviciari posset, quin & in alterius incurreret offensam. Erat Godefrido bellum, sed cum quo non proditur; illiusque partes Ludovicus sequens, suos armari jusserat, insignemque conflârat militum cuneum. Vivebat id temporis in Monasterio Averbodiensi, sub sanctissima Stepponis primi Abbatis disciplina regulari, Arnihius, illustris genere adolescens, sed eximiâ in Dei Parentem Virginem, Superosque pietate, & præcipuè assiduâ Dominicæ Passionis meditatione, voluntariisque proprii corporis ad illud subjugandum spiritui cruciatibus multò illustrior : (& observant Ecclesiastici Scriptores, eos Sanctos qui asperrimam hîc ducunt vitam, maximè elucere patratione miraculorum, viresque à Deo obtinere supra omnem naturæ vim.) Cùmque Ludovicus haud ignoraret, prosperum armorum successum non obtineri, nisi Deo auspice, cui uni, etiamsi humanitus præstentur quæ possunt omnia, refe-

O 2

renda sit victoria; priusquàm suæ Ditionis exiret terminis, sibi conciliandum putavit Numinis favorem, idque Averbodii, ubi aliquandiù miraculis celebrabatur Imago Deiparæ Virginis, eamque assueverat singulari pietate & cultu prosequi: venit eò singulari in Deum fiduciâ, omnibusque, quæ huc spectant, ritè peractis, cum splendida Procerum manu pergit Sickenas, vicinum Juris Brabantici Oppidum. Et dum nonnihil hæreretur, & reliquæ confluunt copiæ; inopinato nescio quo casu nepos ejus Otto de Los Tameræ fluminis abripitur fluctibus, aquisque præfocatus exuitur vitâ. Hoc tristissimo nuntio perstrictus Ludovicus, ut à precandi fervore pietatisque exercitiis adhuc calebat; jubet cadaver deferri Averbodium, ac deponi ante miraculosam beatæ Virginis, quæ vita & dulcedo nostra, Statuam, precibusque rursus cum toto religioso Cœtu, quàm potest ferventissimè, incumbit, vitamque nepoti restitui efflictim rogat. Aderat quoque Arnihius, intimâque animi commiseratione erga extinctum juvenem motus, Deum terque quaterque precatus, per intercessionem suæ sanctissimæ Matris, extincto undis vitam impetrat, bonoque esse animo jubet. O mira humillimæ precationis efficacia! ô ineffabilis vis nihil hæsitantis fidei! ô obstupescenda Arnihii apud Deum gratia! Sibi Otto redditus oscitatur primùm, quasi à recenti excitatus somno, depulsoque sopore, adstantes admirans circumspicit, ac in Dei omnipotentis laudes os resolvit; magnæ deinde à Ludovico cæterisque, Authori omnium bonorum actæ gratiæ: cunctisque fuit admirationi tanta Arnihii vitæ sanctitas. Hisque auspiciis ille profectus in prælium, dubio procul prosperi eventûs, quum adeò feliciter cum ipsa velitatum sit morte. In hunc ferè modum Commentarii Averbodienses, antiquissimaquè Traditio. Ludovicus Comes de Loen primus inter testes signat Tabulas publicas, quibus Godefridus tertius Brabantiæ Dux à Conrardo tertio Imperatore instituitur Advocatus Abbatiæ Tungerloensis, circiter annum 1150. Idem testis adhibitus anno 1165, cùm Gosuinus Dominus Heynsbergensis, & uxor ejus Alcidis fundarent Monasterium Heynsbergense Virginum, Ordinis Præmonstratensis.



Novissimum ipsius prælium cum Durassiis, & mors.

Illud Principum scitum in viridi erat observantia, ne quis in ullo sui Districtûs vico novam munitionem erigeret vel fortalitium, licèt allodiali, cujus Advocatia spectet ad alterum. Hujus neglectus initium belli fuit inter Ludovicum Lossensem & Ægidium Durassium, Comites: ille siquidem in villa sua allodiali Brustemio firmissimam erexit turrim ex solido lapide, præsidiumque imposuit; adhæc Ecclesiam Parochialem vallo circumdedit reddiditque inaccessam. Id graviter ferebat Durassius, quòd Advocatia Brustemii spectaret ad Abbatem sancti Trudonis, cujus ipse gerebat vices. Monet Lossensem cœpto desistat, neve Decretis Principum contrariare velit; sed is, veteris memor injuriæ, quòd Ægidii pater ante annos aliquot Brustemium fœdasset incendio, opus accelerari jubet, militesque imponit. Ægidius florente ætate juvenis, ingentisque animi, licèt viribus impar, vim vi repellere statuit. Conclamant uterque ad arma, clientesque & agrestes quisque suos armant. Lossensis, viribus numeroque potior, suos educit in aciem 4. idus Julii, ipsâ jam flavescente messe; nec illo Ægidius segnior, cum suis prodit obviàm. Fiunt crebræ velitationes; at hic se imparem sentiens, suos monet se intra munitionem contineant, nec pugnæ jactent aleam, tantùm invigilent ne Lossensis imparatos opprimat. Ipse interim clanculum in Flandriam pergit, subsidii causâ, ad Philippum Flandriæ Comitem, sibi sanguine junctum; qui recens adhuc in Imperio, nihil Cognato addicere potuit hâc occasione. Quòd Durassenses intra vallum se continerent, Ludovicus Trudonenses exagitat, istorumque Socios, & quasi imbelles in arenam, si audeant descendere, provocat: cùmque prodire formidarent, pecora abigit, lytrum à captivis extorquet, & præcipuè Abbatis colonos vexat, quòd ille Advocatiam Brustemii haberet, eaque de causa incitasset contra se cognatum suum Comitem Durassium.

Fredericus Cæsar tunc temporis Neomagi agebat, Curiamque celebrabat Conventu Principum celebrem. Ad illum Wericus Abbas mittit, qui tanquam supremum Monasterii sancti Trudonis Defensorem interpellet, deque illatis à Lossensi injuriis damnisque queratur. Imperator Abbatem moneri curat, Cives

intra mœnia contineat, nec illi se bello immisceant; se Abbatiæ illata damna effecturum ut Lossensis resarciat. Quod Cæsaris mandatum cùm Trudonenses observarent, ille interpretabatur ignaviam, nec ausos præ metu pugnæ partis egredi: utque eliceret, quasi deambulandi causa Oppidum accedens, ad pugnam irritabat. Abbas rursus quid fiat, Cæsarem certiorem reddit; respondetur, ne Cives ampliùs suam teneant patientiam, sed se armis tueantur. Intereà Durassius ex Flandria advolat, re infectâ, sed animo nihil imminutus: quamque spem in Cognato Principe habuerat, reponit in fortunæ arbitrio, quæ audentes juvare solita. Habito ergo cum Werico Abbate consilio, statuit postridie sui Adventûs hostem nihil minùs cogitantem adoriri, & si possit, opprimere. Ille haud abnuit, Trudonensesque immigrant in Durassii Castra; mixtique illius Armatorum numero, noctis conticinio Lossenses imparatos invadunt, fugantque: Comes ipse, exæstuante illâ aurâ, correptus febri aberat, & Loscastri lecto decumbebat. Nec Durassius satis habebat Brustemio vicinisque coloniis supposuisse ignem; ipsum desperatum de vita Comitem obsedit. Rei indignitate permotus Godefridus Dux Brabantiæ, Ludovici socer, (secundis enim nuptiis Imainam ejus filiam sibi copulaverat) auxilio adventat, curatque Durassio edici, Comitem emigrasse vitâ; quocum velit bellum gerere, an cum defuncti umbra; si hostem quærat, se ipsi futurum. Hoc audito, soluta obsidio, discessumque ab armis; rebusque per Brabantum compositis, rustici domos suas immigrant, & reliquum, quod militari vastationi messis superfuerat, colligunt invehuntque in horrea. Istâ brevi, sed acri concertatione, Lossenses plurimùm viribus potentiâque imminuti.

Ludovicus obiit 5. Kalendas Augusti, illatusque monumento quod ipse sibi condiderat in Ecclesia Hospitalis, ad portam oppidi Lossensis quâ itur Trudinopolim. Hodie illud Begginæ inhabitant; quâ occasione & quo anno eò devenerint, dicitur alibi. Monumentum tamen Ludovici superest ex nigro marmore, sed quinque supra terram pedes. Canonici Lossenses eò quotannis conveniunt, ipsiusque celebrant Anniversarium, quòd illos redditibus vivus auxerit, munificusque in illorum sancti Odulfi Ecclesiam extiterit.

Godefridus, ad sancti Pantaleonis Coloniæ Monachus, in Annalibus scribit, Ludovicum de Los Comitem obiisse anno 1171,

vel, ut Freherus in margine adnotat, anno uno priùs.

Uxor defuncti, tam gravem à Durassio perpessa injuriam, cùm deinde Fredericus Imperator haberet Curiam suam Aquisgrani, eò cum filio Gerardo proficiscitur, deque illatis injuriis & damnis coram Conventu Principum Imperii conqueritur. Ille ad dicendum causam aliquoties citatus, vix tandem comparere audet. Abbas quoque Wericus adesse jussus, se jungit Radulfo Leodiensi Episcopo, Patrono & veteri Amico: ut ipsius authoritate fultus, tantò evadat faciliùs. Durassius vix reperiebat quo impactum crimen dilueret; donec Philippus Flandrorum Comes ipsius Consanguineus, preces apud Proceres Imperii interposuit; suggestumque Durassium quasi provacatum ad arma; sumptibusque jam exhausto, non suppetere quod viduæ restituat: nempe juxta vetus proverbium,

Ignoscit corvis, vexat censura columbas.

Abbati, quòd se bello immiscuisset, injuncta fuisset damnorum resarsitio, nisi is Litteras ab Imperatore signatas, ut se Trudonenses armis defenderent, exhibuisset Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis: atque ita misera vidua, peccuniæ tum inops, monilia quædam sua Abbati oppignorare cogitur; sed quæ mox, soluto pretio, redemit. Atque hic illius infelicissimi belli fuit exitus. In hunc modum Chronicon Trudonense.

Uxor & Liberi.

ILla, uti generis splendore, pudicitiâ, morum integritate, & præcipuè pietate in Superos, fuit longè clarissima; ita nobiles Germaniæ inferioris Matronas sui temporis, una præsertim uteri fecunditate, pariter & felicitate anteibat: vidit enim liberos suos in toris potentissimorum Regulorum opibus ac dignitate; florentissimos Progenitores hàbuit ex primæ Nobilitatis Proceribus, uti Genealogico hoc patet schemate. Obiit anno 1175, condita Loscastri in Begginagio juxta maritum.

	Wilhelmus Comes Lutzemburgensis.	Conrardus Comes Lutzembargensis. Obiit improlis ex primo marito. Gertrudis, uxor Imperatoris Conradi II.	Godefridus III. Dux Lotharingiæ, Comes Lovaniæ, duas habuit uxores, Margaretam Henrici III. Ducis Limburgici filiam, & Imainam filiam Ludovici Comitis Lossensis.
	Henricus.	Lutgardis nupsit Godefrido II. Duci Lotharingiæ inferioris, & Lovaniæ Comiti.	
Conrardus Comes Lutzemburgensis.	Ermelindis primò nupsit Helbardo Comiti Holbacensi, deinde Godefrido Comiti Namurcensi.	Bertha Imperatrix Constan. conjux Emmanuelis ex secundo marito.	Albertus Comes de Moha & Dagisbruck.
Uxor Ermelindis, Comes Lōguicensis.	Adelbero Primicerius, & Archidiaconus Metensis, obiit in obsidione Antiochiæ.	Henricus Comes Namurcensis & Lutzemburgensis, Clementia Dux Zeringensis.	Lutgardis uxor Conrardi Comitis de Hostade & Dalem.
	Conrardus.	Falcomanus Comes Castellensis, & Longuicensis. Uxor Clementia.	
	Matholdis jure materno Comes Longuicensis nupsit Godefrido Domino de Castel.	Hadewigis de Castel nupsit Gerardo Domino de Ryneche, prope Herbipolim in Franconia.	Ermelindis, sive Agnes, Domina de Ryneche, Ludovici Comitis Lossensis uxor.

Quam tamen nostrates Genealogici, Chroniconque Trudonense pluries Agnetem, Germani Erimelindem vocant. Parum est de nomine, si re constemus.

Ludovicus primo-genitus terras reliquit ante Patrem, circiter annum 1167.

Gerardus initium dabit Libri sexti.

Hugo præripuit alterutri fratrum suam sponsam; sed breve fuit cum illa gaudium. Alicui horum trium contigit quod Cæsarius Lib. 7. cap. 16. narrat. Epocha temporis convenit. Obiit Christianus, ex Capellano Comitis Lossensis factus Monachus in Hemmenrode ante annum 1216, quod ex Cæsario facilè colligo. Acciderit igitur, hoc Christiano adhuc juvene, quod Cæsarius scribit, Angelusque Gaseus expressit versibus.

Hugo-

Hugonem hujus Comœdiæ vulgaris traditio statuit Actorem.

Nil hilare, nec quod priùs optes; est pium
Quod refero: ut ut sit, hilaris illud perlege;
Legisse nil pigebit, ut mihi spes, ait.
Erat à Sacello illustris à Lossa Viri
Bene animato Christianus nomine,
Cui candor ac sinceritas. Nutritii
Fuerant ab unguis parvulis præsegmine;
Sed grandis etiam timiditas soror fuit.
Hinc sæpè famulis & familiæ filiis
Fuit ansa risui, ut hominum mores volunt,
Simplicibus iras nunc movere, nunc metus,
Aut his molesta ludibundi tædia:
Et verò id usu sat probatum & cognitum est,
Extrema ludi sæpè luctus occupat.
Venando Comitis natus horridum ac trucem
Aggressus ense aut spiculo ursum, straverat,
Domumque vecto corpus immissum, suâ
Pelle spoliari jusserat: dein optimo
Metum ut crearet Christiano, tergus hoc
Suis latenter artubus circumdedit,
Caputque capiti, pedibus inclusit pedes,
Manusque: demum quadrupes aulam subit,
Ex qua Sacellum, & quæ in Sacello res sacræ
Geruntur, est visere. Tacitus id loci
Sua Christianus vota solitaria
Precesque funditabat: Ecquid audio,
Quis (inquit) rursus vivat istic ispiam?
Juvenis ut introgressus, hunc ursi ferum
Simulare bumbum, ac unguibus duris solum
Tundere; Sacerdos tremere, seque in angulum
Condere: propinquam belluam rostro feres
Pellere Sacelli, ut vidit, immortalium
Mortaliumque penitus implorans opem,
Quâ voce potuit, omnium: jam se necis
Ursique prædam dentibus dandum putat.
Exigua sed sic vespa captam se premi
Dum cernit, ut se salvam & incolumen gerat,
Posticam adaptat spiculum, & manum ferit:

Rapientis; eccur ipse, quo valet modo,
Sese tueri deprehensus non queat?
Cultellus ipsi præsto erat, geri & solet
Thecis suppellex parva cultellariis.
Hunc stringit, ursum faucibus, jam proximum,
Quà patuit oculus impetit; sed illicò
Eheu gementem inaudit hisce vocibus:
Fuge, fuge, Domine Christiane, filium
Comitis necasti. Namque collum sanguine
Sibi fluitare juvenis inclusus videns,
Et sauciatùm sentiens, hujus vicem
Sollicitus, intus resonat: Heu fuge, heu fuge.
Dat Christianus se in fugam; at Castri fores
Nactus seratas: Pande, pande, filium
Comitis necavi, acclamat Ostiario.
Hæc Christiani tanta simplicitas fuit,
Ut si paterent, sic juberet claudier.
Necis periculum, quod sibi accersiverat,
Evadit etiam pellis ursinæ incola,
Felicemque veniam parricidæ innoxio
Exorat à Parente. Vulgò dicitur:
Favore semper digna simplicitas fuit.

Pauca quæ de illo restant, proferentur Libro sequenti. Obiit pridie Calendas Februarii. Aleydis nupsit Ægidio Comiti Durassio. Decessit absque liberis, uti suprà diximus.

Agnes juncta matrimonio Ottoni Duci Bavariæ, qui obiit anno 1183. Illorum filia Sophia nupsit Hermanno Lantgravio Thuringiæ & Hessiæ, mortuo æra Christi 1215, peperitque Ludovicum Thuringiæ & Hessiæ Lantgravium, maritum S. Elisabethæ, Regis Hungariæ filiæ. Ita Christophorus Butkens in Trophæis Brabantiæ lib. 4. fol. 245.

Gertrudis uxor Alberti II. Comitis de Moha & Dagisbruck; Alberti secundi dico, quia Albertus primus fuit filius Godefridi II. Lotharingiæ inferioris Ducis, & Comitis Brabantiæ; habuitque duos filios, Hugonem circiter annum 1137. Hui mortuum; & Albertum, qui sibi matrimonio copulavit hanc Gertrudem. Probatur ex Chronico Trudonensi, ubi hi duo fratres bellum prænotato anno gessisse scribuntur contra Gerardum Comitem Lossensem, Alberti affinem, ratione assignatæ uxori dotis

à Ludovico patre. *Comes de Musel* (inquit Compilator,) id est Mohanus, *uxorem ex Familia Lossensi habuit, pactamque sibi Tabulis matrimonialibus dotem poscebat; sed vivente Ludovico nibil unquam obtinere peterat. Hugo & Albertus, illo anno* 1171. *mortuo, Gerardum successorem interpellant urgentque sibi tradi Bilisiam medietatemque Districtûs Colmontii, Tungrim inter & Loscastrum, quòd illa Gertrudi à patre sint assignata in dotem. Gerardus negat id se concessurum, quòd pater hactenus dubio procul optimo negasset jure. Illi, ut erant animo alacres & expediti in armis, insignem clanculum conflant Clientum Agrestiumque cuneum, & die quâdam Dominicâ Castrum de Berlos repentinò invadunt capiuntque assultibus, totiusque illius Districtûs vicos deprædantur & villas, flammasque injiciunt. Passa tum quoque fuit Abbatia sancti Trudonis damna in coloniis suis de Horle à molis aquaticis.* Divæus aliique Rerum Brabanticarum Scriptores, Albertum primum & secundum eundem faciunt, Henrici primi Brabantiæ Ducis patruum; cùm tamen hic non potuerit eò usque validam ad generandum vitam produxisse. Accuratiùs ponenti calculum patet.

Gerardus Lossensis, videns sibi fore utilem alterius sororii sui Ægidii Durassii operam, eum in partes suas pertrahit; nec diù post, defuncto Hui Hugone, Albertum aggreditur, amissisque Castellis in potestatem redactis, Ditionis Lossensis finibus excedere coegit.

*Alberti Mohani acerbus filiorum casus. * Origo fundationis Monasterii Vallis Nostræ-Dominæ, Ordinis Cisterciensis, juxta Hoyum.*

EXpeditionem illam suam nobilem in Orientem adornabat Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes; priusquàm proficisceretur, Andennæ celeberrimam instituit decursionem equestrem, sub idus Maias anno 1202. Aderant Philippus Balduini frater, Comes Namurcensis, Henricus Lovaniensis, Albertus Mohanus, Lossensis Ludovicus, Hugo Floriensis, aliique primæ Nobilitatis Proceres. Tres dies tenuerat spectaculum. Rediit ad suos Mohanus cum Guilhelmo & Henrico filiis; qui ut pueri erant, paucis post diebus spectati certaminis gloriâ, & patris adhortatione animati, nemine familiarum advertente, ad similes decursiones se comparaturi, in equos inscendunt, arripiunt hastam, moræ inferunt, equos in se incitant: atque, ut erant inermes,

mutuis se confodiunt vulneribus. Spem posteritatis universam incidit tristissimus hic casus, nisi meliorem genuisse dixerim; fortunas suas cùm in posteros transmittere non posset, Deo visum est reddere: Asceterium aliquod exstruendum meditari cœpit. Ejus hæc se dedit occasio. Constructum fuerat ante annos quadragenos eoque ampliùs Hochtense sanctæ Agathæ Cœnobium, attributum Monachis Cisterciensibus; qui postquam pauperem isthic vitam egissent, nuper Alberto Cuychio Leodiensi Præsule, transierant in agrum Trans-Mosanum ad Vallem Dei cum Abbate suo Guidone: Condendo Monasterio dedit aream suam cum adhærente non modico Hastadii, Comes Lotharius. Deserentibus ergo Monachis Hochtum, advocavit Episcopus sacras Deo Virgines ex Aquiensi sancti Salvatoris Parthenone; verùm & hæ in magna vixerunt rerum omnium inopia. Quod ubi ex Abbate Guidone didicit Mohanus, factâ ab Episcopo potestate, Cœnobium illis exstruxit in agro suo, ubi Xenodochium fuerat olim ab ejus Majoribus instructum. Dicavit Hugo Petra-Pontius Episcopus in honorem Dei Parentis; & quæ Vallis Rodumii dicebatur, Vallem Nostræ-Dominæ indigitavit. Huic ergo migravêre Hochtenses, relicto priore domicilio, quod nonnisi diù posteà restitutum est. Hanc posteritatem Principe Christiano dignam consecutus est Comes Albertus cum Gertrude Lossensi conjuge sua, quem Comitatum fuisse Metensem habeo, inquit Bartholomæus Fisen è Tabulario Vallis Nostræ-Dominæ, eique assentitur Wasseburgius, & Comitem præterea Drabrochium appellat, nullâ Comitatûs Mohani factâ mentione. Sed unam ego Toparchiam utroque nomine significatam arbitror; hodieque nomina passim confundunt Nostrates, & Hoii Mensuræ Dabrochiæ usus in regione Urbis Cis-Mosanæ; cujus nomenclaturæ ratio, quæ conjectari potest, si alius est à Mohano, & petendus à longinquo Comitatus Dabrochius. In Chronico Trudonensi Comitatus Mohanus etiam vocatur Comitatus de Musal.

Vallem igitur Nostræ-Dominæ magnis opibus condiderat, quod reliquum erat, ipsumque adeò Comitatum, quando nullam speraret prolem, adhortante Petra-Pontio, donare constituit sancto Martyri Lamberto, fecitque Leodium anno 1204. veniens, hoc ritu, qui tum solemnis erat in sancti Lamberti Templo. Ad principem Aram progressus, viridem ramum in ea cespitemque deposuit; sed illas voluit esse leges, ut frueretur ipse

Comitatu suo, quoad viveret; cùm decederet vitâ, in sancti Lamberti jus transiret. Si tamen prolem relinqueret, ea, successoresque omnes Comitatum tenerent hoc pacto, ut se Lamberti Clientes conceptis ritè verbis profiterentur: at in Ecclesiæ potestatem tum denique veniret, quando nulli superessent liberi. Paulò tamen post è conjuge (præter spem) filiam suscepit, quam appellavit Gertrudem. Ductus igitur facti aliquâ prioris pœnitudine, anno 1210. venit Leodium, & quinquaginta marcarum millia appendi sibi efflagitavit, quòd in magno ære alieno se esse affirmaret. Promissa sunt, & post breve spatium è vivis Albertus abiit, cùm antè filiam, quamquam tenellam, Theobaldo Lotharingiæ Ducis filio despondisset. Episcopus promissi non immemor, quo fidem exsolveret, Theobaldum accersit, Gertrudis sponsum, eâque causâ legitimum Tutorem, & Henrici Altæ-Silvæ Abbatis arbitratu, in quem Partes compromiserant, inter ipsos convenit.

Anno 1223. Gertrudis vidua donationem, à Patre suo Monasterio Vallis Nostræ-Dominæ factam, suo Diplomate confirmat. Extat apud Fisen in Notationibus ad lib. XI; junctaque deinde alteri Theobaldo Campaniæ Comiti, absque liberis exeunte anno 1225. moritur. Arcem ergo Mohanam ac Waleviam ingressus Hugo Petra-Pontius Leodiensis Antistes. Illarum Ditionum Clientes sacramento rogarat, nemine refragante, nisi uno Henrico Duce Lovaniensi: qui Principatûs illius potiundi, & reliquæ Brabantiæ annectendi, spe nec dudum depositâ, ad Cæsarem adiit, causam suam acturus. Die Hugoni dicto frustrà, Fredericus enim Augustus, filiusque Henricus Rex, cognitâ causâ, Mohanam omnem Ditionem ac Waleviam Ecclesiæ Leodiensi in perpetuum addixerunt. Idem authoritate suâ probavit Honorius III. Pontifex maximus. Sed illis non restinguebatur finium proferendorum ardor; novum minabatur Ecclesiæ Leodiensi incendium. Exitialem ignem ne conciperet, obstitisse creditus est Conrardus, ex Monacho Villariensi Cardinalis, eoque tempore Nuntius Apostolicus: anno quippe sequenti 4. Kalendas Septembris cum filio Henrico natu-majore, primæque Nobilitatis Proceribus venit Waremiam; abdicatoque omni jure quod ei esse poterat ad utramque illam Ditionem, perpetuam deinceps pacem cum Episcopo ac Comite Lossensi, fide interpositâ, firmavit. Jus autem aliquod illi, Comitique Lossensi videtur

P 3

fuisse ratione consanguinitatis cum Alberto Mohano ejusque uxore Gertrude, uti colligi posse videtur ex his conventionis inter illos Tabulis.

In nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Notum sit universis, tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Henricus Dux Lotharingiæ & Marchio; & ego Ludovicus Comes de Los, super terram Musal, id est Mouha, & suis attinentiis talem compositionem inivimus: Quòd si Comes de Dalbrock absque corporis sui herede decesserit, terra illa ad nos & heredes nostros æqualiter diverteretur; ita quòd ego Henricus Dux medietatem istius terræ, tamquam legitimus hæres, habebo: reliquam medietatem Ludovicus Comes de Los à me in feudum tenebit. Quòd si alter nostrûm ad obtinendum prædictam terram aliquas expensas fecerit ex communi consilio hominum nostrorum, majorem partem illius expensæ ego Dux solvam; Ludovicus Comes de Los minorem. Si autem pro terra illa aliquis per guerram nos infestaverit, uterque nostrûm pro posse suo ad obtinendam terram præfatam viribus totis resistet. Ut autem hoc ratum & incolumen permaneat, hanc paginam testimonialem sigillorum nostrorum impressione, & testium idoneorum subscriptione muniri & corroborari curavimus. Hujus facti testes sunt Mathildis Ducissa, Godefridus Castellanus Bruxellensis, Arnoldus de Wesemale, Alardus Rapa, Otto de Borne, Raso de Curen, Theodoricus frater Comitis de Los, Walterus de Milite. Acta sunt hæc Dominicæ Incarnationis anno 1197, *Henrico Duce iter versus Jerusalem arripiente.* Vide Miræum Notit. Eccles. cap. 169.

Sophiam Ludovici Comitis Lossensis filiam nuptiis sibi copulavit Walterus Berthout, Dominus Mechliniæ, quæ est una ex septemdecim Germaniæ inferioris Provinciis. Ita inter alios Auctor Anonymus in Prælio Wœringano, quod anno 1641. Bruxellæ apud Godefridum Scovartium aliàs edidit carmine heroico Notationibusque illustravit. Videndus fol. 118, ubi schema Genealogicum illorum exhibet, præclarèque demonstrat, ab his sequentes Dominos Mechliniæ genus suum ducere; Ægidiumque Berthout, filium secundo-genitum, Dominum de Berlar, primæ Nobilitatis in Brabantia, post se reliquisse plures familias. Walterus obiit anno 1178. Sophia religionis causâ profecta in Palestinam, excessit è vivis anno 1209. Sepulta Ptolomaïde, sive in Accaron.

Laureta, uxor Theobaldi Comitis Barrensis, genuit illi filiam Agnetem, quam Scriptor Genealogiæ sancti Arnulfi Tho-

masectam, sive Thomassellam vocat. Nupsit hæc Frederico filio Comitis de Birsche, qui patruo suo Simoni II. sine liberis defuncto, successit in Ducatu Lotharingiæ Mosellanæ, & anno 1213. vivere desiit. Hoc matrimonio prognati filii quatuor; Theobaldus & Mathæus, Lotharingiæ Duces ex ordine, Reginaldus Comes de Castel, & Jacobus Episcopus Metensis. Filiæ etiam aliquot, ex quibus Aleydis primùm Comiti de Limbourg, posteà Guallero de Vignory filio nupta fuit.

Theobaldus, Frederici primo-genitus, patri successit, uxoremque habuit Gertrudem Alberti Mohani Comitis, & Gertrudis de Los filiam. Prælio Bovinienſi inter Tornacum & Insulas anno 1214. pro Ottone IV. Imperatore pugnans interfuit, obiitque sine liberis. Gertrudis nupsit deinde Theobaldo IV. Comiti Campaniæ; sed nec illi peperit, quàmvis valdè juvenis.

Mathæus fratri suo Theobaldo surrogatus in Ducatu Lotharingiæ, stirpem propagavit ex Catharina Walerami II. Ducis Limburgensis & Comitis Lutzenburgensis filia.

Imaina, dignitate, nec ætate (cujus ordinem non servavimus) filiarum Ludovici minima, convenit in manus Godefridi III. Lotharingiæ Ducis, & Brabantiæ Comitis. Erant illi ex priore conjuge Margareta Henrici III. Ducis Limburgensis filia; duo filii, quorum memoria. Henricus Ditionum paternarum heres, & S. Albertus Martyr, Cardinalis, & Leodiensium Antistes. Filia unica N. Sanctimonialis in Foresto juxta Bruxellas.

Horum non tam novercam, quàm piissimam Imaina matrem se præstitit; eratque Albertus tum annos circiter natus duodecim, eique ad omne virtutis decus præluxit: quàmvis enim ob multam crudelitatem & sævitiam in privignos, novercæ nomen quasi infamiâ haberet, malèque sit ominabile; verùm illa naturæ & gentium jura spectant; non mediocre adepta est decus, dum maternum animum erga conjugis liberos servans, sanctæ educationis laudem retulit, reque ipsâ ostendit in Alberto & sororcula, quàm illæ nobilissimæ mariti partes ad suam singulariter spectarent curam. Hinc orbata marito anno 1190, juxta Godefridum Pantaleonitum, privignum quoque biennio post crudelissimâ Rhemis peremptum cæde, cùm amisisset, adeò tenerè funestum hunc luxit casum, adeò grandis innocentissimi Martyris Materni affectus illam subiit miseratio, adeò ad eum jam Coelo receptum anhelavit, ut propriarum prolium

quasi oblivifcens, de vitæ genere commutando feriò delibe-raverit, quod & re ipsâ non diù post præstitit: mundo namque, sæcularibusque curis renuntians, amplexa est Bilisiæ Monasticen, tantâque Sanctimoniales inter pietate, gravitate, prudentiâ, morumque integritate, & modestiâ enituit, ut Virgines, licèt viduam, Antistitem suam creârint: quod munus pari cum laude pluribus annis obiit. Benefacit Averbodiensibus.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Imaina, Dei gratiâ Abbatissa Bilisiensis, cum Fratrum & Sororum Capitulo, notum facimus præsentibus & futuris, quòd nos ex consensu Ludovici Comitis de Los Advocati de Bilsia & Averbodio, piâ intentione, Averbodiensi Monasterio, sine omni jactura Monasterii, Personatum de Nore concessimus, &c. actum anno Incarnati Verbi 1203, *Indict. VI. concurrente cum II. In nomine Domini Amen.*

Cætera ipsius munificentiæ & eximiæ pietatis opera nobis invidit oblivio, aut potiùs Antiquorum injuria. Supervixit plus annis decem. Necrologium Averbodiense diei mortis meminit. *Pridie Nonas Junii obitus Imainæ quondam Ducissæ Brabantiæ & Abbatissæ Bilisiæ.* Jacobus de Vitriaco Cardinalis illam inter amicos & familiares sanctæ Mariæ Oegniacensis enumerat lib. 2. cap. 12. Vitæ ipsius apud Surium, ubi ait: *Illustris quædam Matrona, Lovaniensis Ducis quondam conjux, quæ contemto sæculo, Ordinis Cisterciensis Monasterium petierat, monasticam in illo vitam professa. Longè ante ejus obitum, cùm adhuc esset in Villenbroe, prope Nivellam, eam vidit; recedensque ab ea dixit: Nescio, Domina, an post hac unquam te visura sum. At illa respondit: Imò videbis me. Itaque ubi audivit, procul à nobis versus Coloniam habitans, sanctam Mulierem in extremis agere; Confido, inquit, in Domino, quemadmodùm promisit mihi, illam me adhuc conspecturam. Et ita contigit: quando enim Imaina venit ad nos Oegniacum, jam pro defuncta campanæ pulsabantur; attamen præsens adfuit, cùm ejus corpus lavaretur & monumento conderetur. Evocata est ad bravium cœlestis gloriæ sancta Maria Oegniacensis anno* 1213 *die* 23. *Junii.*

Imaina Lossensis (inquit Divæus fol. 32.) *Bruxellæ in Choro vitream curavit fenestram cum insignibus Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ. Erat Godefridi III. secunda uxor.*

Godefridus Dux, adhuc in vivis agens, pro hereditaria parte bonorum assignaverat Imainæ liberis dominium de Perwis in Gallo-Brabantia, Ruisbrouck, aliaque, quæ deinde Wilhelmus

primo-

primo-genitus adiit. Divæus lib. 10. Rerum Brabant. vocat primum Perwisii Baronem. Illi mater cum lacte pietatem, insignemque morum moderationem instillaverat: unde ad hunc, cùm frater ejus Henricus Dux Leodium anno 1212. occupasset, militumque dedisset direptioni, & exultans victoriâ se in Episcopi Palatium recepisset; venerunt è Clero Primi quique, & rogârunt Conditorio sancti Lamberti Custodes adhiberet, qui avaritiæ arcerent injurias. Annuit ille, pro innata humanitate, & Sacrorum cultu, statimque sacram Basilicam petiit, ut sacrilegia coerceret. Efferebatur, ut venit, opulenta præda, quam religionis causâ excussit, locoque sacro asseruit; præsidio deinde Templum firmavit, ne quam deinceps vim pateretur. Tantâ apud Ducem pollebat authoritate & gratiâ, qui eum, quoties ferebat occasio, Tabulis publicis carissimi fratris dignabatur nomine, uti liquet ex illis, quibus uterque Cœnobium Bruxellense sancti Jacobi in Monte-Frigido anno 1201. dotat. Pari nobilitate eisdem virtutibus habuit conjugem Aleydem Dorbays, uti hoc Schema Genealogicum indicat.

Balduinus Comes Hannoniæ. Uxor Ida, soror Godefridi primi, Ducis Lotharingiæ, & Lovaniensis Comitis.	Istorum filia Ida nupsit Thomæ Domino de Coucy & Marle.	Ida de Coucy, uxor Bernardi Domini Dorbays.	Engelramnus Dominus Dorbays genuit Aleydem uxorem Wilhelmi Perwisii.

Eisdem cum marito dixi virtutibus: quia cùm frater ejus Gosbertus Dorbays, qui & nobilis Vir de Biul dicitur, Ecclesiæ sanctæ Catharinæ, proxime muros Trudonenses, ubi Virgines Ordinis sancti Benedicti incommodè habitabant, donasset anno 1219. curtim Milen cum omni integritate Justitiæ in Scabinis, in mansionariis, in Molendino, in agris, in telonio, in pratis, in silvis, cum omnibus omnino attinentiis, & quidquid in eandem Curiam Juris attinere dignoscitur; ipsa commodum habitationi illarum assignavit locum, ut eò migrare vellent: quòd juxta Trudinopolim nimis arcto, & insalubri clauderentur Monasterio, quod deinde anno 1231. factum est, & à loco deinceps Milenienses appellatæ. Godefridus Perwisius, Wilhelmi & Aleydis filius, Gosbertum hunc in Codicillis anni 1241. suum appellat avunculum, approbatque Contractum ab eo, filioque ejus Ægidio initum, rogans D. Arnoldum Comitem de Los ut suum appendat sigillum.

Wilhelmus Perwisius quousque vitam protraxerit, non liquet. Sepulchrum sibi elegit Villary, ubi hodieque ipsius Monumentum in peristylio cernitur. Sustulit quinque proles masculas, quorum primo-genitus Godefridus patri successit; ductâque uxore Aliciâ primo-genitâ & præcipuâ herede Gerardi Domini de Grimberghe, Ninhove, Rumpst, eorumdem locorum factus Toparcha. Obiit anno 1254, cùm Alicia septennio processisset.

Henricus secundo-genitus Dominus de Raisbruck, obiit anno 1277. In hujus dominium successit prænobilis Familia de Stalle, fortè quòd ex illa duxisset uxorem. Godefridi liberi Wilhelmus, in Confirmatione dictus Gerardus ab avo materno, in cujus hereditatem succedebat.

Godefridus secundus Dominus Perwisius successit fratri, etiam in bonis maternis; prosapiâque ipsius extinctâ, Maria Perwisia, utriusque germana soror, omnes Dynastias adiit, scilicet Perwisiam, de Grimberghe, Ninhove, Rumpst, &c.

Hæc nupsit Philippo Viandæ Comiti, in Ducatu Lutzenburgensi, viro nobilissimo; ut qui avum maternum habuit Petrum Corteniaci Dominum, à Latinis proceribus ad Imperium Constantinopolitanum evocatum; Aviam Jolentam, Comitissam Namurcensem, Balduini Imperatoris Constantinopolitani, Flandriæ & Hannoniæ Comitis sororem: horum namque filia Margareta Corteniaca copulata deinde fuit matrimonio Henrico Comiti de Vianden, Philippi patri. Philippus, uti diximus, matrimonio sibi copulavit Mariam Perwisiam tenuioremque liberorum ex ea sustulit Margeretam uxorem Arnulfi Comitis Lossensis, de qua suo loco fusiùs. Philippum de Vianden Dominum de Rumpst, Hobochen, Echeren, &c. & Godefridum primogenitum Viandæ Comitem, Grimbergæ Dominum, &c. Is anno 1299. Ninhoviam vendidit Guidoni Comiti Flandriæ ex Aleyde Audenardensi Domina. Inter cæteras proles genuit Henricum Viandæ Comitem, & Grimbergæ Dominum. Hujus filia Aleydis, paternarum Ditionum heres, nupsit Ottoni de Nassau in Dillenborgh, intulitque in Domum Nassoviam non modò Comitatum Viandæ, & Grimbergensem Dynastiam ex parte, sed & insignia Perwisianæ Domûs, Brabantiæ scutum, scilicet coccineum, zonâ argenteâ exaratum; qualia sunt urbis Lovaniensis, atque ab hoc Ottone descendunt Nassovii Orangiæ Principes, qui hodieque Rerum potiuntur. Maria Perwi-

fia anno 1278. defuncto marito Philippo, supervixit ad annum 1285.

LIBER SEXTUS.

Gerardus Comes Lossensis & Durassius, nobilis Parthenonis Herkenrodani Conditor, Brustemienses jure Civium Leodiensium donat.

EO quo, ut suprà dictum, Ægidius Durassius incendio fœdasset Brustemium, incolæque à Trudonensibus pessimè fuissent habiti, Gerardus illos anno 1171. donat jure Civium Leodiensium; iisdemque privilegiis frui voluit quibus Metropolis gaudet. Hujus donationis Tabulas signârunt mater ejus Agnes, Hugo, frater Rogerus de Corterese, & Ida soror ejus.

Salam suam Procerum Lossensium Curingiam transfert.

PErtæsus deinde cladium, quas Ditio Lossensis in Hasbania sustinuerat, secedit Curingiam, locum à turbis paratiorem, Arcem instaurat, Curiamque suam feudalem eò transfert: cœptusque ibidem haberi Conventus Feudatariorum, Jusque dici, quando in silva vicina, quæ usque Herckam tùm extendebatur, tres Virgines famâ sanctioris vitæ celebres, vitam ducebant eremiticam, & ab omni rerum mundanarum tumultu remotam.

Herkenrodam condit.

QUarum ille instituto singulari pietate permotus, nobilem illum ibidem Parthenonem de Herkenrode, sic dictum à silva sua Herkensi exarta, sive exarata, Ordinis Cisterciensis, fundat anno Christi 1182., 29. à felici obdormitione sancti Bernardi Abbatis Claræ-Vallis; cujus adhuc viventis innumera in Diœcesim Leodiensem merita, eâdem qua sancta Lutgardis Domo, Tungrensis, quâque clarum posteà ejusdem Ordinis sidus oritur, vitamque auspicatur ac sancta Christina, mirabilis primùm revixit in hujus rei confirmationem. Extat Herkenrodæ in medio Odæi

ante summum Altare, ex ære Monumentum cum hac inscriptione:

Anno ab orbe redempto 1182. fundatum & dotatum hoc celebre Monasterium de Herkenrode per piissimum Dominum Gerardum Comitem Lossensem, hujus loci Protectorem, sub hoc tumulo cum uxore & liberis quiescentem. Pro quibus ad Deum preces fundite.

Ludovicus primo-genitus.	Mechteldis.
Arnoldus.	Anna.
Joannes.	Joanna.
Wilhelmus.	Jolendis.

Anno ab Incarnatione mundi Redemptoris 1532. mensis Julii die vigesimâ, exhumata sunt hujus Fundatoris & suorum ossa, & in uno simul sarcophago decenter condita; quorum hæc tomba ex veteri in novam est restaurata, præsidente Domina Mechtelde de Lechy, Abbatissa decima-octava, pro quibus Altissimo preces porrigite.

Eandem deinde fundationem Patris Ludovicus primo-genitus cum fratribus suis approbat, ratamque habet.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Ludovicus Dei gratiâ Comes de Los. Universis Christi Fidelibus in perpetuum. Ut unicuique sua justitia conservetur illæsa, divinæ legis & humanæ proclamat veritas, & rationis attestatur authoritas; notum itaque fieri volumus, tam præsentis, quàm futuræ ætatis hominibus, quòd felicis memoriæ Comes Gerardus, genitor noster secundùm carnem, sanus adhuc in corpore & incolumis, Allodium de Herkenrode ab omnibus heredibus absolutum, ad constituendum Claustrum Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis, in silvis, pratis, terris cultis & incultis, viis & inviis, Fratri Henrico religioso Monacho, pro salute animæ suæ, liberè contradidit, nobis, aliisque Fratribus nostris, sicut decens erat & pium, præbentibus assensum. Nos verò donationem hanc bonam ac laudabilem diligentissimè approbantes, inviolabiliter observandam fideliter confirmamus, & scripto adnotatam, sigillorum nostrorum impressione corroboramus, Idâ Comitissâ uxore nostrâ eandem approbante. Inhibemus itaque districtissimè, sub banno potestatis, absque obtentu gratiæ nostræ, nequis in posterum ausu temerario huic sanctæ donationi contraire præsumat. Quod siquis temerè & præsumptuosè attentaverit, divinæ animadversionis ultionem, & nostram offensam se incurrisse certissimè cognoscat. Hujus rei testes

sunt Wilhelmus, Persona de Hasselt, Wilhelmus de Pieterseim, Hermannus de Elslo, Conrardus de Hubertinchen, Godefridus de Lewis, Walterus de Milve, Robertus de Berle, Raso de Corteseim, Theodoricus Castellanus de Loos, Walterus de Berce, Henricus de Joer, Robertus de Coswerem, & alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1213.'

Dos Monasterii augetur à Gerardi Filiis

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Comes de Los, notum esse volo omnibus hoc scriptum intuentibus, quòd pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum, de assensu Domini Episcopi Leodiensis, uxore mea Ida, & fratribus meis Henrico & Arnoldo consentientibus, dilectis Sororibus nostris Sanctimonialibus de Herkenrode fructus Decimarum nostrarum de Hasselt, de Kermpt & Curingen & de Stockrode, cum omnibus appenditiis suis, in elëemosynam contradidi, & super Altare B. Mariæ Virginis in Herkenrode præsente Conventu, deportavì, ut eosdem fructus liberè & quietè, cum omni integritate percipiant; donec vel de me, vel de legitimo meo herede, quadringentas marcas Leodienses recipiant, quæ mihi ad opus Jerosolimitani itineris commodârunt. Et notandum quòd si Decimæ istæ, vel à me, vel ab heredibus meis redemptæ fuerint, fructus illi quos eò usque prædictæ Sanctimoniales perceperunt, in sortem non debeant computari, eò quòd ob spem vitæ æternæ, ipsos fructus eis in elëemosynam liberè & absolutè contulerim: ut pro meis, prædecessorumque meorum excessibus fideliter orent. Et si, casu emergente, eas redimi contigerit, ex integro tota pecunia eis simul exolvatur; ut si alia bona comparare voluerint, prompta habeatur. Ut igitur hæc stabile robur obtineant firmitatis, præsentem paginam sigillo meo, cum sigillis, tam uxoris meæ, quàm fratrum meorum, feci in testimonium communiri. Testes autem hujus rei sunt Wilhelmus, Persona de Hasselt, Wilhelmus de Pieterseim, Walterus frater ejus, Arnoldus & Hermannus frater ejus, de Elslo, Conrardus de Hubertinchen, Godefridus de Lewis, Robertus de Berle, Raso de Curterisseim, Theodoricus Castellanus de Loos, Walterus de Bere, Henricus de Joer, Robertus de Coswerem, Lambertus Castellanus de Duras, aliique præsentes, tam Nobiles, quàm Ministeriales. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo, ducentesimo, octavo-decimo.

Cùm Ludovicus eodem obiisset anno, illumque ad alteram

secutus vitam intra quatriduum Henricus natu-senior frater, utrique Arnoldus in Comitatu succedens, aliud quoque adjecit Beneficium, idque paucis à morte utriusque fratris diebus.

" In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Arnoldus Dei " gratiâ Comes de Los. Omnibus præsens scriptum inspectu- " ris. In perpetuum factum dilectissimi fratris nostri & Domi- " ni piæ memoriæ Ludovici Comitis, ad notitiam tam præsen- " tium, quàm futurorum, retractare, atque ad salutem animæ, " ipsius idem factum confirmare dignum duximus ac salubre : " Noverint itaque uiversi, tam præsentes quàm posteri, quòd di- " lectæ nobis Sorores de Herkenrode, Ordinis Cisterciensis, de " communi consilio quadringentas marcas Leodienses carissimo " fratri nostro & Domino gratanter & opportunè accommoda- " verunt ad opus itineris Jerosolimitani, quia Cruce signatus " erat : ita sanè quòd nobis cæterisque heredibus assensum præ- " bentibus, omnes fructus Decimarum de Hasselt, de Kermpt, " de Curingen, de Stockrode in eleëmosynam liberè perciperent, " quoadusque prædictæ Decimæ redimerentur, & tunc tota eis " pecunia redderetur, fructibus tamen interim perceptis, & in " eleëmosynam collatis, in sortem non computandis. Posteà ve- " rò, dum carissimus frater noster & Dominus in extremis age- " ret, tactus spiritu devotionis, ob remedium peccatorum suo- " rum, prædictas Decimas cum omnibus appenditiis suis, dilec- " tis Sororibus, in nostra & plurium præsentia, perpetuo jure " possidendas liberè & absolutè contradidit. Nos itaque hanc " ipsius donationem piam & salutiferam approbantes, & ob sa- " lutem animæ suæ, & fratris nostri Henrici, ac prædecessorum " nostrorum, ratam habere cupientes; sæpedictas Decimas in " manus Domini Hugonis Leodiensis Episcopi ad opus Sancti- " monialium coram multis reportavimus, quas ipse Episcopus, " pro favore suo, sine mora, eis liberè contulit, & litteris suis " firmavit. Prætereà indigentiæ & necessitati earum Sororum " nostrarum in omnibus providere volentes; ad majorem con- " firmationis prædictæ cautelam, ob remedium etiam peccato- " rum nostrorum, jus Patronatûs Ecclesiæ de Hasselt, cum " cæteris Ecclesiis sibi attinentibus, quod in nostra manu tene- " bamus, de consensu uxoris nostræ Aleydis Comitissæ, liberè " contulimus; necnon piscationem à magno Ponte usque ad " Molendinum de Thulte, ad refectionem infirmorum superad-

didimus. Ut igitur hæc rata & illæsa permaneant, primum "
contractum, & donum secundum, scripto diligenter annotari "
fecimus, & præsentem paginam sigili nostri impressione "
corroboravimus; sub banno nostræ potestatis districtè inhibentes, "
ne quis ausu temerario contra hanc dilectissimi fratris "
nostri & Domini nostramque donationem aliquid in contrarium "
agere præsumat. Quod si quis fecerit, iram Dei omnipotentis, "
nostramque offensam se incurrisse certissimè cognoscat. "
Testes autem hujus rei sunt Wilhelmus, Persona de Hasselt, "
Theodoricus de Heinsberge, Otto de Borne, Wilhelmus de "
Pietersheim, Conrardus de Hubertinchen, Wastradus de Hubercurt, "
Robertus de Coswerem, Lambertus Castellanus de "
Brustemio, Philippus de Herck, & fratres ejus, Godefridus "
de Lewis, Arnoldus de Weldehe, Ægidius de Hasselt Dapifer, "
aliique quamplures. Acta sunt hæc anno gratiæ 1218. "

Utriusque Donationem approbat Episcopus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hugo Dei gratiâ Leodiensis Episcopus. Omnibus Christi Fidelibus præsens scriptum intuentibus. In perpetuum decens est, justum & congruum, ut quidquid ad honorem Dei, & ad utilitatem proximi in nostra præsentia rationabiliter fuerit ordinatum, per nos etiam obtineat robur ac fidele munimentum; unde ad notitiam, tam præsentium quàm futurorum, pervenire cupimus, quòd Vir nobilis piæ memoriæ Ludovicus Comes de Los, cùm adhuc viveret, ob salutem animæ suæ ac prædecessorum suorum, Decimas de Hasselt, de Kermpt, de Curingen, de Stockrode, cum omnibus attinentiis suis, ad opus dilectarum Filiarum nostrarum Sanctimonialium de Herkenrode, Cisterciensis Ordinis, fratribus nostris assensum præbentibus, in manus nostras reportavit. Posteà verò, ipso viam universæ carnis, Deo vocante, ingresso, dilectissimus frater ejus Arnoldus, qui & nunc post ipsum Comes est, idem factum pro favore confirmando in nostra præsentia similiter iteravit. Qui insuper ob fratris dilecti sui memoriam, omniumque prædecessorum suorum salutem, jus Patronatûs Ecclesiæ de Hasselt, cum cæteris Ecclesiis attinentibus, prædictis Sanctimonialibus liberè & absolutè contulit, uxore suâ Aleyde Comitissâ pium præbente assensum, & ad refectionem infirmorum, piscationem, quam antè non habuerunt, superaddidit. Nos verò prædictas Decimas ab utroque in manus nostras resignatas, dilectis Sanctimo-

nialibus benigno assensu contulimus, atque in perpetuas eleemosynas, scripto & sigillo nostro fideliter ipsis confirmamus; sub pœna excommunicationis firmiter inhibentes, nequis in posterum ausu temerario super his possessionibus eas inquietare præsumat. Quod siquis fecerit, anathemati in perpetuum subjaceat. Anno ab Incarnatione Domini 1218.

Alii denique atque alii Comites Lossenses huic Monasterio possessiones addiderunt, signanter villam de Brouckryck & Forestarium in Dondersrach. Revertor in orbitam.

Prima Gerardi in Terram sanctam profectio.

PAucis ab expeditione contra Albertum Comitem Mohanum diebus, acuta illum invadit febris; morique timens, vovet ire Jerosolimam, à Christianis adhuc incessam, & cis-marinorum peregrinatione frequentissimam. Vix se hujus itineris fecit debitorem, cùm ecce subitò convaluit, pristinæque incolumitati restituitur: nec diù cunctatus, necessaria ad iter parat, illudque eodem anno 1173. cum bono Deo ingreditur.

Illo absente, Hugo frater ejus turbat Comitatum. Hugo, cui ad quidvis audendum animus haud deerat, pro fratre administrabat: non enim contentus Brustemienses nuper donatos jure Civium; illorum pagum quoque urbare cœpit, fossâ, valloque includere: quod ne fieret, impedire ex facili Durassius poterat; sed eum Affine dissimulabat. Gerardus, vallo necdum circumdato, Jerosolimâ revertitur, magnâque ubique locorum & accolarum (ut id temporis mos inoleverat) adgratulatione & occursu excipitur. Nec Trudonenses suo deerant muneri: ipse Wericus Abbas cùm suis adventantem habuit humanissimè.

Domum reversus, miratur intempestivos fratris conatus, erigendoque novo Oppido impensam operam, quod Trudonensibus, veteribus hostibus, non parum incommodaret, commerciaque cum rusticanis ad se pertraheret. Non audet tamen palàm fratris improbare factum, ne ipse videatur animo abjectior, nolleque perficere quod inchoaverat. Compilator Chronici Trudonensis adnotat illud opus visum displicuisse Superis, sanctumque Trudonem gessisse suorum curam, ex quo Hugo non diù post immaturâ morte concidit. Qui quantos in nequitia fecisset gradus, inquit, vel inde liquet, quòd primam fratri suo Gerardo præripuerit sponsam, sibique nuptiis copulaverit; plures augura-

ban-

bantur, si illos diutiùs contigisset vivere (nam uxor erat dignum ollæ cooperculum,) Gerardo extorturos fuisse Comitatum, adjutanteque socero (sed quis ille fuerit non proditur,) ejiciendum Patriæ finibus.

Brustemium vetatur Oppidum fieri.

Qui dum anno proximo 1174. cœptum Brustemiense opus urget, impeditur à Conone Durassio, loco fratris Ægidii elephantiasi laborantis, Advocatiam Trudonensem administrante. Hujus juvenilem & imperitum animum Lossensis metuens, suspectasque habens Trudonensium vires, opus quidem intermittit, sed aliam illius perficiendi rationem excogitat. Adit Cæsarem, illique Allodium illud suum Brustemiense offert, ac ab eodem in clientelare beneficium recipit, unàque facultatem erigendi Oppidi Cæsaris auspiciis: ne vel Abbas, Brustemiensis Advocatus, vel Durassius vices ejus gerens, adversari audeant. Lætus itaque animi ab Aula domum regressus, suos cum armis præsto esse jubet, donec opere aggerem absolverint. Durassius animo, quàm viribus fortior, animadvertensque in Trudonensibus non satis esse præsidii; petit Philippum Flandriæ Comitem suum consanguineum, à quo quidem perbenignè exceptus, sed prudenter negatæ auxiliares copiæ: quòd ejusmodi bella intestina leviùs quàm armis componi possint, involvantque vel maximè innoxios. Potiorque illi visa resarciendæ pacis ratio, evocari curat Lossensem Lovanium: habitoque Procerum utriusque partis conventu, certis conditionibus tandem controversia dirimitur. Quas licet initio, tamquam sibi plus æquo graves, ille haud admittendas censeret; persuasus tamen à Godefrido Brabanto, sororio suo, magnæ authoritatis & potentiæ Principe, easdem ratas habuit, atque ita quievit bellum cum Durassio.

Radulfus Leodiensis Episcopus Gerardo Bellum infert.

Ex voto peractis, quorum erat causa, negotiis, Radulfus ex Italia redierat anno 1179. At memor adhuc, quòd Lossensis ante suam molitus fuisset profectionem, quòdque alia etiamnum volverit animo, frustrà illi ut desistat intentatis minis, vim parat, armaque expedit: istoque cum Trudonensibus (qui infe-


rendæ vindictæ opportunissimi) fœdere, eos monet, hortaturque illatam sancto Lamberto injuriam secum ulcisci velint. Lossensis, audito exercitûs Episcopalis apparatu, se quoque defensioni parat; collectâque militum & agrestium suæ Ditionis haud aspernandâ manu, Radulfi copias prior invadit fugatque, Tungrim deinde capit ac diripit. Pridie Kalendas Augusti id contigit. Episcopus, redintegratis suorum ordinibus, Calmontium occupat, Arcemque obsidione cingit, atque in ea Gerardum Comitem, qui per amica silentis lunæ elapsus silentia, suos retrorsum agit, contraque omnium spem, rursus Tungri potitur Oppido, Monasteriumque beatæ Mariæ Virginis, Domumque episcopalem flammis tradit. Pergit nihilominus Episcopus obsidere Arcem; monitique ab eo Trudonenses, Brustemium invadunt, & octavo postquam illud Ægidius Durassius incendio fœdaverat anno, rursus execrationi & igni devovent. Qui ex Lossensibus pro vallo excubant, scandunt Turrim, missilibusque hostem arcent; sed admotis undequaque à Trudonensibus machinis, tantæ multitudini impares, coguntur se dedere, Turrimque relinquere victorum arbitrio.

Tertio deinde die Augusti Episcopus totas educit vires in agrum Lossensem, omniaque ferro & igne fœdum in modum depopulatur. Loscastro, Calmontio, Montenaco, Bilisiæ flammas subjici imperat, cæteraque militaris absumpsit furor. Diris incendiis fumabat tota Regio, funestâque hâc expeditione, præter Oppida & Arces, exustæ sedecim cum suis Templis Parochiæ. Intercesserunt Henricus Comes Namurcensis, Gerardi avunculus, Comesque Montensis; illisque Conciliatoribus, data pax ab Episcopo. Dirempta tum quoque de Brustemio contentio, quæ Ludovicum quoque Lossensem & Ægidium Durassium armaverat, transieratque ad utriusque heredem. Arbitri siquidem decreverunt, Lossensem debere deinceps abstinere à fortificando Brustemio, quod tot cladium & turbarum hactenus fuerat seminarium; nec in hodiernum diem extant nisi designati Oppidi vestigia: tantæ nempe molis fuerat Brustemium voluisse urbem facere; nec tamen Brustemiensium adversus Trudonenses, nisi in seram posteritatem, se remisit animositas. Rerum Leodiensium Scriptores hæc contigisse scribunt anno 1170, quo Ludovicus adhuc vivebat potiebaturque Imperio; sed malui, non absque ratione, sequi Trudonense Chronicon, eadem ad annum 1179, referens,

Sancta Christina mirabilis, Domo Brustemiensis, Patria Lossensis, redit ad vitam.

GRande illud & immortale Comitatûs Lossensis decus, in lucem editum fuit Brustemii, allodialis Comitum villæ; non ut quidam volunt, Trudinopoli, eò quòd Cantipratanus Vitriacus, & alii, Trudonensem (ex vulgi opinione) scribant, quòd ibi quàm diutissimè commorata sit. Quibus in nativitatis ejus locum inquirere non fuit curæ, Brustemiensem, Brustemiique natam; at quo præcisè anno nescitur: testantur, præter Joannem Brustemiensem, & Compilatorem Trudonensis Chronici, antiqua celeberrimi istius Monasterii Monumenta, in quibus observavi plus decem locis exertis adnotandum verbis, S. Christinam mirabilem editam in lucem Brustemii; quin & illorum refutatam sententiam, qui ex illa tantùm, quam dixi, conjectura, Trudonensem scribunt: apud omnes tamen indubitatum, illam anno 1182. fuisse mortuam; elatoque in medium Templum Brustemiense, an Deiparæ Virginis Trudinopolis, in cujus deinde habitavit Parochia, quis dicet, corpore, cùm illi persolverentur justa, universis rei novitate attonitis, de subito revixisse, ac cum cæteris reversam domum, vitamque produxisse ad annos quadraginta-duos, ac demum iterùm, quin imò tertiò, oppetiisse mortem anno 1224. in Monasterio sanctæ Catharinæ, prope muros Oppidi Trudonensis, Ordinis sancti Benedicti. Thomas ex Curione ad Deiparæ Virginis Monachus sancti Trudonis, ac demum anno 1240. factus Abbas, funeri puer intererat, viditque è feretro redivivam resurgere. Ille, ut erat vitæ inculpatissimæ, magnoque fervebat pietatis ardore, sanctæ Christinæ amicitiâ claruit, viditque adhuc Curio, audivitque quæ Cantipratanus in Vita ipsius recenset verè mirabilia.

Aberat tum Gerardus, Moguntiæque apud Imperatorem Fredericum agebat, cujus tum Diplomati, quo ille possessiones Abbatiæ sancti Maximi, juxta Treviros, approbat, inter cæteros Imperii Proceres subscripsit.



Loscastri agit apud beatam Iveram Reclusam, & Gerardo Comiti nuntiat captam ab Infidelibus Jerosolimam.

IBi, sub idem tempus quo Christana revixit, parvâ se concluserat casâ, religiosamque vivebat vitam Ivera, cujus ægregia morum integritas, vitæque sanctimonia eodem cum illa tuguriolo claudi non potuit: sui famam mox diffudit in omnem viciniam, excivitque Christinam (similium enim consuetudine similes capiuntur,) venientem excepit peramanter, totosque novem annos retinuit beata Ivera, inter quas mutuæ virtutis admiratio & amor sinceram conciliavêre amicitiam. Ex hac, ait Cantipranus, se habere quæ Christinam sic egisse commemorat, atque in primis, quòd sæpiùs soleret denuntiare, Siriam, ipsamque adeò Jerosolimam in impiorum Agarenorum potestatem redituram, ipsoque quo id accidit die, id est 4. Kalendas Octobris 1187. *Cùm adesset in Castro Lonensi* (inquit cap. 20.) *dubio procul apud Gerardum Comitem, spiritu cognovit rem gestam. Cùmque multùm exultaret, ab iis qui aderant rogata lætitiæ causam exprimere: Jure, ait, exulto; nam ei Christus Dominus cum Angelis suis exultans occasionem præbuit, quâ magna hominum copia possit salva fieri. Illis rursus sciscitantibus quâ occasione; respondit: Noveritis, terram sanctam hodie venisse in manus hominum impiorum, atque hac re magnam salutis oblatam occasionem: Christus enim pro illata sibi contumelia dignum censuit ut terra illa hâc afficiatur ignominiâ, quàmvis ipsius passione sanctificata; attamen in fine mundi cum ipso mundo peritura, quando illius recuperandæ causâ animæ semper victuræ, ejusque sanguine redemptæ, ab iniquitate ad justitiæ studium convertentur, fundentque homines sanguinem suum, & quamdam morti Salvatoris vicem cum magna devotione rependent. Diem adnotârunt qui aderant, & præ cæteris Gerardus, illamque nihil aberrasse compererunt.*

Gerardus signatur Cruce, profectusque secundò in Siriam, gloriosam in obsidione Ptolomaïdis mortem oppetiit.

ILlo quo Christina denuntiaverat die, Christianis accidit clades longè funestissima: Saladinus siquidem Agarenorum Soldanus Ditionem Christianorum ingressus copiosissimo cum exercitu, Jerosolimam capit, prodente Hugone Comite Tripolitano. Gui-

do Lusignanus Rex Damascum captivus abducitur; Armeni & Græci Christiani Sepulchrum Domini magno auri pondere redimunt. Hinc paulò post, mortuo Urbano III. summo Pontifice, die scilicet 20. Octobris, conscendente sancti Petri Cathedram Gregorio VIII., qui paucis licèt tantùm præsederit mensibus, Cardinales tamen ipso assentiente, statuerunt, votique religione se obstrinxerunt, abdicatis divitiis & deliciis, non verbis modò, sed exemplo & facto, Christi Crucem prædicaturos, primos omnium ipsam assumpturos, aliisque etiam mendicato præituros in Terram sanctam. Decrevisse etiam assensu Pontificis certum est firmissimam inter Principes Christianos pacem ad septennium: ut si quis, illo durante tempore, bellum adversus alium moveat, maledicto Dei & summi Pontificis subjaceat, ac ab omnibus Ecclesiæ Episcopis feriatur anathemate. Sanctè quoque promiserunt, nulla se à quoquam, qui negotium habeat apud Sedem Apostolicam, accepturos munera citra necessitatem indigentiæ & necessitatis; demum non ascensuros equum quamdiù terra, in qua steterunt pedes Domini, fuerit calcata possessaque ab Infidelibus.

Anno deinde proximo, cùm Gregorio succederet Clemens tertius, statim ab inito Pontificatu, decretam expeditionem ultramarinam ardenti zelo, ingentique conatu urgere cœpit, plenissimasque Crucem assumentibus elargitus est Indulgentias. Henricus Cardinalis, Albanensis Episcopus, Crucem prædicaturus in Germania, venit Leodium; inde quoque Trudinopolim adiit, ibidemque fecit verba ad Populum quarto Cal. Majas. Radulfus Leodiensis Antistes, Gerardus Comes, aliique Cruce signati Leodii; Fredericus Imperator cum Proceribus Imperii Moguntiæ. Henricus nihilominus Dux Brabantiæ Gerardo bellum movebat, oppidumque S. Trudonis obsedit ratione Advocatiæ Trudonensis, de qua controvertebatur.

Occasionem hujus paulò repetam altiùs. Comites Durassii è Domo Lossensi ab antiquo habebant illam Advocatiam in feudum à Ducibus Limburgiis, illâque aliquot sæculis potiti, quin Ægidius Durassius, qui Aleydem Gerardi sororem habebat conjugem, vir magnanimus, circiter annum 1185. præter hanc possidebat Claromontium, Rupefortium, Advocatiam Dionantensem; verum elephantiasi laborans, ideoque publico abstinens, quòd careret prolibus, omnia sua cessit Cononi & Petro fra-

tribus, servatâ sibi dumtaxat, dum viveret, Geldoniâ. Fratres quoque spe prolium destituti, scripserunt omnium istarum possessionum heredem Ecclesiam S. Lamberti. At non diù perstiterunt in tam religioso proposito ; neque etiam Radulphus Episcopus satis advigilavit ut Donationis formarentur Tabulæ : nam haud diù post iidem fratres Durassium cum Advocatia Trudonensi, retento usufructu, vendiderunt Gerardo Lossensi ; Claromontium verò, Rupefortium, & Advocatiam Dionantensem sororio suo Walderico Walcurio. Verùm Cono, un erat leviculus, nolebat Henricum Ducem Limburgium pro Majore-Advocato agnoscere, negabatque illi clientelare obsequium ; qui illatam castigaturus injuriam, Advocatiam beneficiario mancipio donat Lossensi ; illamque cum Oppido, ut qui magnas in proximo habebat vires, facilè obtinuit, civium nixus favore. In extrema præcipitem se dat Cono, nullâque ratione habitâ priorum Tractatuum, Arcem Durassiam cum Advocatia rursus vendidit Henrico Lovaniensi septingentis argenti marcis, id est selibris. Is, munito actutum Durassio, quas habebat lectissimas copias, immittit in agrum Lossensem ; tristique vastitate illatâ, parabat Fanum sancti Trudonis obsidione cingere. Verùm Limburgius cum Lossensi præverterat, Oppidumque valido tuebatur præsidio. Erat tamen spes Brabanto expugnandi, nisi Balduinus Hannoniæ Comes, cui erat fœdus & cognatio cum Lossensi, ejus rogatu, & quia Brabantus icti fœderis conditionibus non stabat, expedito cum exercitu invasisset Brabantiam, agrumque fœdasset incendiis. Hac de causa Henricus obsidionem solvere cogitur, ne, dum aliena appetit, excidat propriis. Ita Hannonius & Brabantus mutuis invigilant incommodis, nullamque alter alteri nocendi occasionem intermittebant. Nota quòd Brabantus in Advocatiam Trudonensem, præter emptionem, jus prætenderet, quasi illa Margaretæ Limburgiæ matri suæ assignata fuisset in dotem. Publicato interim Cardinalium Decreto Pacis per septennium, versum belligerandi studium adversus Impios & Infideles ; revocatique à mutuis odiis Principum animi, positæ simultates. Gerardi certè nostri animum jam pridem tetigerat S. Christina, urgebaturque à Reclusa Lossensi B. Ivera ire in Siriam ; nec Brabantum minor incesserat religio : unde & Philippus Heinsbergius Coloniensis Archipræsul haud difficulter inter utrumque hisce conditionibus pacem obtinuit.

Philippus Dei gratiâ Coloniensis Archiepiscopus. Notum esse volumus omnibus Christi Fidelibus in futurum, quòd cùm gravis dissentio, & toti terræ importabilis super Advocatiam sancti Trudonis inter Henricum Ducem Lovaniensem, & Gerardum Comitem de Los orta fuisset; ad sopiendam hanc litem, pro pace terræ partes nostras interposuimus, & ita nostro, & prudentium virorum consilio, inter eos transactum est. Comes Duci octingentas marcas dedit tali conditione: quòd Dux quamdiù octingentas marcas Comiti non restituerit, nullam guerram, neque quæstionem aliquam, ejusdem Advocatiæ, vel alicujus rancoris occasione, contra ipsum, vel uxorem suam, vel heredes suos movebit; & Comes, & uxor sua, & heredes sui eandem Advocatiam, cum omnibus attinentiis, sub tali pacto quietè possidebunt. Si verò Dux Comiti octingentas marcas restituerit, post restitutionem earum, usque dum duodecim hebdomadæ elapsæ fuerint, nec ipse, nec heredes sui eum inquietabunt. Adjunctum quoque est: quòd si Comes contra Ducem, alicujus rancoris occasione, vel pro amici sui dilectione, guerram moverit, & non satisfecerit, Dux de argento solvendo & omni promissione absolutus erit. Ut autem quæ prædicta sunt, à Duce rata & inviolata serventur; Nos & Philippum Comitem Flandrensem, & patrem suum Godefridum Ducem seniorem, & vasallos, & fideles suos fide-jussores Comiti constituit: Nos tali modo pro ipso fide jussimus, quòd si Dux promissa infregerit, & non satisfecerit Comiti, contra ipsum totis viribus assistemus, & argentum ei cum integritate persolvemus. Comes Flandrensis tali modo quòd nec ipse, nec aliquis de terra sua contra Comitem obsequium præstabit, & ipse ad consilium & voluntatem nostram penitus super his stabit. Godefridus Dux senior in hunc modum promisit, quòd si filius suus præmissa rata non habuerit, villam de Los intrabit, nunquam inde usque ad plenariam omnium, quæ prædicta sunt, persolutionem recessurus; Vasalli & fideles sui, quorum nomina subscripta sunt, eodem pacto Trajectum intrabunt, nunquam inde usque ad plenariam prædictorum persolutionem recessuri. Gerardus de Grimbeck, Arnoldus de Dieft, & Arnoldus filius suus, Gwalterus de A, Richaldus de Reve, Godefridus de Calmont, Joannes de Voluwe, Arnoldus de Wesemale, Renerus de Heverle, Arnoldus de Walhain, & Wilhelmus frater suus, Arnoldus de Bigaerden & Arnoldus filius suus, Gerardus de Huldeberge, & Arnoldus frater suus, Alardus Rapa, Leonius de Hudercekem, & frater suus Arnoldus Ribizo de Dieft, Wilhelmus de Bergen, Rubinus Renerus de Lyemale, Henricus de Hugaerden. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXC.

Inter cætera, juxta hoc Diploma, observari potest, Godefridum III. Lovaniensem Comitem se abdicasse Imperio, atque ad hunc annum produxisse vitam cum Imaina Lossensi sua conjuge.

An hoc, an sequenti obierit anno, variant Scriptores; Trajectum deinde ad Mosam tum fuisse Juris Lossensis Christophorus Butkens in Trophæis Brabanticis ad hunc annum scribit. Post hanc transactionem, primùm ab Henrico Lovaniensi expugnatam Arcem Durassiam; vastatoque Comitatu Lossensi, ab eodem obsessam Trudinopolim, sed à Balduino Hannonio Leodiensibus coactum retrocedere: ac deinde Mediatore Henrico Limburgio alias pactas belli inducias: prius utque Philippus Archiepiscopus decreverat rata fixaque maneant, sed hâc adjectâ clausulâ, ut Gerardus Comitatum Durassium accipiat ab Henrico in feudum; Arcem verò à se reædificatam Brabantus obtineat, usquedum omnis de Advocatia controversia sopiatur: quum ipse, ut diximus, præter titulum emptionis à Conone Durassio, etiam prætenderet matri suæ assignatam in partem dotis; deinde alia quædam adjecta minoris momenti. Hac igitur ex parte Gerardus securus, magno se apparatu ad iter transmarinum comparavit; Fredericum Augustum cum lectissimis copiis terrestri itinere in Palestinam pergentem secuti sunt Philippus Coloniensis Archiepiscopus, Radulfus Leodiensis Antistes, aliique Imperii Principes. Cæteri Belgæ mari proficiscentes, hos potissimùm habuere Duces, Philippum Flandriæ Comitem, Florentium Hollandiæ, Gerardum Lossensem, Theodoricum Cliviæ, Ottonem Gelriæ; Reges quoque, Philippus Augustus Franciæ, Richardus Angliæ eò profecti, Messinæ in Sicilia hiemant, superatis innumeris difficultatibus. Cùm in Asiam tandem Imperator venisset, Iconii Soldanum cum quadragenis equitum millibus adventantem ingenti prælio fudit, fugavit, Iconium cepit, aliaque rursus ducenta Barbarorum millia in fugam egit. Tam felicibus auspiciis arrectos in maximam spem Christianorum animos, acerbissimus dejecit casus; nam quarto idus Junias anno 1190, dum à prandio Fredericus Cæsar corpus in amne abluit, vorticibus abreptus, longè maximo rei christianæ detrimento interiit, nonnisi triduo à natatione superstes. Patris vices obire constituit filius Conrardus Dux Sweviæ; & quas retinere copias potuit, duxit in Siriam; verùm & ipse anno sequenti in obsidione Acconensi, sive Ptolomaidis, diem clausit extremum. Illum secuti

ad

ad alteram vitam plures, tum Ecclesiastici, tum sæculares Principes. Hos inter Balduinus Cantuariensis, & Rogerus Cameracensis Episcopi; Philippus Flandriæ, Theobaldus Blesensis, & Gerardus Lossensis Comites: atque hic piissimi Conditoris Monasterii Herkenrodani vitæ exitus fuit. Exuviæ ejus, ut Monumentum indicat, ex Siria relatæ Herkenrodam, ibidem beatam expectant immortalitatem. Chronicon Trudonense addit, *Christianos, longâ obsidione Civitatem Accon superatam, tali cepisse conditione; ut Pagani salvis corporibus abscedant, Crucem Domini cedant, Christianos captivos libertate donent.*

Maria Gelrica ipsius uxor, quàm liberorum, tam fœcunda virtutum parens.

ILla nupsit Gerardo, fuitque Henrici hujus nominis primi, in ordine tertii Gelriæ Comitis, filia, ex Seinara Brabantiæ Ducis filia, quam illi Scriptores cuncti tribuunt, duxitque anno 1135. *Eam*, inquit Isacius Pontanus lib. 6. Historiæ Gelricæ, *Pontus Heuterus, Gramaius, Reusnerus, & alii scribunt Godefridi tertii Brabantiæ Ducis filiam; quo verùm modo eam sententiam tueri poterint, haud facilè video. Nam sanè Godefridus tertius, qui natus anno Christi* 1142, *ut tradunt omnes, quomodò ille, ductâ mox anno* 1159. *uxore primâ Margaretâ Limburgensi, cùm annum ageret circiter decimum-septimum, id est triennio ante obitum Henrici hujus Comitis Gelriæ, qui incidit in annum* 1162, *procreasse, aut dare nuptui potuit illi suam filiam. Interim cùm referant Annales nuptam Henrico Seinaram Godefridi Brabantiæ Ducis filiam, id rectè memorare existimo, nec tamen de primo, secundo, aut tertio Godefridis Lovaniensibus Comitibus, seu Brabantiæ Ducibus capiendum; sed Godefrido Bullionio, Rege postmodùm Jerosolimitano: hunc enim Godefridum, cùm ex eo, aut stirpe ejus, Arduennæ, Hasbaniæ, Lotharingiæque ac Brabantiæ Duces processerint, Brabantum etiam antiquioribus Chronologis appellatum verosimile est; & verò ita rem habere fidem quoque faciat quòd Henrico, ut notant iidem Auctores, cum Seinara in dotem venerit Velaviæ Comitatus. Constat autem, quemadmodùm superiùs in rebus Othonis, attestante Berchemio, memoravi, Godefridum Bullionium priùs quàm in Palestinam iret, Othoni Gelriæ Comiti, accepto ab eo pretio, Velaviam jure feudi secundario possidendam tradidisse. Quomodò jam antè Bullionius ipse à fratre suo Brabantiæ Duce, qui ut feudum pri-*

marium ab Episcopo Ultrajectino possederat, Ditionem eandem accepisset: ita ut mirum haud sit, si Henrico Othonis nepoti, occasione connubii hujus cum filia Godefridi initi, Velaviam, remisso feudi jure, in totum heredes Godefridi permiserint. In hunc modum ille.

Ludovicus tertius Comes Lossensis & Hollandiæ.

LUdovicus fuit Gerardi primo-genitus, Patrique successit in Comitatu Lossensi, jureque uxorio factus deinde & Hollandiæ Comes. Frater Gerardus à Comitatu Velaviæ vocatus, Comitis Rinechii titulum obtinuit. Henricus verò Comitatum Durassium adiit. Nullum fateor cujusquam Comitis nomen libentiùs, majoreque merito hisce nostris Commentatoriis inscribimus quàm tuum, Ludovice Princeps excellentissime, sive singularem tuam spectem in Superos pietatem, & accurratam quam habuisti æternæ salutis tuæ curam, sive magnanimitatem & bellicam virtutem, atque in adversis fortitudinem, invictumque pectoris robur, ostendam cum bono Deo te nequaquam fortunæ unquam defuisse; sed illam tibi infelicesque rerum eventus fato cuidam potiùs quàm pulcherrimis conatibus tuis adscribendos.

Militiæ ipsius rudimentum.

INterempto extra portam Rhemensem anno 1192, die 24. Novembris sancto Alberto Cardinale & Leodiensi Antistite, cùm Henricus Dux Brabantiæ, occisi Martyris frater, tam execrandam indignamque cædem à proditoribus Germanis perpetratam, per litteras indicasset vicinis, cognatisque Principibus, nemoque illorum se non paratissimum respondisset ad justissimam de tanto scelere sumendam vindictam; convenerunt ad condictum diem singuli cum suis copiis, non procul à Colonia Agrippina; inprimis Dux Henricus, Bruno Archiepiscopus Coloniensis, Dux Limburgiæ Lamberti avunculus, Juliacensis, Gelrensis & Lossensis Comites, aliique Cognati sanguinis vindices: sibique se obstrinxerunt mutuo foedere, neminem se passuros immunem tam barbari & execrandi criminis conscium, nec ipsum Imperatorem Henricum habituros in excepto, qui pecuniâ corruptus, Lotharium Bonnensem Præpositum in Cathedram Leo-

diensem, repulso Alberto, intruserat. Hæc inter justissimæ iræ primum impetum infundunt in Comitatum Hostadiensem, Arcemque sitam inter Castarense Oppidum, & Grivenbrocham, funditus evertunt: erat enim Theodoricus Comes Hostadiensis, Lotharii pseudo-Episcopi Germanus, atque necem illam innocentissimi Martyris cum eo, si non procurasse, certè approbasse, ipso censebatur facto. Et quàmvis Ludovicus noster suapte animi propensione ad innoxii sanguinis vindicandam injuriam satis inclinaret; impellebatur vel maximè Imainæ amitæ suæ lachrymis, quæ S. Albertum, extincto etiam non ita pridem marito Godofrido ipsius patre, non secus atque ex se genitum ardentissimo lugebat dolore, omneque quod poterat maternæ impendebat pietatis obsequium. Et hoc tum Ludovici Principis verè magnanimi & verè pii, Militiæ fuit quasi tyrocinium, hisque armis tot posteà gestis præliis prælusit. Ipse Augustus non parum perterritus hac Principum confœderatione, amplissimis singulos studuit placare muneribus, quantùmque potuit admissi criminis à se moliri suspicionem.

De fratribus ejus Theodorico & Villano, cum Balduino Flandriæ Comite profectis in Græciam.

HEnricus Brabantiæ Dux, cùm jam in procinctu itineris Jerosolimitani foret, transegit de Comitatu Mohano cum Ludovico Comite; eò quòd tum Albertus Mohanus transvectus in Galliam nuntiaretur non prosperè agere. Hujus Conventionis Instrumentum publicum superiùs attulimus, illudque signavit anno 1197. Theodoricus Ludovici frater, qui deinde ob præclaras animi corporisque dotes Balduino Flandriæ Comiti innotuit, præcipuè in celeberrima illa decursione equestri, quam Andennæ anno 1202. paulò ante profectionem suam in Græciam instituit; cui & Villanus, quem Memoriæ Herkenrodanæ Wilhelmum appellant, pari fortitudinis militaris commendatione interfuit. Uterque siquidem Balduinum comitati, ut Doultremanus in Balduino testatur, utilissimam illi navârunt operam contra Græcos, atque illius navatæ pretium, expugnata à Venetis, Francis, Belgis, aliisque Latinis, Constantinopolis die 12. Aprilis, anno 1204; designatoque à victore exercitu Balduino Imperatore, ab eodem posteà Theodoricus de Los creatur Senescallus Im-

perii, & Dominus Nycodemiæ in Bythinia, fraterque Villanus ejus Optio, sive Locum-tenens. Utinam mihi modò foret ad usum Godefridus de Villa-Harduini, qui Historiam Expeditionis Constantinopolitanæ, cui & ipse interfuit, describit; aut Guterus Monachus Parisiensis à Canisio lib. 6. Antiqui-Lecti editus, qui similiter Historiam Byzantii à Latinis capti contexuit. Illud tantùm de Villano apud alios legi, quòd fortiter pugnans contra Valacros occubuerit Calendis Februarii 1206. juxta Rusium Oppidum; quòdque Theodoricus anno proximo, dum se ægregiè in pugna contra Græcos defenderet, hostibusque obsisteret, duobus ipsi priùs confossis equis, captus fuerit à Theodorico Lascari, quem contra Latinos Græci jusserant Imperatorem.

Ottonem Gelriæ Comitem avunculum suum è carcere Brabantico liberat.

CIrciter annum sæcularem 1200. variæ controversiæ bellaque intercesserunt inter Henricum Ducem Brabantiæ, & Ottonem Comitem Gelriæ, gestaque variâ fortunâ & eventu, tandemque cœptum agi de pace; Obsidesque illius designati Ludovicus noster, & amitinus ejus Wilhelmus Comes Juliæ, ut ex Diplomate Henrici Ducis patet; ex quo, veluti etiam pluries alibi, observo, id temporis nostrum Comitem Juliacensi præferri solitum.

In nomine sanctæ Trinitatis. Henricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ. Notum esse volumus, tam futuris quàm præsentibus, quòd hæc forma pacis & concordiæ inter nos & Comitem Gelriæ est stabilita, ut plenam postmodùm de Comite fiduciam habeamus, præstito sacramento firmavit, quòd in omnibus, & contra omnem hominem (excepto Imperio) auxilio & consilio fideliter nobis assistet, & super hoc Comitem Ludovicum de Los & Wilhelmum Comitem Juliacensem Obsides dedit nobis, quos vice versâ Obsides ipsi dedimus, prætereà homines sui, tam liberi quàm ministeriales, &c.

Cùmque pactis pacis conditionibus Gelrus haud staret, eaque de causa sibi metueret à Brabanto, ipsum decrevit adire Cæsarem, causamque suam coràm agere; sed à Brabanto retractus ex itinere, mancipatur custodiæ anno 1201.

Quod non potuit, quin molestè Obsides ferrent, quòd Gelrus utriusque foret avunculus: ideoque nec antè destituerunt; donec tandem mediante gravi summâ pecuniæ, liberarent è vinculis.

Anno deinde proximo, pace Trajecti renovatâ per Ottonem Imperatorem, jurârunt Ludovicus Lossensis & de Monte Comites, se Gelro nullam navaturos operam, ni pacta fœderis exolvat, qui paulò post obiit.

Matrimonium Ludovici cum Ada filia herede Theodorici VII. Hollandiæ Comitis, indeque secutum bellum Hollandicum.

ANno 1187. Saladinus Babyloniæ Ægypti Soldanus Christianis eripuerat Jerosolimam : hinc hortatu summi Pontificis plerique Reges & Principes Europæi signantur Cruce, annoque proximo navigant in Palestinam, ulturi communem cladem Christianis illatam, locaque sacra armis asserturi. Hos inter eò profectus est Florentius Comes Hollandiæ, comite Wilhelmo filio secundo-genito. Administrationem Comitatûs commisit Theodorico primo-genito, qui jam tum duarum puellarum excellentis formæ, Adelheidis & Adæ parens erat, ex Adelheide Theodorici Comitis Cliviæ. Obiit illa in expeditione Florentius, tumulatus Anthiochiæ in Basilica S. Petri juxta Fredericum Barbarossum Imperatorem, submersum aquis. Wilhelmus patre orbatus, adhæsit deinde Frederico Juniori Duci Sueviæ; utilemque rei Christianæ navans operam, plura de hostibus trophæa retulit. Anno 1195. redux in Patriam, magnâ testificatione fraterni amoris & benevolentiæ à Theodorico fratre Comite inaugurato excipitur : sed ut facta militiæ præclara illi animum accenderant, gloriæque reddiderant avidum, fraternum affectabat Imperium, facilèque susurrones aulicos discordiæque Æolos invenit; prorupitque tandem simultas in manifestum dissidium : ortâque contentione de Principatu, Wilhelmus profugit ad Frisones, Comitibus semper infestos, eosque concitavit in fratrem. Ingentem jam populi multitudinem habebat sub signis, vimque parabat fratri inferre, & si posset, Dominatu exuere. Quæ fraterni animi impotentia tantò fuit Theodorico formidolosior, quòd eodem temporis articulo oppugnaretur à Balduino Flandriæ Comite in Zelandia, armisque decernendum foret de nobilissima illius Insula, Walachria nomine. Nec tamen nec sic Theodoricus sibi defuit aut imminutus est animo; sed partito exercitu, ipse in Flandrum movet, Adelheidem verò conjugem virilis animi feminam objecit Wilhelmo fratri cum Frisonibus :

atque ut ipſe de Flandris victoriam retulit ; ita illa marito haud infortunatior, Friſones fudit, majoremque illorum partem delevit. Et ferè erat ut Wilhelmum vivum caperet, deſertum à ſuis, quos ipſa aſtu femineo pecuniis promiſſiſque corrupuerat. Interim iſthæc hoſtilis Wilhelmi invaſio, tamque iniquo tempore illata arma, adeò altè muliebri repoſita fuêre animo, ut nec tempus oblivionis parens, nec redintegratæ ulla amicitiæ teſtimonia oblitterare unquam potuerint : defuncto ſiquidem marito, uti dicetur copioſiùs, inter ipſas mortuales cæremonias, ad ſe Ludovicum Loſſenſem Comitem, præclariſſimis animi corporiſque inſignem dotibus accerſit ; qui commodùm id temporis diverſabatur apud Joannem Dynaſtam Arckelium Cognatum ſuum, convivabaturque in Arce Althenâ, illique Adan filiam heredem deſpondet, quo Wilhelmum filiæ tutelâ excluderet, omnemque imperandi ſpem eriperet ; quin & Theodoricus ipſe Wilhelmum, non diù à pugna trepidè redeuntem in Hollandiam, carceri mancipaverat ; ex quo dilapſus, Ottonem petiit Gelriæ Comitem, atque ab eo obtinuit Adelheidem filiam in conjugem : unde & pax firma ſtabiliſque inter fratres tandem coaluit operâ patruorum Balduini XXIX. Epiſcopi Trajectenſis, Theodorici Archidiaconi, & Ottonis jure materno Comitis de Benthem. Adelheidis nihilominus Wilhelmum ſemper exoſum habuit, quòd mulier Imperii cupida, ſibi nullâ unquam ratione prælatum vellet. Reliqua deſcribam verbis Joannis à Beka in Theodorico II. Præſule Ultrajectino ; addamque majoris lucis gratiâ aliquot Notationes, quibus Res illuſtrentur Loſſenſes.

Anno Domini 1302. (ita Exemplaria impreſſa ante Buhelianum habent.) *Theodoricus Comes apud Dordracum infirmitate laborans, circiter agonem ſuæ mortis, quàm plurimùm conqueri cœpit propter abſentiam Wilhelmi Comitis Ooſtfriſiæ, ſui fratris, præſertim quòd de proviſione Comitatûs cum ipſo nihil ante mortem egiſſet ; aut certè quòd unicam ſuam filiam Adan nomine, puellam præclaram & Nobilem, tutelæ ſuæ minimè commendaſſet. Adelheidis quidem Comitiſſa contrà perperàm intendens, propoſuit ipſam puellam Comiti Ludovico de Loen deſpondere, & ſic cum extraneo Principe Comitatum Hollandiæ pro ſuo beneplacito gubernare. Theodoricus verò Comes interim pridie Nonarum Novembris requievit in pace, Creatori reddens animam, poſtquam annis xiij. bellicosè rexiſſet Hollandiam. Cujus obitu jam cognito, Ludovicus de Loon ab Althena Dordracum feſtinanter adve-*

nit, & secundum Adelheidis Comitissæ ordinationem, Adam puellam de regali stirpe progenitam in festivo sponsam accepit. Et erat miserabile spectaculum intueri tam citò magnifici Comitis disparuisse reverentiam, ut Adelheidis Comitissa, sepositis funeralibus exequiis, (proh pudor!) sponsalem auderet celebrare lætitiam. Sed quid plura, Comitis exanime corpus Egmundam devectum est, quod ibidem apud anteriores Comites in Capella S. Prothomartyris Stephani honorificè tumulatum est.

Intereà Wilhelmus Orientalis Frisiæ Comes, perceptæ fratris sui morte, dolenter venit ad Portum Zipe, conductum alterius impetrare nequiens, ut ad tumulum fratris sui securus accederet, & expletis exequiis, in Frisiam sine deliberatione descederet; cui plerique Nobiles Hollandiæ compassi sunt, eique firmissimâ conspiratione fœderati sunt; utpote Florentius, frater suus Trajectensis Præpositus-Major, Otto Comes de Benthem ipsius patruus, Jacobus Leydensis Castellanus, Philippus de Wassenaer, Simon de Harlem, Wilhelmus de Teilingen, Joannes de Ryswick, Walterus de Egmunda, & Albertus Baniart, Milites; mandantes ipsi Wilhelmo Comiti, quòd sub pacta fide securus ad eos transiret, & Principatum hereditatis suæ potenter occuparet: presertim cùm à Primatibus Hollandiæ decretum esset, quòd à mobili muliere nollent regi, nec extraneum Principem super eos aliquatenus dominari. Wilhelmus itaque Comes hâc clandestinâ legatione vocatus, ductu Philippi de Wassenaer ad portum de Zirchzee latenter devectus est, ubi mox à Zelandensi Populo gratanter in Comitem est exaltatus. Walterus verò de Egmunda, & Albertus Baniart cum Kinemariis insultum fecerunt interim in Harlem adversus Ludovicum Comitem de Loen & Adelheidem Hollandiæ viduam; ita quòd ambo circa noctis caliginem unà cum Gisleberto de Aemstel properè diffugerent, & ad Civitatem Trajectensem pro subsidio tenderent. Ada verò juvencula, materno destituta solatio, cum Rogero de Merhem & Ottone de Bueren, Militibus, cunctisque Balistariis Ludovici Comitis ad præsidium anxiè Leidis confugit, & ibidem impetum adversariorum suorum observare decrevit; sed indomita Gens Kinemaria, ducatu Walteri de Egmunda, quantociùs illuc affluit, nihilominus & Plebs Rynlandæ, conductu Philippi de Wassenaer, ibi non defuit; qui fortiter ipsum præsidium illuc assilientes cum sagittis & fundilibus, impegerunt turres & mœnia cum diversis mangenis, quoad usque præfati milites, urgente penuriâ victualium, in deditionem transirent, ipsumque præsidium Kinemariis liberè resignarent. Wilhelmus igitur Comes omnem rem gestam festinanter intelligens, devenit in Hollandiam, & neptem suam Adan cum pedissequis custodiendam trans-

misit ad Texaliam, qui totum exinde Comitatum Ditioni suæ subegit, & de prædiis suorum infidelium, prout voluit, ordinavit.

Ludovicus itaque de Loen Comes totus ad vindictam è contrario consurrexit, qui Episcopum Leodiensem, Ducem Limburgensem, & Comitem Flandrensem pro stipendiis subarravit, specialem tamen confidentiam habens in potestate Theodorici Episcopi Trajectensis, quem pro summa duorum millium talentorum conquisivit in juvamen instantis prælii; promittens, quòd de manu sua Comitatum Hollandiæ reciperet in Feudum, super quibus fratrem suum eidem Episcopo dedit Obsidem. Wilhelmus autem Comes Oostfrisiæ, his agnitis, Walterum de Egmunda, & Albertum Baniart Kinemariis; Philippum autem de Wassenaer, & Wilhelmum de Teilingen Rinlandis præficiens, ad Selandiam secessit, ubi cunctos incolas in suum invitavit adjutorium. Nec mora quin Philippus & Wilhelmus antedicti Milites duas fortes munitiones cum propugnaculis exstruxerunt; quarum unam Florentio Trajectensi Præposito, sitam in Busch; reliquam autem Ottoni Comiti de Benthem, sitam in Suaden Bruchdam, ad tuendum fidelissimè commendarunt. Walterus quidem & Albertus, præfati Milites, Kinemariis indixerunt classem assumere, aggerem interrumpere, & prata totius Amstelandiæ submergere; qui continuò totam Ditionem Giselberti de Aemstel tam aquis quàm incendiis usque ad fines Bocchelandiæ everterunt, & exinde cum ingenti præda multimodæ facultatis Kinemarium remigrarunt. Episcopus verò Theodoricus hanc ulcisci volens injuriam, die xxiiii mensis Junii, propè Midracum personaliter intravit Hollandiam, ubi Comitem de Benthem fugavit à præsidio, & exinde plures villas hostili conflagravit incendio. His ita prosperè succedentibus, idem Pontifex levem equum solus ascendit, pedestrem exercitum trans paludes sequi jussit, & à plerisque Villis singulatim Obsides accepit, donec ad munitionem, quam Florentius Præpositus tuebatur, gloriosè deveniret, & eandem cum expeditis bellatoribus expugnaret. Episcopus igitur hanc munitionem leviter obtinuit, absque grandi dispendio: quoniam Milites de terra Trajectensi deserentes Præpositum, fugerunt, asserentes se nequaquam Episcopo velle resistere, nec adversus suum verum Dominum rebellionem committere. Itaque Florentius Præpositus non habens ultrà restitendi copiam, illic apprehensus est, qui in Horst sub diligenti custodia reservatus est; altero verò diè, cùm solare jubar diaphanum illustraret hemisphærium, idem Episcopus, comitante Militiâ, Leidis venit, ubi Ludovicus Comes, subjugatâ Zuythollandiâ, Episcopo se potenter conjunxit; plurimi quoque Nobiles Hollandiæ Principales ibidem Ludovico gratulanter occursarunt,

cum quo fœdus inseparabilis amicitiæ percusserunt; utpote Joannes Persin, Joannes Isebrandus, & Gerardus de Harlem, Arnoldus & Henricus de Rysvick, & Walterus de Raben, Milites, quorum securo conductu Episcopus & Comes, nemine rebellante, venerunt in Harlem, villas sibi singulas supprimentes, & de jucunda prosperitate non immeritò gloriantes; è contrà verò Kinemarii, cunctis belli necessariis abundè præmuniti, festinaverunt antedictis Principibus certatim occurrere, & cum eisdem in campi planitie grave bellum committere; sed prænarrati Milites, tumultum tam efferatæ plebis agnoscentes, hunc belli strepitum prudenter interceperunt, ac inter utramque Partem hoc arbitrium promulgârunt, quatenus Kinemarii pro forefacto quod dudum in Amsterlandia temerariè commiserant, tam Episcopo quàm Comiti summam quingentorum talentorum persolverent, & ex inde, resumptâ classe, cum pace discederent. Quibus ita gestis, Episcopus & Comes, nihil infortunii de cætero formidantes, villam Sanctæ-Agathæ (quæ nunc dicitur Beversvvick) cum possessionibus Alberti Baniart Militis omnino succenderunt, & ex tunc limina B. Alberti Confessoris in Egmunda peregrè visitantes, totam Hollandiam bipartitam, & in se divisam, nonobstante quovis adversario, subjugârunt.

Ludovicus itaque Comes cernens, quòd nullam rebellionem jam haberet, exoravit instanter Episcopum, ut ad propria remearet.

Cum autem hæc agerentur apud Hollandiam, Comes Namurcensis ex parte Comitis Flandriæ cœpit expugnare Walachriam. Hugo quidem de Voerne, acceptis Obsidibus, reliquas Insulas Ludovico subegit, & Wilhelmum Comitem à Zelandia profugavit. Wilhelmus itaque Comes nullibi tutus, cum navi piscatoria retibus obtectus à suis persecutoribus eventu mirabili elapsus est. Sed cùm Hugo de Voerne ex parte Ludovici Comitis totius Zelandiæ Præfectus existeret, modumque suæ potestatis arroganter exerceret, Zelandiæ Populus denuò conspiratione confœderatus, Hugonem probrosè detulit, & Wilhelmum filium Hollandiæ Comitis undique requisitum, iteratò Comitem statuit: nec mora quin & idem Wilhelmus Comes per occultas litteras Waltero de Egmunda, Alberto Baniart, Wilhelmo de Teilingen, & Philippo de Wassenaer omnem rem gestam seriatim exposuit; quin imò, quantùm potuit, humillimè petiit, quatenus die determinatâ cum armatorum copiis Leydis advenirent, nec in absentia sua contra Ludovicum Comitem prælium aliquatenus inchoarent.

Ludovicus igitur intelligens, Zelandos sibi rebellasse, & Kinemarios cum armis accurrisse, direxit exercitum suum in Leydis: at Kinema-

riis armipotenter occurreret, & deinde contra Zelandos grave bellum committeret. Kinemarii verò festinaverunt econtrà prædictum exire præsidium, cursitantes inordinatò nimis ad prælium, quapropter à viris belligeris absque miro disturbati sunt; cæteri verò classem intrare nequeuntes, scanderunt Pontis propugnaculum, ut ibidem ad novum bellum recenter aggregarent exercitum; sed ecce Pons idem mole tot Armigerorum confractus corruit, & maxima multitudo Kinemariorum in torrente Rheni fluminis suffocata periit. Philippus autem de Wassenaer cum Waltero de Egmunda, & Alberto Baniart trans paludes celeri fuga dilapsus est; sed Wilhelmus de Teilingen, hostibus aliquamdiù obstans, ibidem captus est. Ludovicus itaque Comes, hac accepta victoria, statim ad nemorosa loca versus Voerscoten gloriosè reversus est.

Intereà Wilhelmus Comes cum expeditione valida de Zelandia adveniens, tabernacula fixit in Tol, deinde in Ryswick, prope Hagis, deinde circa noctem castra metatus est apud Schabenburck, ut altera die contra Ludovicum Comitem indilatè confligeret, & eundem de hereditate paterna procul expelleret. Ludovicus autem hanc sinistram famam audiens, transmisit ad Wilhelmum Ducem Limburgiæ, quatenùs ipse tentaret de compositione pacis & concordiæ; sed idem Dux, vir belli gnarus, sine pacis effectu rediens, visa nihilominus & audita referens, sua præcepit evelli tentoria, & à facie supervenientis exercitûs absque mora declinavit ab Hollandia. Ludovicus etiam Comes, relictis ibidem tabernaculis, festino diffugio Trajectum adiit, & captivos Equites Episcopo pro stipendiis tradidit. Quidam verò Militum præcipiti casu proruentes in lacum Zylæ, suffocati spiritum aquæ supposuerunt; alii verò vagantes per devia, diversis incommoditatibus afflicti, cassam animam exhalarunt. Cæteri quidem fugitivi loricas, thoraces, galeas & clipeos abjicientes, vel passim occisi sunt, vel catervatim apprehensi sunt.

Wilhelmus itaque profugientium exercitum perniciter insecutus, militum numerosum cuneum apprehendit, quin imò papiliones & victualia cum clenodiis diversæ supellectilis acquisivit. Itaque Ludovicus Comes de Loen nunquam reversurus ab Hollandia propulsus est, & Wilhelmus in paternam hereditatem laudabiliter est exaltatus. Modico de hinc elapso tempore, Wilhelmus Comes, recollecta militia, munitionem Folberti & Florentii de Asperem adversariorum suorum, applicatis mangenis destruxit; & contrà Gerardus de Are, frater Theodorici Pontificis, cum Trajectensibus Dordracum favillatenus inflammavit. Denique Theodoricus Episcopus & Wilhelmus Comes per amicabiles Internuncios certis con-

ditionibus reconciliati sunt. Ludovicus verò Comes iteratò notos & amicos sollicitavit, ut absente Wilhelmo latenter Hollandiam intraret; sed ab eodem domum reduce probibitus est. In hunc modum ille.

NOTATIONES.

UNicam filiam suam Adan nomine: Adelheidis enim altera Theodorici filia, nupta Henrico Ottoni Gelriæ Comitis filio, jam tum cum marito obiierat absque liberis. Adæ, quam alii Adamam vocant, nomen obtinuit in Fonte Lustrico ab Ada Scotica avia paterna: Florentius namque Comes Hollandiæ ejus avus matrimonio sibi junxerat Adan Davidis Goviochiæ Comitis filiam, fratris Milcolumbi Regis Scotiæ, qui Henrico progeniti avum habuêre Davidem Regem, cui patre præmortuo, successit Milcolumbus nepos; atque ita jure merito Joannes à Beka vocat Adam puellam de regali stirpe progenitam. Nota quoque adhuc aliam fuisse Adan, Abbatissam Reinsbergensem, filiam Wilhelmi, qui cum Ludovico de Comitatu Hollandiæ decertavit, hujus nostræ patruelem. Ada Scotica adhuc supererat anno 1206, quin imò anno 1218, ut probabitur.

Ludovicus de Loen ab Althena Dordracum festinanter advenit, ubi tum hospes cognati sui Joannis hujus nominis VI. Dynastæ ab Arkel degebat; an ex composito quis dicat: non potuit tamen quin antè Adelheidi filiæque Ludovicus excellentissimus Princeps innotuerit. Isacus Pontanus lib. 6. Historiæ Gelriæ ad annum 1203. scribit, " Guilielmo Hollando Frisiæ Dynastæ bellum exarcisse cum Ludovico ex Comitum ordine " Lonensi dicto; alii & rectiùs, Lossensem vocant, ex Lossæ Co- " mitatu, in agro & Diœcesi Leodiensi sito. Is Ludovicus cùm " filiam Theodorici Hollandiæ Comitis Adan nomine vi rap- " tam, vel ut alii volunt, à matre traditam, conjugem acce- " pisset, & Hollandiam veluti dotalem armis teneret; Guiliel- " mus Adæ patruus, coacto è Frisiis ac vicinis Fœderatis exer- " citu, occupatorem tum quidem Hollandiâ expulit, captâ ac " missâ in custodiam nepte; sed mox reparatis apud Episco- " pum Trajectinum viribus, Ludovicus Guilielmum, paulò an- " tè victorem, Hollandiæ finibus vicissim exegit. Et idem exin- " de Guilielmus, fortunæ quadam volubilitate, denuò victor su- "

" peratum Ludovicum ita contrivit, ut fugiens imposterùm
" Hollandiâ abstineret. Huic bello an interfuerit, suisque au-
" xiliis alterutrum juverit Gerardus Comes Gelriæ, apud Au-
" thores non reperio; potiùs putem quietum egisse, idque ob
" eam causam, quòd utrique & Lossensi, & Hollando affinita-
" te esset conjunctissimus: nam ut Guilielmus Gerardi soro-
" rem sibi tori sociam Adelheidem habebat; ita Ludovicus ex
" amita ejusdem natus erat: Maria enim avi ejus paterni Hen-
" rici filia tradita connubio fuit Lonæo, sive ut scribendum
" jam dixi, Lossensium Comiti Gerardo, qui hujus haud du-
" bio Ludovici parens fuit. Hæc ille.

Neptem suam Adan cum pedissequis custodiendam transmisit in Texaliam. Texalia hodie notissima Insula, vulgò Tessel, quò naves frequentissimè appellunt, atque inde jussu Wilhelmi patrui, quam nullis precibus lacrimisque, ipsis Barbaris miseranda puella hostibus, permovere potuit, navigio avecta in Angliam ad Henricum II. Regem, illiusque commissa fidei. Ludovicus verò, quàmvis gravi implicatus bello, nullum tamen non movit lapidem, ut dilectâ repotiretur conjuge: & mox misit in Angliam cum splendida Nobilium caterva & muneribus fratrem suum Joannem Arnoldum Dominum de Stein, qui Adæ foret Obses; sed nihil initio obtinere potuit, quantumvis efficacibus niteretur argumentis, disertèque admodùm peroraret. Quin Genealogia nostrorum Comitum Gallicè scripta, quam vidi Coloniæ apud V. Cl. Ægidium Gelenium, omnis generis Antiquitatum studiosissimum, istud habet. *Joannem Arnoldum contra jus Gentium à Rege traditum in custodiam, sed mitigata deinde ipsius bile, perpensaque postulationis æquitate, & Legati præstantia, receptum in gratiam, donatumque à Rege Baltheo equestri, ac negotio confecto, tandem rediisse in Patriam, nec diù supervixisse, non sine suspicione porrecti ab aliquo veneni.* Adam verò necdum obiisse nimis quàm clarè liquet ex Codicillis Transactionis Wilhelmi cum Ludovico, quos dabimus, & Henrici I. Brabantiæ Ducis Tabulis signatis anno 1206. Quin imò ipsa diurnâ liberata captivitate, domumque ad Ludovicum conjugem reversa (nescio quâ precisè anni epochâ) assensum suum præbuit cùm Ludovicus fundationem Herkenrodanam publicis firmaret Tabulis anno demum 1213, similiter cùm anno 1218. moriens Sanctimonialium augeret dotem. Vide superiùs.

Ludovicus itaque de Loen Comes totus ad vindictam à con-

trario consurrexit, qui Episcopum Leodiensem &c. pro stipendiis subarravit. Vix celebratarum nuptiarum Ludovici cum Ada Hollandiæ Comite fama inclaruerat, cùm ecce Henricus Lovaniensis occasionem illius distinendi advenisse ratus (vetus enim intercedebat simultas,) bellum indici curat: prætextus erat bene antiqua de Advocatia Trudonensi controversia.

Ægidium Aureæ-Vallis Religiosum audiamus. *Orta est* (inquit) *contentio inter Ducem Lovaniensem & Comitem Lossensem, propter Tricensum sancti Trudonis, ad Episcopum Metensem spectantem. Ludovicus Comes de Los quieti suæ consulens, Castra sua, Montenacum videlicet & Brustemium, Litanutum, & omnem terram quam liberè tenebat, sancto Lamberto tradidit, & super Altare ipsius, vidente Clero & Populo, præsente Episcopo Hugone, & Duce Arduennæ Henrico, & Comite Alberto de Moba, legitimâ reportavit donatione, & de manu Episcopi in Dominium recepit. Episcopus Hugo prædicta Castra, & terram memoratam in festo sancti Joannis saisivit. Imminente igitur messe Dux ad pugnam suos invitavit, & obsidere Oppidum sancti Trudonis valens, in Villa quæ Landin dicitur, suos papiliones statuit, ac per octo dies ibi mansit, & in circuitu segetes, ultrà quàm credi potest, devastavit. Comes verò de Los ad Episcopum veniens auxilium petit; qui tam de terra sua, quàm de aliena, in auxilium Comitis magnum congregat exercitum, quem in villa quæ Waremia vocatur, collocat; ubi dum octo dies expectat belli gerendi occasionem, Comes Namurcensis difficulter à Partibus treugam impetrat, & sic uterque exercitus ad propria revertitur.* Hactenus ille.

Hanc Comitis nostri abdicationem supremi Dominii, professionemque Beneficii clientelaris in Ecclesia Leodiensi factam mox ac Adan accepit conjugem, patet ex Codicillis Ecclesiæ Leodiensis à Carolo Langio editis. *Anno* (inquit) 1203. *Ludovicus Comes de Los relevat ab Ecclesia Leodiensi Castrum Montigny, cum territorio de Hallud, cum Castro, item Alodium Tessenderlo, in quo est Abbatia Averbodæ; item Lumay cum Castro, quod Ludovicus Advocatus de Hasbania, ab ipso Comite tenebat: & ex eo Episcopus ei cessit omne jus quod habebat in Castro de Duras, occupato per Ducem Lovaniensem, à quo Comes præfatus tenere se in feudum contendebat: ita ut à se & suis successoribus relevet in feudum.*

Non est vero simile Ægidium agere de alia donatione Comitis, nisi de qua Langius, quàmvis pauculas alias possessiones exprimat, consecutum deinde bellum gestum videtur ab Episcopo,

Ludovico rerum suarum satagente in Hollandia; qui dum majori Dominatui inhiat, proprium deterioris conditionis reddit. Observat enim Christophorus Butkens in Trophæis suis, Rerum Brabanticarum magnus investigator, Henricum Ducem plus æquo tum inclinasse in partes Wilhelmi Domini Frisiæ adversus Ludovicum, ideoque facili irritatum negotio, *quòd Hugo Episcopus & Ludovicus Comes de Los* (inquit Ægidius) *Pontem Trajectensem & aggerem quem Dux Lovanii exstruxerat, terræ adæquassent, utriquè intulisse arma.* Facili dixi irritatum injuriâ, quia Trajectum cum suis appendiciis, Vole, Montenake, Wilre & Lineulne tum adhuc erat Juris Lossensis, non Brabantici. Patet ex Diplomate Cæsaræo: *Fredericus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Omnibus hoc scriptum videntibus notum fieri volumus, quòd dilecto Principi nostro Henrico Lotharingiæ Duci bonâ fide promisimus, quòd Oppidum suum Trajectense, quod ei in feudum dedimus, à Comite de Los redimemus, ita quòd liberè illud ei restituemus usque ad octavam Paschæ proximam, & super hoc fidejussores ei constituimus Principes nostros Conrardum Metensem & Spirensem Episcopum, & Imperialis Aulæ Cancellarium, Lupoldum Ducem Austriæ, Ottonem Ducem Moraviæ, Bernardum Ducem Karintiæ, & Comitem Albertum de Everstein; & super hoc præsentem paginam in testimonium dedimus, sigilli nostri munimine roboratam, qui etiam ad petitionem nostram sua sigilla apposuerunt. Datum apud Worsele anno M. CCXIV. Indictione secunda, quarto nonas Septembris.*

Promittens quòd de manu sua Comitatum Hollandiæ reciperet in Feudum, veluti deinde anno 1204. fecit. Extat Diploma Infeudationis apud Hedam in Theodorico secundo ex Tabulis descriptum publicis. Fidejussores illius fuerunt Hugo Leodiensis Episcopus, Henricus Dux Limburgius, Philippus Marchio Namurcensis, Adolfus Comes de Monte, & Wilhelmus patruus Comitis Flandriæ: Litteræque illorum integræ extant in Archiis Collegii Trajectensis. Verumtamen observandum ex Notis Buchelii, id nequaquam factum præposterè, quòd Hollandia olim propriè dicta, quam Heda Wiltorum vocat Provinciam, hodie Zuythollandia dicitur, Feudum fuerit Ecclesiæ Ultrajectinæ; Comitesque illam solerent clientelari beneficio ab Episcopis recipere, quòdque illa primogenia non fuerint Feudum Imperii, sed quæ nunc eo titulo gaudent. Hinc luce evadit meridianâ clarius, Ludovicum nequaquam suâ personâ fecisse quidpiam in-

dignum, aut imminuisse jura Comitatûs Hollandiæ, si se professus fuerit Episcopi beneficiarium, quod idem eodemque anno fecit Wilhelmus ipsius Competitor : quin & ille paulò post Imperatorem agnovit immediatum Dominum, quo neptem excluderet, tanquam Imperiali & masculino Feudo ; cùm tamen per sequiorem sexum sequentibus temporibus Comitatus ille pervenerit ad Hannonios, Bavaros, Burgundos, Austriacos. Sed Principes utuntur legibus, prout ipsis commodum fuerit, semper eorum interpretes nacti facientes.

Sed prænarratos Milites &c. Kinemarios ad prælium paratos, consilio Adæ Scotiæ, Wilhelmi matris, domum reversos tradit Stohius, Emmius verò solertiâ Isebrandi & Gerardi pugnam interceptam dicit. Dousa, Proceres Lossensi reconciliatos intercessisse, & paratos Kinemarios, ex vulgari Chronico & Beka est auctor. Quem verò ideo sequar & amplectar, quòd eadem opera probet Lossensem à Proceribus Hollandiæ, qui antè Wilhelmum secuti fuerant, agnitum pro suo Comite : quomodò enim aliter ipsi reconciliari poterant.

Modumque suæ potestatis arroganter excederet, hanc sævitiæ & arrogantiæ Hugonis de Voerne culpam Heda adscribit Ludovico, eumque ob superbiam à Zelandis derelictum scribit : *Nempe quidquid in recenter parto, & quasi precario Imperio peccari solet à Principum Administris, illud totum illorum culpæ adscribitur ; Populusque necdum planè domitus, iram suam in illos effundit ; & nisi qui externæ alicujus Gentis Dominatum suscipit, magnâ quâdam & eximiâ præditus sit dexteritate, longè gravissimis implicatur difficultatibus, nec victus censetur, nisi felix rerum eventus.* Pergit Beka ; sed idem Dux Limburgiæ, vir belli gnarus, sine pacis effectu rediens, visa nihilominus & audita referens, sua præcipit evelli tentoria : ita nempe oportebat hostium vires in immensum attollere, ne proditio primo obtutu clarescceret. Sed quis non videat sanctam Christinam mirabilem vera prædixisse, de qua Cantipratanus in Vita ejus ait. *Idem Comes Ludovicus quandoque æstivo tempore, horâ meridianâ, in Castro suo Lonensi, quod jam eversum est, cum Duce Limburgiensi, & alio quodam Comite colloquebatur, ad illos igitur accurrens Christiana, magnâ voce dixit : O te miserum, quibuscum jam misces colloquia ; en amicum se simulat, qui hostili animo tui proditionem meditatur. His verbis proditor ille perterrefactus, ad horam conticuit, remque ut erat, verbis dissimulans, posteà vera di-*

xisse Christianam facto declaravit; & quoniam manifestiore potuit quàm secreto pacisci cum adversario, Fœderatum deserere, fugam corripere, Sociique copias panico complere metu.

Ludovicus verò Comes iteratò notos & amicos sollicitavit, ut absente Wilhelmo latenter Hollandiam intraret. Quâ occasione Wilhelmus abfuerit ad Hollandia, aut quibus implicatus negotiis, non proditur: quòd ratione adeundi Regni Scotici, ut Beka comminiscitur, meræ nugæ & Attellanarum ludicra, ut Buchelius ostendit & clarè probat. Non difficulter intereà colligitur ex Diplomate pacificationis, quod mox dabimus inter Ludovicum & Wilhelmum, res hujus tum fuisse in arcto quòd Comitalem titulum potioremque Hollandiæ partem passus sit assignari Ludovico, ipse contentus Frisiæ Domini nomine. Hinc meæ sententiæ, credo, accedet quisquis cum animo suo seriò reputaverit, nullum Principem facilè quidpiam concessurum, quod adhuc in sua habeat potestate; nec cessurum adversario, nisi quod vel non habeat, vel recuperare nisi difficillimè possit. Unde vero simillimum, tum Ludovicum ope amicorum & confœderatorum, vel penetrasse cum exercitu in Hollandiam, vel stetisse in procinctu: pro illo quidem stabant non modò Leodiensis & Ultrajectinus Antistites, Dux Limburgius, Dynastæ ab Erckel, & Althena, sed & ipse Henricus Dux Brabantiæ, qui licèt anteà Ludovico infensus, cum eodem transegerat; nec Flandri ipsum deserebant, quia Wilhelmum oderant. At quia Ludovicus pacis quàm belli cupidior, compromiserunt uterque in arbitrium Philippi, cognomento Nobilis, Marchionis Namurcensis, & Bajuli sive Tutoris Flandriæ: dum Balduinus Hannoniæ Flandriæque Comes, cum cæteris Principibus Latinis navigasset in Græciam, ibidem crudelissimè interemptus à Bulgaris anno 1205. fuisset.

Hæc est forma compositionis & pacis inter Ludovicum Comitem de Los & de Hollandia, & Dominum Wilhelmum Florentii Comitis Hollandiæ quondam filium, arbitrio Domini Philippi Marchionis Namurcensis, Bajuli Flandriæ, &c. Dominus Marchio dicto & arbitrio suo assignavit Comiti de Los Comitatum Hollandiæ, excepto dotalitio matris Domini Wilhelmi supradicti, &c. item Scarpenisse, Duvelant, Stavenesse, & Driescie, & hominium Domini Hugonis de Ooststorne & Weststorne, & de appendiciis; tota verò illa terra ex hac parte Mosæ diversus Flandriam remanet in partem Domini Wilhelmi, &c. in

We-

Wenagio apud Geertleet habebit Dominus Guillelmus omni anno quingentas libras denariorum, &c. Illas Dominus Wilhelmus tenebit ab Imperatore seu Rege Romanorum, sicut Comes de Los & de Hollandia tenebit ab eodem residuum, &c. Dominus Wilhelmus dedit ei Obsides pro dicto arbitrio suo tenendo, sororem suam & filiam suam propriam, & decem homines de Scaudes, homines de Hollandia, qui ipsâ die Brugis erant. Fecit Dominus Wilhelmus facere Hominium Comitis de Los & de Hollandia, qui per Castellanum de Leida, qui praesens erat, debet Comiti de Los facere habere liberè Castellum de Leida, &c. Dominus Wilhelmus debebit ire in Curiam Domini Episcopi Trajectensis, & illic reddere Feudum suum, & guerpire ad opus Comitis de Los, ad eum bonâ fide adheredandum, &c. Dominus Wilhelmus debet mittere in Angliam Nuncios suos ad rehabendam neptem suam, & eam reddendam Comiti de Los & de Hollandia, &c. Dominus Wilhelmus homines suos in Zelandia & de Scaudes debet dare Obsides, & facere jurare, quòd si supradictis compositionibus, & conventionibus defecerit, homines illi essent in nocumentum, & Domino Marchioni Namurcensi in auxilium, quousque emendatum esset Consilio Curiæ Flandrensis. Homines etiam Hollandiæ, & Insularum prædictarum posuit Obsides Comes de Los & de Hollandia; ita quòd faciet eos jurare, quòd si deficeret in prædictis, ipsi homines essent Comiti de Los & de Hollandia in nocumentum, & Domino Marchioni in auxilium, quousque emendatum esset Consilio Curiæ Flandriæ. Ponet quoque Comes de Los Dominum Episcopum Leodiensem Ostagium &c. Pro posse etiam, sive suo dando, ponet Comes de Los Ostagium Ducem Lovaniensem, &c. Hæc omnia pleniùs tenenda & firmiùs observanda Ludovicus Comes de Los & de Hollandia, & Dominus Wilhelmus sæpedictus, sacrosanctis tactis Evangeliis, juraverunt &c. Actum Brugis in domo Præpositi mense Octobri, die festo sancti Domitiani, anno Verbi Incarnati 1206.

Hoc Diploma V. Cl. Olivarius Vredius profert in Flandria sua, Frisica, Zelandica & Imperiali autographum. Asservatur in Archiis Capituli Cathedralis Brugensis, ipseque pro sua in me humanitate, hæc quæ Comitem nostrum concernunt, exscripsit suâ manu.

Juxta Tabulas hasce publicas consequens quoque est, Adam

Hollandicam necdum oppetiisse mortem, pluresque ex Hollandiæ Proceribus perstitisse in fide & obsequio Ludovici sui Comitis. Dux & Comes sub hac forma composuerunt : quòd Comes & uxor ejus omne Alodium quod competit eis ratione & jure hereditario in tota Hollandia, in manus Ducis resignabunt, & idem Alodium à Duce in Feudum recipient cum omni integritate, exceptâ Domo de Leiden & Castellaniâ. Attamen si Dux omnia Feuda quæ ipse Comes tenet de quibuscumque Dominis, ab eis recuperare & obtinere potest, Comes ea de manu Ducis in feudum recipi, & ipse Comes bonâ fide laborabit, quòd Domini ea Duci concedant ; item Castrum de Calmont, de quo Comes uxorem suam Adan dotavit, tam ipse quàm uxor ejus Duci resignabunt, & ab eo in Feudum recipient ; & præterea redditus annuatim, centum marcas valentes, Duci cum Castro assignabunt, & ab eo recipient in Feudum, præter ducentas, quas diù antè in Alodio Hardene assignaverat Comes Duci. Prætereà si Comes aliqua Feuda alicui contulit, quæ de jure ab Imperio tenere debebat, si Imperium ea recuperare de jure potest, Dux ab Imperio, & Comes ea de Duce recipiet. Item Comes promisit quòd Concordiam illam, quæ inter eum & Dominum Wilhelmum est ordinata, Consilio Ducis & Rotgeri de Merchem, & eorum quos ipsi assument, observabit, & firmiter stabiliet ; si verò prædictus Wilhelmus Concordiam prædictam Consilio Ducis & Rotgeri de Merchem, & eorum quos ipsi assument, observare renuerit, Dux Comiti assisset, tamquam de propriis negotiis, quoad quidem inviolabiliter observet ; similiter ubicumque Comes jus suum monstrare poterit, Dux ei tanquam in propriis fideliter negotiis assistet. Præter hoc Dux assumet tres de suis hominibus, & Comes de Los tres de suis, ad dandum de sua pecunia Consilio prædictorum sex ; qui sex, si aliquo poterunt adinvenire ad confirmationem ampliorem inter Ducem & Comitem, Dux & Comes eorum stabunt consilio. Ad hæc condictum est, quòd Comes Legius homo Ducis erit contra omnes homines, excepto Imperio & Leodiensi Episcopo : si tamen Episcopus & Ecclesia Leodiensis injustè Ducem gravare attentarent, Comes Duci sicut Legio Domino suo & Pari suo assistet.

Sciant omnes, tam futuri quàm præsentes, præsens scriptum intuentes, quòd ad confirmationem dilectionis & securitatis, Ludovicus Comes de Los Castrum de Chalmont, quod suum erat

Alodium, in manus Henrici Ducis Lotharingiæ resignavit, & illud in Feudum ab eo recepit; præterea in universo Alodio de Herdenen, & in villis præfato Castro attinentibus, singulis annis trecentas marcas ei assignavit, quas similiter de manu Ducis liberè suscepit, tali conditione interpositâ, quòd si memoratum Comitem sine liberis decedere contigerit, ad propinquiorem ejus heredem Feuda ipsa sine contradictione devolventur.

Sæpedictus etiam Comes ipsi Duci contra omnes homines, exceptâ Leodiensi Ecclesiâ, legeitatem fecit, quod etiam heredes Comitis Duci & suis heredibus facere tenentur: quæ tam Ecclesia si Duci injuriari in aliquo vellet, ipse Comes partes suas interponens in hoc casu, sicut Domino & Pari suo facere debet, & Dux vice versâ, Comiti similiter facere tenetur. Et ut hæc prænotata sunt, in posterum rata & inconvulsa permaneant, Comes decem de hominibus suis subnotatis cum Feudis suis Duci in hostagium dedit: ut si ipse vel heredes ejus ista infringere attentaverint, ipsi tamdiù Duci contra Comitem vel heredes ejus servient, donec eum ad satisfactionem reduxerint. Similiter Dux Comiti decem de suis hominibus in hostagium dedit. Hi sunt Obsides Comitis; Rotgerus de Merchem, Theodoricus de Althena, Otto de Bornen, Wilhelmus de Pietersheim, Arnoldus & Hermannus frater ejus de Elslo, Robertus de Berle, Raso de Curteraco, Wilhelmus de Gotthem, Theodoricus Castellanus de Los. Hi sunt Obsides Ducis; Godefridus de Schoten, Arnoldus de Diest, Gerardus de Jacia, Godefridus Castellanus de Bruxella, Arnoldus de Walheim, Arnoldus de Wesemale, Arnoldus Seneschallus, Goswinus de Heverla, Robertus de Themis. Acta sunt hæc anno Verbi Incarnati 1206. sub testimonio suprascriptorum Virorum.

Ludovicus, approbante uxore suâ Adâ Comitissâ, anno 1213. ratam fixamque habet fundationem Monasterii de Herkenrode, à patre Gerardo factam; eâdemque assensum suum præbente, ipse anno 1218 moriens, idem Monasterium opulentissimis donat Decimis. Quorum omnium notitia si pervenire antehac potuisset ad Scriptores Rerum Hollandicarum, non omnes uno quasi scripsissent calamo, Adan in fata concessisse anno 1204, id est altero à nuptiis, sepultamque Metelloburgi: cùm tamen marito supervixerit, tandemque sepulturam obtinuerit apud eum Herkenrodæ. Improlis tamen obiit.

V 2

Ludovicus cum fratre suo Henrico fortissimè pugnat pro Episcopo Leodiensi adversus Brabantum.

CAusam originemque illati ab Henrico Brabantiæ Duce Leodiensibus belli, expilatæ devastatæque ab eo Urbis, uti copiosè & eleganter ex fide describit B. Fisen Lib XII. § IV. ex quo Ludovicum quæ spectant, delibabimus. Cùm Henricus alterâ jam vice in agrum Leodiensem magnâ ferocitate totisque viribus incumberet, Hugoque Leodiensis Episcopus ad propulsandum hostem videretur tardior; Leodium venit post meridiem Ludovicus Comes, & tarda consilia castigans, Hugonem, Civitatemque ad Ecclesiam Patriamque tuendam animavit, obtulitque vires suas omnes. Convenerant fermè ex tota Ditione armati omnes; sed Hoiienses, Dionantii, Fossenses, cæterique è superiore Provincia expectabantur. At moræ diuturnioris impatiens, paucis comitantibus, Hoium noctu magnâ celeritate contendit Hugo; portisque reseratis ingressus, dato signo, Populum convocavit, rogavitque, ac pro potestate imperavit, periclitanti Ecclesiæ Leodiensi subvenirent; periculum, quod ab hoste imminebat, non pati moras; & si immineat, nunquam permittendum, ut tam pudenda vastitas agro Hasbanico impunè sit illata, Sociique Tungri pessumdati; totis denique viribus adnitendum atque adeò etiam occumbendum potiùs esse: ne quæ cœperat grassari pestis, nullo propugnante, universam occupet Provinciam. Succlamatum à tota concione duceret quò vellet, pro Patria, pro inclyti Martyris Lamberti causa nihil, non ipsam detrectari mortem. Aderant evocati omnes ab Episcopo è Regionibus superioribus, quos uno cum Hoiensibus facto agmine Leodii primo diluculo adesse jussit. Quibus ita constitutis, Leodium eâdem nocte reversus est, quam item totam Henricus Dux somno non traducit: sub vigiliam tertiam per omnia Castra voce præconis indici jubet iter versus Leodium primâ aurorâ. Jamque profecturus erat, cùm indignum ratus bellicâ suâ virtute Templum unum, scilicet B. Virginis Tongrense, relinqui velut inviolabile; partem Copiarum mittit Tungrum, quæ summâ vi munitionem iterùm tentet. Irruentes adeò ferociter exceperunt obsessi, ut trecentis primo impetu cæsis, totidemque captis, reliquos in turpem fugam averterint. Hoc infelici auspicio in iter se dedit Exercitus.

Albescebat Cœlum quando in Civitatem rediit Episcopus; æreque campano banni Cives ad arma, atque adeò expeditionem fieri jussit. Primo Sabbathi sole Civitate vix prodierat Exercitus, cùm missi utrimque Exploratores trepidè refugiunt ad suos, nuntiantque hostem ad prælium venire. Metus utrimque perincussus, prælium reformidabat Hugo, antequam vires omnes convenissent; veritusque ne contra mentem dimicare cogeretur, misit in Civitatem qui imbelli turbæ pro salute exercitûs Supplicationes indiceret: nullum enim usquam certius quàm è Cœlo subsidium. Progrediebatur interim Exercitus & ordinibus obequitabat Episcopus, non sine sollicitudine; ecce è monte publico Hoyenses, Dionantenses, Fossenses, cæterique Socii, quos nocte Hugo evocaverat, descendentes Exercitui se adjungunt, magnâ omnium adgratulatione. Universis Copiis Theodoricum Rupefortium, Lossensi affinitate conjunctum, Hugonem Florinensem, Arnoldum Morialmæum cùm præfecisset Episcopus, alacres in hostem duxit. Pervenerat Brabantus Skendermalium, secundo ab Urbe lapide, quando Exploratores Leodios adesse nuntiantes, non levem illi incussere metum: nec congredi ausus, sua tueri, quàm aliena vastare consultus duxit, pedemque cœpit referre, flammis quà transierat injectis, quibus hoc triduo pagos facilè quadragenos absumpsit. Fremebant Leodienses, imprimisque Theodoricus Valcurius sive Rupefortius (nam in unam duæ istæ Familiæ coaluerant,) cùm videret incendiis fœdari Patriam ab hoste, qui manus conserere non auderet; Hugonemque rationibus quàm potuit vehementissimis facilè perpulit pugnam ut decerneret committere. Atque ut erat animo concitato magnanimus Princeps: *Ite Viri*, inquit, *& Leodiensi nomini labem hanc ne inurite, ut perditâ flammis Patriâ, impunè hostis vestris elabatur manibus; jam fugit, unum id restat, ut in ruinam impellatur. Audete tantùm, & fortissimo Martyre Lamberto causam suam propugnante, sine dubio certamine victoriam promitto.* Ardebant in pugnam animi: & hoc utendum impetû pars Ducum concordior censebat. Venerat in Castra Henricus Dux Arduennæ, qui & Limburgius, Brabanti Patruus, dubiæ vir fidei, quemadmodùm aperta deinde perfidia demonstravit: hic cum paucis aliis, mentis non multò melioris, in contrariam sententiam omnes traxit, quantùmvis indignantes nobilem de hoste victoriam, ultionemque injuriarum eripi manibus: asse-

rebat enim justo prælio tantas Ducis copias non posse nisi temerè à Leodiis tentari ; satis esse si finibus expulisse, & à populationibus vindicasse Patriam viderentur ; hosti fugienti aureum esse pontem struendum, quantò magis, viribus nihil imminutis, abeunti. Similia jactata conflictum distulerunt. Cæterùm desideratam esse hoc bello quorumdam fidem queruntur antiqui Scriptores : affirmat Renerus, Familiam Donmartinam, perillustrem illâ ætate, longèque numerosissimam, paucis exceptis, adversus Ecclesiam Patriamque conspirasse. Cæterùm, ut confligendi desiderio Hugo ardebat, cùm sub occasum solis ad Jecoram Leusii Castra metatus esset, comperissetque per Exploratores Brabantum consedisse in Steppis, ne Copiæ deinceps impares ipsius objicerentur viribus ; misit Montenacum & Brustemium ad Ludovicum Lossensem Comitem, ubi cum Copiis constiterat, ut primâ aurorâ suos in Campis Steppanis sisteret, quò Leodienses eâdem horâ conventuri erant. Veritus prætereà, ne celeriore fugâ se Dux subltraheret ; idque, salvo honore, ut non posset, eum Episcopus per Fœcialem ad certamen provocavit, diemque dixit crastinum. Aliâ parte Brabantum, quo fidem ei obstrictam liberaret, Ludovicus Comes monuit, ut vel Episcopo pro illatis injuriis faceret satis, vel sibi fidem remitteret ; non posse enim se, si fidem ac honorem vellet inviolatum, Episcopo Domino suo, hoc rerum deesse articulo. Tertiâ noctis vigiliâ profectioni signum Princeps dat : duoque milliaria emensus Exercitus, cum luce jam dubia, in mutuum venêre conspectum Leodienses Lossensesque ; & salutatione factâ, in unum coierunt agmen. Hugo hoc Copiarum incremento veluti de victoria certus, lacrymis testatus animi lætitiam, in Ludovici Comitis amplexus ruit. Oriebatur sol, quando Leodios ex adverso venientes conspicatus Henricus Dux, suos in aciem eduxit. Colliculus erat in latere Castrorum, quem, quòd suis æquiorem fore censeret, occupari jussit ; in hoc ordines explicavit, ut impetu validiore in subeuntem incumberent hostem ; equitatumque monuit, ut unum maximè Ludovicum peterent Lossensem Comitem. Ejus equum ut suffoderent, quinos è toto numero fortissimos elegit ; quos, relictis equis, pedites pugnam jubet capescere. Hunc, si caperent, aut certè interficerent (quanta virtutis nostri Comitis æstimatio !) cæteris illius casu consternatis atque compulsis in fugam, certam futuram victoriam ac gloriam, & mercedem à se illis ingentem ex opera feliciter navata. Ipse verò, seu adversam

pugnæ aleam veritus, seu generosi Militis, non Ducis dumtaxat, partes liberiùs ut impleret, abjecta Ducis Insignia tradidit Henrico Holdebergio, quibus tectus iniret pugnam. Præsul intereà suam item aciem instrui jubet: mandatum est id Theodorico Walcurio sive Rupefortio. Is, ut erat disciplinæ militaris peritissimus, aciem ordinat: in dextero cornu Comitem Ludovicum collocat cum suis: sinistrum Dionantensibus attribuit Fossensibusque, ac cæteris è Regionibus superioribus, quos ipse duceret; Leodienses, Hoienses & reliquos totius Ditionis in media reliquit acie cum Episcopo; postremum agmen, infixis terræ hastis, cuspides in suos convertere jubet, quibus confodiantur si qui se in fugam dent. *Quo res nostræ, Commilitones, loco sint videtis: in conspectu nostro hostis prælium parat; nos à Civitate Munimentisque omnibus procul absumus. Superest ut vel vincamus gloriosè, vel pulchram occcumbamus mortem. Si hoc, quod quidem Deus avertat, contingat; Eligite, fugientesne an à Civibus fœdè interimi malitis? an certè vitam ac Patriam ulti, hostium potiùs fortiter pugnando occumbatis ferro? Video generosis viris hoc magis placet, atque adeò meliora ominor. Ite alacres, & gloriosi Martyris Lamberti causam vestro vos ferro tueri credite: quam hostes sperant suâ multitudine victoriam, æquitati causæ vestræ Deus impertietur.*

Fermè processerat intra teli jactum exercitus, cùm tertiò Brabanti clamorem insanum edunt; majorem à Leodiis redditum alii scribunt; alii ab Hugone planè esse cohibitum. Hoc constat, Episcopum ordinibus obequitantem, acri oratione suos cohortatum fuisse, *viros se probarent; illos jam adesse, quos ardentibus antè votis poposcissent; qui ante annum tantâ sævitiâ Civitatem cepissent, captam diripuissent, & in ea totos quinque dies perpetrassent indignissima, quæque ipso solo auditu perquam horrenda; neque verò repetenda esse tam antiqua, oculos ipsi circumflecterent; nihil nisi fumantia videri villarum culmina, ipsamque adeò Tungrorum urbem. Futurum ipsis monebat longè optimum, si non suam dumtaxat & Patriæ, verùm Ecclesiæ fortissimique Martyris causam agi seriò in animum inducerent;* Denique extremâ oratione, *intrepidè feliciterque ducente Deo in hostem tenderent.* Protensâ ad exercitum dexterâ, bene precatus est. Ad has Episcopi sui preces in genua procubuerunt universi, Christiano more. Quod hostes ex adverso conspicati, insolenti ac incondito clamore: *En*, inquiunt, *supplices nobis facti vitam flagitant.* Animis & spe bonâ pleni surgunt in pedes Leodii, at-

que in adversum collem nituntur, quamquam fatigati itinere non modico antelucano, quod armis graves confecerant; cùm contrà quiete totius noctis recreati hostes, pro Castris æquiore constitissent loco, eâ insuper arte Brabantus instruxerat aciem, ut objectus sol pugnantium Leodiensium nimiâ luce confunderet. Sed eccè dum concurritur, interposita nubecula radiorum vim fregit ac temperavit, ut nullum senserint Leodii incommodum: quid enim officiat iis, quibus præsidio Cœlum fuerit? Ubi tandem signa concinere, nivei coloris Columba, nihil territa tantæ multitudinis concurrentis strepitu, tranquillo volatu universas Episcopi Copias circumvecta, ingentes Leodiensibus Lossensibusque animos addidit; quasi ab uno Cœlestium Geniorum seduci in hostem sentirent. His igitur auspiciis initur pugna. Ludovicus noster signo suis dato, tertiumque inclamatâ sui Comitatûs de Los Tesserâ, subditis equo calcaribus, in hostem invehitur primus. Sustulit & signum suum Henricus Dux, moxque Brabanti tanto ardore in hostem ascendentem è loco superiore se effuderunt, ut universam aciem gradu moverint. Sed maxima vis, ut Dux præceperat, in Ludovicum incubuit; quem mox equus initio Certaminis pede truncatus cùm excussisset, acris utrimque comissa est pugna. Brabanti felicia cœpta urgebant fortiter; pro incolumitate sui Comitis nulla Lossenses vitabant pericula. Sed eminuit charitas fortissimi juvenis Henrici Lossensis, Canonici Leodiensis, ac Trajectensis ad B. Virginis Præpositi, qui in medios hostium globos ferociter invectus, in alterum equum sustulit fratrem, equo iterùm confosso, cùm Ludovicus corruisset. Item fratri Henricus equum admovit.

Magno certabatur ardore, sanguinisque non parum fundebatur in acie media. Proximi dextro cornu steterunt Laniones Leodienses, qui ut ferociores ferè sunt ejuscemodi homines, conspicati Lossenses vicinos laborare, quo eis opem ferrent, magnâ vi in eam partem feruntur, hostiumque sinistrum cornu graviter perturbant: resistebant nihilominus fortiter Brabanti, & priùs Præpositum cùm pertinaciter urgerent, equum tertium Lossensi suffoderunt. Extremum id Ludovico pene discrimen fuit à Lanione quodam Leodiensi, qui Comitem ut vidit jacentem (hostem ratus,) vibrato jam telo confossurus erat, cùm agnitâ Ludovici voce, manum reduxit, Comitique in pedes erecto, tertium equum obtulit. Periculum omne, magnâ hostium

tium clade, videbatur evasisse, quando Henricus Dux Arduennæ, quo stragem Brabantis imminentem averteret, fugam, trepidatione simulatâ, respectans, ad Lossenses ait : *Quò ruitis, miseri, certum non videtis exitium? Comes ecce vester interemptus jacet, Episcopus in hostium est potestate.* Perculit ea vox Lossenses, statimque fugam arripuerunt. Certam eripi victoriam ingemuit Comes, & Arduennati : *Mentiris*, inquit, *perfide, nec interemptus ego sum, quem ex equo tecum loquentem audis; nec in hostium manibus est Episcopus, quem non procul hinc vides inter suos.*

Sed effusa fuga erat, paucosque, quos ex ea retraxerat, in hostem ducens, cum Collegio Lanionum, prælium novis animis instaurat, vel potiùs stragem : nam ubi semel acies fuerit inclinata, parum interest, modicâ ne manu, an justo agmine in fugam urgeas. Major pars Lossensium terga verterat, reliquorum tamen impressionem Brabanti jam antè dissipati non sustinuerunt : amissoque Henrico Holdebergio, quem Ducis Insignia hoc prælio sumpsisse meminimus, fugâ salutem quesierunt. Non infeliciùs rem gesserunt in acie media Leodienses, qui ut primum Brabantinorum impetum gradu nonnihil represso tolerarant, mox inclamato S. Lamberti nomine, tam ferociter incurrerunt in hostes, ut illi non secus atque si vim fortissimi Martyris ferre non valerent, turbatis ordinibus, pugnam desererent. Par in sinistro cornu Dionantios victores eventus effecit. Igitur universâ Ducis acie in fugam aversâ ; tum demum cædes fieri cœpit totis Campis : priorum enim injuriarum non obliti Leodienses, nemini parcebant. Equites quidem, quo plures involverent unâ clade, fugientium equos fodisse contenti, viros in terram prosternebant, peditibusque conficiendos relinquebant : ipsum Ducem Leodiensis quispiam fugientem conspicatus, persequi cœpit & assequitur, manum jam injecturus ; sed incautiùs instantem obtruncat Lambertus Hoius, periculoque Ducem eripit. Equo lapsus erat. Sunt qui captum etiam tradunt, sed forti & fideli operâ Lovaniensium ereptum. Fugientibus instabant victores, prædamque negligebant cædis avidi, quando Lossenses, post aliquod fugæ spatium, cùm neminem sentirent tergis inhærentem ; contrà verò viderent Leodios victoriâ potitos, totis Campis exultare, hostemque strenuè persequi : in gloriæ partem ut venirent, rapido cursu sociis se jungere contenderunt ; sed brevem emensi viam, ubi Certaminis locum attigerunt, cùm viderent irrito labore hostem tanto inter-

vallo præcurrentem quæri, divitem verò prædam pedibus proteri, maluerunt spoliis sine periculo & sudore partis ditari, quàm graviori fatigatione sectari gloriam: atque adeò, qui sociis pugnantibus fugerant, victoriæ fructum perceperunt.

Victos prosecutus Hugo cum Lossensi ad Capillinam usque, præcipite jam in occasum sole Copiisque recensitis, desideravit è suis septem & viginti, atque in iis nobilem virum Anselmum Florentium: quos tamen omnes creditum est à sociis obtruncatos, ex confusione Gallici idiomatis Flandricique. Tam levi dispendio stetit tam nobilis victoria, quâ ter mille Brabantos, non annumeratis externis auxiliis, periisse compertum est, capta quatuor millia. Mali præcipua moles incubuit in Lovanienses ac Liranos, qui dimicaverant in prima acie; ac Lovaniensium Patricii multi periere: fortiter enim egerunt servatique Ducis gloriam adepti sunt, quam prærogativis testatam Dux voluit Petermannorumque nomine insignivit quotquot sub vexillo S. Petri, Oppidi Patroni, militassent. Dies erat Dominicus, quo notarunt initium Missæ datum hac Psalmistæ sententia: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum*; decimustertius Octobris erat: Nostrates enim omnes unâ voce constanter asserunt, esse pugnatum pridie sancti Calixti anno 1213.

Profligatis copiis trepidè fugiebat Henricus Dux, nec usquam substitit, ubi periculum veritus. Priusquam Lovanium attingeret, prævenerat fama calamitatis, & matres-familias suorum funestâ clade consternatas exciverat in ejus occursum; & dum portâ subiret, acerbâ expostulatione conjuges liberosque restitui flagitarunt. Perstrictus publicâ hâc comploratione Henricus excanduit: *Et utramque*, inquit, *fortunam fortè; opulentam superiore anno prædam indulsit: mutata nunc cladem fert. Hæ sunt Bellorum vices.* Ubi paulisper à fuga collegisset animum, tristis omnem à tergo Regionem relictam hosti esse in prædam, Thænas iter revertit, & ulteriùs progredi non ausus. Cùm victoris iram sustineri posse desperaret, Oppidum ipse Regionemque adjacentem, quæ debuerat tueri, diripuit, per speciem prædæ hostibus subducendæ; iterùmque abiit ad tutiora.

Episcopus cum Lossensi & victore Exercitu regressus ab hoste prosequendo ad locum Certaminis, paucorum è suis qui occubuerant, corpora Leodium remisit, patriis inferenda sepulchris; hostium cadavera passim per agros defossa paucis post diebus collecti ex agro circumjecto canes terrâ eruerunt, mixtique corvis devora-

verunt, declamante vulgo rusticano, *mortuos etiam urgeri vindictâ divinâ:* sed in rabiem posteà canes acti, agros ita infestarunt, ut nemo diu, nisi magno comitatu iter aggrederetur Cæterùm, fuit è Familia Lossensis Comitis quidam, qui paucis post Certamen horis, sub primas tenebras, eodem loco videret veluti dæmonum militarem decursionem. *Fuit torneamentum; neque immundis spiritibus tantam existimo fuisse exultationem*, inquit Cæsarius Lib. 12. cap. 16. *si non magnam illic cœpissent prædam.* Porro campus ipse cæsorum sanguine, quasi uredine nescio quâ fœdatus, & æternâ damnatus sterilitate, sine cultura relinquitur: cùm omnis circumquaque ager pinguissimus præcipuâ fecunditate visatur.

Eam noctem egêre victores in campis quibus vicerant, ut placet Transmosano; malunt alii quievisse Hannuti: nam Oppidani oppugnationi sustinendæ impares, in Arcem confugerant, maneque, subductâ priùs prædâ, miles Oppidum incendit; Munitionemque fortiter aggressus, brevi ad redditionem compulit. Episcopus fidem accepisse contentus, Hannutensibus locum tenere concessit, postero die Lovanium tentaturus, ut belli caput, quo succiso, cætera facilè corruerent. Trepidantibus instandum esse censebat, victoriâque utendum; contrà Lossensis sentiebat docebatque, malè tutum hostem relinqui à tergo; intactam Leviam sibi timori esse, siquis adversus casus Copias retro ageret: aut ètiam, si nullum istiusmodi periculum sit, totâ Hasbaniâ agroque Lossensi malum inde posse impunè grassari, cùm totæ vires in Brabantiam essent aversæ. Probavit Ludovici consilium Episcopus, & Leviam duxit, omniaqueflammis depopulatus, hìc se Leodiis adjunxerunt, Oppido suo tandem egressi Trudonenses, Leviâque mox expugnatâ, tantâ cupiditate, vel Incolarum odio, prædæ inhiarunt, ut ipsam omnem materiam, tam ædibus quàm munitionibus, direptam, in usus suos asportaverint. Oppido denique flammis in cineres redacto, cùm in dies, ut ferè fit, rebus secundis auxilia confluerent undique & Copiæ tertiò tantùm fermè crevissent, Lovanium rursus petere placuit; sed ecce Hoienses magnâ indignatione referunt suos, dum in Castra commeatum deferunt, spoliatos ab Hannutentibus, aut cæsos. Indignam, & nullo modo dissimulandam in victis temeritatem censuerunt omnes. Eò movit Antistes, Castellumque cœpit oppugnare. Justam victoris

iram veriti qui in præsidio erant, quandoquidem nullam veniam sperarent, animis extremâ desperatione efferatis, aliquot dies restiterunt; donec tandem emollierunt Præsulis animum plurimorum preces eviceruntque ut iis vitam daret. Ejecto præsidio, dissipavit Aggerem, qui Oppidum muniebat, Castellum solo æquavit. Bello intereà Francico liberatus non infeliciter Ferrandus Comes Flandriæ, Leodiensibus fœderatus, tam suâ, quàm Hugonis causâ, cum magnis viribus aggreditur Brabantiam decimo-tertio Calendas Novembris. *Eum sequebantur hoc Bello Comites, Guilielmus Saleberiensis, Reginardus Bononiensis, Guilielmus Hollandus, quorum auxiliis*, inquit Mejerus, *Henricum Bruxellas compulsum circumdedit. Distractus ille ancipiti malo, quorum alteri vix par fuisset, etiam Copiis nullâ clade attritis, pacem petiit; cùm nullam bello salutem inveniret. Venientem in Castra supplicem sarcasmis patriis exceperunt Flandri, dictitantes, vulpem habitu sancto Monachum esse mentitum. Consilio tamen Reginardi Bononiensis, cui Ferdinandus tribuebat plurimùm, facta pax his legibus.*

Philippo Francorum Regi societatem amicitiamque Brabantus remittito; Ecclesiæ Leodiensi pro injuriis facito satis; donec fecerit, Flandro binos filios Henricum & Godefridum Obsides dato.

In eandem pacem ut consentiret Episcopus, Dux admodùm expetebat. Id in se receperunt Flander & Bononiensis: profectique ad Hugonem, Lovanium agmine composito petenti, occurrerunt ad Hugardiam. Pronus fortunæ cursus animos addebat ad bellum persequendum, spe non parvâ; sed pax Ferrando probabatur, vimque auri non modicam Brabantus promittebat, injuriarumque compensationem. Nihil ampliùs urgeri poterat, si modò pacta servarentur: concessis igitur induciis usque ad IV. Nonas Februarias Ferrandus concessit in Flandriam, Obsidibus Gandavum abductis. Hugo Capias abduxit à Brabantia 10. Cal. Novembris.

Finis aderat induciarum, die purificatæ Virgini sacro, & Henricus, de Pacis legibus parum sollicitus, nihil movebat: quam ob causam Episcopus & Ludovicus resumunt arma, ipsum ad æquitatis inducturi normam; sed Ferrandus sine ferro: cùm filios haberet Obsides, ad præmissa præstanda compulit. Pro illatis Ecclesiæ damnis librarum quindena millia; centenas item libras, in opus Basilicæ sancti Lamberti perficiendum, Episcopo pependit. Tum pridie Calendas Martias, comitantibus Ferrando &

Reginardo Bononiensi, Leodium venit Brabantus. Intra portas Ducem suum deducere non est permissum. Ille Templum ingressus, spectante Nobilitatis Populique multitudine, quam Templi vastitas vix caperet, Præsulem Canonicosque supplex è genibus offensarum condonationem rogavit impetravitque : nam Præsul anathemate, quo fuerat ab eodem constrictus cum cæteris participibus, solvit sacrorumque usum subditis omnibus restituit. Henricus Imaginem Christi è Cruce pendentis ipsius causâ (ut istius ævi erat consuetudo) in terra jacentem, & spinis opertam, poplitibus inflexis, veneratus, manu ipse suâ è solo levavit, eodemque ritu cæteras sustulit Sanctorum Reliquias. Tum denique Superis reconciliatum, ad osculum, pacis symbolum, admisit Episcopus, ac deinde Ludovicus Lossensis. Ita visus est injurias suas ultus sanctissimus Martyr Lambertus.

NOTATIONES.

ID temporis Comitis Lossensis Arx Calmontia, de qua sæpiùs actum, adeò munita contraque hostiles assultus valida, ut cùm Cives Tungrenses desperarent se Urbem posse tueri contra adventantem Henrici Ducis Exercitum, plerique in illam se receperint per aversam portam, ibique salutem invenerint, *Ludovicus tertium inclamata Comitatûs sui de Los Tessera.* Hunc morem Antiqui quoque in Præliis usurparunt: *Bello Africano Cæsar*, inquit Hutius, *signo felicitatis dato, equo admisso, in hostem ire contendit; uti Bruto, libertas. Et plerumque tale aliquid breve, & omnis boni vocalia signa dicuntur*, ait Vigetius lib. 3. cap. 5. *quæ voce humanâ pronuntiantur, sicut in Vigiliis vel in Prælio pro signo dicitur, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris, & alia quæcumque voluerit dare ille qui in Exercitu habet maximam potestatem. Veteres magnis nomina ferè Deorum dabant, quos aut Patria, aut ipsi Duces colerent.*

Imitati sunt Galli posteriore ætate, & Familiæ illustres ejuscemodi signum vocale in Præliis & Hastiludiis usurpabant, maximè suæ nomen Ditionis, quod vocamus *Cry de Guerre*, quod primùm Principes ingeminabant, quo & sibi animum adderent, hostique incuterent metum.

Ludovicus Ottoni IV. Imperatori uti excommunicato obsequium negat.

INnocentius III. Pontifex Maximus Ottonem Imperatorem sacris interdixerat anno 1210, quòd Ditiones Ecclesiæ Romanæ invaderet; Germaniæque Principes Fredericum Henrici VI. filium, Siciliæ Regem, Augustum salutarunt. Ille nihilominus armis Imperium retinere conabatur: & quia Philippus Augustus Francorum Rex Frederici sequebatur partes, in illum Otto movit, quem si superaret, sperabat eâdem operâ æmuli sui arma comprimere: Trajectumque ad Mosam veniens, omnes inferioris Germaniæ Principes ad se quà vi, quà promissis pertrahere studebat; sed nullis rationibus illiciisque induci potuit Gerhardus Gelriæ Comes. Quo offensus Imperator, ne ab illo exemplum præberent alii neutras partes adhuc secuti, terrorem inferre statuit: ipsius Ditionem ferro flammâque fœdavit. Brabantus & Flander pro Ottone contra Francum stabant: cùmque datâ fide Leodio Hugonem advocasset Episcopum, ad Collegium intereà dum accersitur, venit ad Ottonem Ludovicus Comes; urgebaturque aciter, ut Saxoni diris devoto fidem daret, bellique iniret societatem. Ille contrà cùm objiceret, nihil se posse aut debere sine Leodiensis Antistitis assensu, cui clientelam professus esset; offensus Otto: *Nimirum*, ait, *nisi Antistiti placuerit, nihil audebit Lossensis?* Et Guilhelmus Longa-spata, Regis Angliæ frater ex pellice, non paulò etiam concitatior: *Prô rei indignitatem*, inquit, *ergone conatibus Augusti Sacrificulus obsistet?* Cui subjecit Ferrandus Flander: *At illi, quem Sacrificulum appellas, paucos pares Episcopos proponet vestra Anglia; in Aciem cùm voluerit, educet facilè è Nobilitate sua viros millenos: nam & ipse ego, pluresque alii, quos hic præsentes intueor, ejus beneficiarii sumus.* Tum Guilhelmus: *Eum Deus malè perdat quicumque tantas Sacerdoti vires dedit.*

Dum illos inter ita verbis contenditur, venit ipse Hugo Episcopus, splendido Leodinæ Nobilitatis agmine stipatus, Palatinorumque in se convertit oculos. Venientem excepit Otto pro dignitate, & quem in partes pertrahere desperabat, ne saltem redderet alieniorem, humanitate studuit demulcere: nec occasionem Hugo dimisit.

Commendavit Ecclesiam suam, cui quidquid tribueret Otto, sancto Martyri Lamberto tributum esse non dubitaret, sub cu-

jus fide tutelaque Gens tota conquiesceret. Annuit liberaliter Otto, ac promisit, universam ejus Ditionem toto biennio ab omni injuria servaturum illæsam. Lætus hoc promisso, ad suos eodem die Episcopus rediit; nec diù cunctatus Ludovicus, specie deducendi Antistitem, domum rediit. Otto transiit in Brabantiam. Hîc Mariam Henrici Ducis filiam jam ante sedecim annos sibi desponsam, cùm Cæsar Aquisgrani salutaretur, duxit uxorem mense Maio anno 1214. Istâ affinitate magis permovendus ad perniciem Ecclesiæ Leodiensis, ut tum quidem Leodiis persuasum erat; adduntque nostrates Scriptores, Saxonem 4. Idus Julias, vocatis Nivellam amicis Principibus, cùm bellum in Franciæ Regem decrevisset, statuisse, ubi id confectum esset, totâ omnium virium mole in Provinciam Leodiensem, adeòque unà in Comitatum Lossensem incumbere, eamque subjectam ita partiri, ut Flander Hannoniam inposterum, nullo Leodiensium beneficio, teneret; Comiti Bononiensi Dionantum daretur; Hoium cum Comitatu Mohano cederet Brabanto; ipse Otto Leodii Sedem Imperii statueret, paucisque Sacerdotibus cum tenui stipendio relictis, opes Ecclesiæ fisco adscriberet, atque ita Lotharingiam, sive inferiorem Germaniam tutaretur adversus æmulum suum Fredericum. At statuerunt de pelle ursi, sed necdum capti. Interim Hugo partibus non deerat suis: imprimisque Lossensem, ne Saxoni jungeretur, retinuit; item & Waleramum Ducem Limburgium, datis ei ex assensione Capituli prædiis Aspra & Simprevelto. Horum exemplo simul & metu, plerique alii Saxonem haud sunt secuti, ne eorum armis violandos præponerent agros suos, justo præsidio destitutos: aliàs enim ad Oceanum usque ab ipso Rheno omnes secuti fuissent Ottonem, nisi Hugonis obstitisset auctoritas. Profecti verò fœderati Principes cum Ottone in Flandriam sexto Calendas Augusti, non procul Tornaco, ad Pontem Bovinum, ingenti celeberrimoque prælio cum Philippo Rege Franciæ conflixerunt. Fusi ac fugati pœnas dederunt icti fœderis cum homine alieno ab Ecclesia; simul cum agminibus dissipata sunt illorum adversus Leodios consilia, cæteris Principibus, signanter Flandro & Bononiensi, ferè captis. Henricus in Brabantiam, Coloniam Otto fugâ se recepit; inde profectus in Saxoniam, ubi quarto post anno vitam inglorius finivit.

Ludovicus cedit Brabanto Trajectum, ejusque filiam Aleidem fratri suo Arnulfo obtinet conjugem.

OTtonianis hac ingenti clade consternatis, novus supervenit terror: Frederico æmulo paucis post diebus cum validis Copiis Mosellam transmittente, cui statim, evirato Ottone, sese jungere compulsi sunt, 9. Calendas Septembris cum Exercitu Trajectum venit; postridie in Brabantiam tendens, propter Tungrim, Hamaliæ Castra metatus est. Henricum duplici jam clade fractum exterruit hæc Cæsaris propinquitas: cui nisi se subjiceret, extremam veritus perniciem; supplex ad Fredericum venit, oblatoque Obside Filio natu-majore, præteritorum obtinuit oblivionem his legibus. *Ottoni fidem Brabantus ejurato, Frederico reddito; Episcopo Leodiensi reconciliator; donec filium tradiderit Obsidem, ipse parens in Cæsaris potestate maneto.* Rebus ex animi voto fluentibus, Trajectum rediit Fredericus. Ducem Arduennæ secum item abducens, qui Cæsaris clementiam pariter implorarat: atque ibi tum Brabantum transegisse cum Ludovico persuasissimum habeo. Ludovicus omni destitutus spe prolium, duos dumtaxat habebat ex fratribus superstites, Henricum Ecclesiastici Ordinis, & Arnulfum Zuybræ Dominum, juvenem egregiis ornatum dotibus, annos circiter natum quinque & viginti. Visaque in illo unico spes omnis posteritatis & possessionis Domûs Lossensis inclinata recumbere: & quia Cæsar & Episcopus pro illo stabant, quòd utrique fidelissimam navasset operam, Brabantus haud gravatè audivit de filiæ suæ nuptiis, quæ tandem conclusæ hac lege, ut Ludovicus illi Trajectum cum appendicibus cederet. Opinationis hujus meæ testem habeto Codicillum. Hæc est compositio inter Ducem & Comitem de Los. *Comes renunciabit omni querelæ quam versus Trajectenses habuit cum omnibus villis & appendiciis quæ spectant ad Trajectum; videlicet Volne, Montenacke, Wilre, Lineulne, & siquæ sunt aliæ villæ querelæ quam habet versus Rutte, Comes renunciabit, exceptâ Advocatiâ; pactum quod Dux habet in S. Trudone reddet Episcopo Metensi: & cùm Comes bene fuerit cum Duce, Dux juvabit Comitem, quod Episcopus ei concedat, si juvare potest, cum voluntate Episcopi Metensis; sed Episcopus habebit bona sua & pactum suum liberè. Præter hoc habebit Comes à Duce in Feudum Advocatiam sancti Trudonis, & omnia quæ*

Comes

Comes cum filia Ducis acceperat in Feudum, à Duce tenebit, & liguis homo suus erit: contra omnes homines, excepto Episcopo Leodiensi; & etiam contra Episcopum juvabit Comes Ducem, si Episcopus guerram movere voluerit pro sua voluntate injustè. Item Dux præfiget Comiti de Los diem ad quem Comes indubitanter veniet, & Dux de Limbourg, si voluerit: sed quidquid ei sententiatum fuerit vel factum, prædicta bona tenebit Comes à Duce, & propter hoc de Alodio suo, quod ducentas valet marcas annuatim, Comes assignabit Duci, & à Duce tenebit &c.

Quod Cæsar tum à Comite Lossensi, ut superiùs adnotavimus, Trajectum redemerit, Brabantoque in Feudum contulerit, liquet ex hoc Diplomate:

Fredericus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Universis hanc paginam inspecturis notum fieri volumus, quòd Henrico Duci Lotharingiæ, fideli Principi nostro, & Henrico ejus filio, pro obsequiis nobis & Imperio impensis, consensu Principum nostrorum, & in præsentia eorum, contulimus in Feudum Trajectum cum villis & rebus omnibus ad Trajectum attinentibus, & cum aliis Feudis suis, ut hoc amodò ab Imperio teneant purè & sincerè. Et ut hæc nostra concessio rite facta, inconvulsa & irrefragabiliter conservetur, hanc chartam eis conscribi & sigilli nostri appositione fecimus roborari. Interfuerunt huic facto fideles Principes nostri Theodoricus Trevirensis Archiepiscopus, Conrardus Metensis & Spiriensis Episcopus, & Imperialis Aulæ Cancellarius, Leopoldus Dux Austriæ, Otto Dux Moraviæ, Bernardus Dux Carinthiæ, Albertus Comes de Everstein; Ministeriales nostri, Wernerus de Bolandia Dapifer noster, Waltherus Pincerna, Henricus de Dum. Actum anno Incarnationis MCCXIV. Datum apud Worsele 4. Nonas Septembris.

Et quàmvis hoc præcisè anno non sint celebratæ nuptiæ; istud tamen nimis quàm (tam ex Tabulis ad fundationem Herkenrodanam productis, quàm mox exhibendis) clarè liquet, Aleydem Henrici Brabantiæ Ducis filiam nupsisse, non Ludovico, sed Arnulfo Lossensi, hujusque fuisse conjugem, Trajectenses sic habent, quando demum sub Imperio tamen facti sunt Juris Brabantici, quod anteà Episcopus cum Comite Lossensi commune habebat, retinuitque etiam cum Brabanto.



Vovet ire in Siriam, Cruceque signatur.

SUis adhuc fautoribus stabat Otto, nec Fredericum plerique habebant Regem, quòd Moguntiæ dumtaxat coronatus, Germaniæ Regiam necdum insedisset: hortante igitur Innocentio Romano Pontifice, more Majorum, Regni Coronam suscepit Aquisgrani octavo Calendas Augusti anno 1215. Fortè tum authoritate pontificiâ S. Crucis Expeditiones in Palestinam totâ parabantur Europâ; Joannes Scolasticus Xantensis, postulatus deinde Abbas S. Trudonis, in eo Principum Conventu, qui solet esse Cæsarum Inaugurationibus frequentissimus, tam disertè sacrum illud Bellum deprædicavit, extulitque gratias ingentes quas militaturis Pontifex indulgeret, ut novo Cæsare Crucem amplectente, mox ejus exemplum sequerentur Sifridus Archiepiscopus Moguntius; Episcopi, Leodiensis, Herbipolensis, Bambergensis, Pontaniensis, Argentinensis, Eichstatensis; Duces, Brabantiæ, Moraviæ, Limburgi & Ancæi, Comes Palatinus Tubingensis, Marchio Badensis; Comites, Lossensis, Juliacensis, Seinensis, Montensis, Spanheimensis, Nassovius, Fuldensis, Hirsutus Silvestris, aliique complures. Dignum Principe Christiano fuit propositum; sed in eo vix ullus constantiam tenuit. Trithemius unum ex his Episcopis Bambergensem, & fratrem Ducem Moraviæ profectos esse ait anno decimo-septimo cùm Andrea Rege Hungariæ. Ludovicus Lossensis, cùm ad iter anno proximo se accingeret, subsidiaque undequaque tantæ Expeditioni necessaria conquireret, lethali correptus morbo, ad alteram eamque felicissimam emigrat vitam eodem anno 1217. Nicolaus Abbas S. Trudonis Ludovicum Comitem de Los vocat suum Advocatum, iisque Tabulis quibus certum Alodium cum alio Arnoldi de Diest & Clementiæ uxoris ejus permutat. *In cujus confirmationem*, inquit, *Ludovicus Comes de Los Advocatus noster sigillum suum apposuit.*

Quantâ observantiâ beatam Christinam Mirabilem coluerit.

Fisen Flor. Eccl. Leod. cap. 7. fol. 347.

COmes Loonensis, inquit Cantipratanus in Vita ejus, multâ Nobilitate illustris, ubi ejus sanctitatem famâ vulgante cognovit, ex animo cœpit illam diligere, ejusque colloquiis & consiliis sinceriter se accommodare; ubicumque eam vidisset, assurgebat

ei, matremque appellabat. Siquid autem Comes ille vel contra jus fasque, vel adversum Christi Ecclesiam, aut ejus Ministros designasset, ejus haud secus atque mater filii vicem dolebat, eumque in suo Castro accedens, maternâ fiduciâ objurgabat, impetrabatque ab illo quidquid ex justitiæ præscripto eum satisfactionis loco præstare oporteret. Die quâdam illo in Ecclesiæ atrio procumbente, cùm esset multo stipatus Milite, Christina superveniens clam ad ejus caput se inclinavit; illo verò & corpus & oculos sustollente, miræ oris gratiâ dixit: *O quàm speciosus es, Domine, ut te hæc Sancta deprædicet: ego verò quem laudet novi; non me, sed cœlestem & immortalem Dominum laudat, à quo omnis pulchritudo proficiscitur, quique est omnium longè pulcherrimus. Verum*, aiebat Christina, *dixisti; tu igitur illum quare non plus diligis?* multaque ejusmodi illos inter cesserunt pia colloquia & admonitiones.

& in Histor. Leod. l. 11. fol. 263. vers. *non.*

Morti vicinus eam ad se accersiri fecit, & quid illa defuncto præstiterit.

CUm autem idem Comes ageret in extremis, Christinam ad se accivit, eamque obnoxiè rogavit sibi ultimo vitæ adesse articulo, dum finem vivendi faciat. Annuente illâ, pius Comes omnes qui in cubiculo aderant abesse jussit, solam apud se Christinam retinens; postquam autem omnes exierant cubiculo, virtute quâ potuit erexit se, & simpliciter ad pedes Christinæ subabjiciens toto corpore, omnia peccata sua, quæ ab anno ætatis undecimo usque in illum diem perpetrarat, ingenti perfusus lacrymarum imbre, recitavit magnâque animi pœnitudine confessus est, non quòd ab illa absolutionis speraret beneficium, quæ illam non esset capax impendere, sed ut hac sui humiliatione eam magis ad pro se orandum inclinaret. Deinde jussit revocari ad se familiares, & ex Christinæ consilio rebus suis dispositis, vitam cum morte commutavit. Vidit autem Christina animam ejus in Purgatorii deduci locum, acerrimis cruciendam pœnis; at pia femina, ejus sortem non mediocriter miserans, à Domino obtinuit, ut partem pœnarum ab illo exsolvendarum in se derivare posset proque illo facere satis. Apparenti autem rogantique subsidium, Christina dixit: *Age, abscede hinc, & ex præscripto divino sententiæ pœnas luito; ego verò à meo pœnas exactura corpore, mediam purgatorii ignis tui partem in me recipio.*

Fisen Flor. Eccl. Leod. fol. 348. cap. 7.

Videre tum licebat Christinam nocturnis horis, nec exiguo tempore, modò flammarum ardoribus, summo modò frigoris algore cruciari, prout Comitis animam id genus tormenta vicissim excipiebant : loca etiam quibus Comes peccare consueverat, lacrymis nullam consolationem admittentibus irrigabat; & ubi ille lætitiæ, hæc luctui indulgebat : atque ita, adjutante Dei famulâ, piacularibus exolutus flammis, ad æternum beatissimumque Civium evolavit contubernium Cœlestium.

NOTATIONES EX CANTIPRATANO.

CHristina excessit hâc caducâ vitâ ad felicissimam æternitatem anno Christi 1224, novennioque ante obitûs sui diem secedebat sæpiùs Trudinopoli, ad Castri Lossensis vicinia, quibus degebat Ivera Reclusa, eximiâ pietate conspicua, ex qua Cantipratanus multa inaudiit à se Posteritati commendata. Nec ullâ ratione dubitem, hanc quoque Ludovico precibus adfuisse Comiti agonemque ipsius singulari Deo commendasse pietate, ut indigenæ ferè pro sibi vicinissimis, & maximè Superioribus orare solent.

Fisen lib. 11. Hist. Leod. cap. 7.

Hanc Iveram solita quoque erat invisere sancta Ludgardis, Christinæ sanctâ familiaritate conjunctissima, cùm adhuc in S. Catharinæ Monasterio juxta muros Oppidi Trudonensis degeret. Nata fuit eodem quo Christina tempore. Primùm ad vitam rediit anno 1182, vixitque ad S. Catharinæ, priusquam divino monitu migraret Aquiriam, Ordinis Cisterciensis Parthenonem, in Brabantia, ad annum ætatis suæ quartum & vigesimum : unde facilis subductu est calculus circa quod tempus contigerit quod Cantipratanus lib. 1. Vitæ ipsius scribit : *Est Hasbaniæ Oppidum quod Lossum vocant; ad ejus Ecclesiam quædam Inclusa Domino serviebat, pro vitæ merito Lutgardi in primis familiaris : apud eam mansit quandoque ad dies quindecim. Accidit autem ut in orationis contemplatione tanta afficeretur dulcedine, ut accersita Inclusa, manus suæ digitos illi ostenderet eosque exprimens diceret : En, Soror mea, ut mecum agit Omnipotens, ex interiori abundantia etiam digiti mei exteriùs ceu oleo distillant; atque hæc effecta quasi ebria & verè ebria, cum gustu & tripudio mirabili per Inclusæ ædes ferebatur. Felicissimum verò tum Loscastrum, quod præsenti sanctimoniâ trium sanctissimarum Virginum fruebatur.* Nes-

cio tamen an Loscastri ulla sanctæ Iveræ extet memoria, aut ullæ supersint Reliquiæ: adeò tempus edax rerum etiam præclarissimarum.

De reliquis Ludovici fratribus.

LUdovicus è hujus mortalitatis caligine ad lucem vitæ æternæ evolaverat die 29. mensis Julii, magno totius Patriæ luctu. Pro Comitali dignitate sepultus Herkenrodæ, ubi corporis ejus exuviæ expectant immutationem universæ carnis. Jure successio debebatur Henrico seniori, qui in eam fortè spem, relicto Ordine Ecclesiastico, transierat ad nuptias cum Lotharii Comitis Hostadiensis vidua; sed aliud visum fuit Superis: neque enim nisi triduo fratri supervixit, obiitque die alterâ mensis Augusti, spe delusus, inani brevique potitus nuptiali gaudio. Lotharius Comes de Hostaden siquidem cum Machtilde de Vianden sua conjuge adhuc in superis agebat anno 1216, quo ipse, favente sancto Engelberto Coloniensi Archiepiscopo, Vallem-Dei, Abbatiam Monachorum Ordinis Cisterciensis, fundat tertio à Limburgo lapide, qui eò immigrarunt, relicto Monasterio Hocht, quod deinde tributum Virginibus.

Et quàm exiguum inter annos 1216. & 1218. non totos spatium, celebratæ tamen Henricum inter, qui titulum præferebat Comitis Durassii, & Machtildem de Vianden Lotharii Comitis de Hostade & Dalem viduam nuptiæ, atque ex illa filiam sustulit, Himanam nomine. B. Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, ad diem 29. Januarii, in hunc modum scribit: *Himana Comitibus Lossensi & Hostadiensi nata, fratrem habuit* uterinum *Conrardum Coloniæ Archiepiscopum, optimè de Ecclesia sua meritum, ut cui, præter alia præclarè gesta, transcripsit omnem quam ipse adierat illustrissimæ* paternæ *Familiæ hereditatem. Ipsa Salsiniæ* (Monasterium est apud Sabim fluvium, proximè Namurcum, Vallis D. Virginis, & sancti Georgii nuncupatum,) *Cisterciensi Disciplinæ se submisit, illudque suæ virtutis edidit specimen, ut sacræ illi Familiæ jussa sit præesse. Sanctam Julianam*, promotricem Festi Venerabilis Sacramenti, *fœdâ injuriâ suo Cœnobio pulsam, visit Namurci primùm, ac religiosè recreavit. Cùm verò necessariarum rerum inopiâ premi videret, indignitate rei commota, Leodium scripsit, effecitque ut quæ omnia sua Corneliana*

Domui addixerat, quemadmodùm sanè æquitati consentaneum erat, quòd viveret, aliquid annui vectigalis acciperet. Imò Salsiniam magna sæpe humanitate invitavit, venientemque officiosè & charitate sincera non secus accepit quàm si beneficium acciperet, non verò concederet: nihil enim tantæ virtutis quàm (ut animo perspicax erat) in illa suspiciebat, non debitum existimabat. At sub annum 1256. orta Namurcensium gravi seditione adversus Martham Augustam Constantinopolitanam & Namurci Comitem (cui in paucis erat chara Himana, eoque nomine Populi Namurcensis odio graviter petebatur) Salsiniâ cum suis omnibus cedere compulsa est; ac cæteras quidem Sodales, pro calamitate temporum, quàm maximè potuit providè dimisit in diversa loca; sed Julianam, cujus sanctimoniam in primis admirabatur, & tenerè diligebat, à se non passa discedere. Fossas perduxit, eique adeò constanter adhæsit, ut ibidem & morienti deesse noluerit, & sacrum ejus Corpus Villarium usque deduxerit.

Dum trahitur Namurcense bellum & diutiùs Himana exulat, contigit vitâ discedere Antistitam Flinensem (celeberrimus Parthenon Ordinis quoque Cisterciensis, *haud procul Duaco:) atque ut Marthæ Augustæ commendatione chara evaserat Margaretæ Balduini I. Imperatoris Constantinopolitani filiæ Flandriæque Comiti, Monasterium illud regere jussa est anno 1261. Lætus hoc nuncio frater illius Archiepiscopus Coloniensis, haud distulit Margaretæ Principis desiderio satisfacere, quæ jam pridem postulaverat nonnulla è sanctarum Virginum Coloniensium corporibus.*

Himana Coloniam profecta cum sorore sua Aleida, ad S. Walburgis Antistita, Terram ad sanctæ Ursulæ altè effodi jussit, repertaque sunt ingenti numero sacra corpora. Ita futurum prædixerat olim sancta Juliana. Cum nobili illo Thesauro Flinas repetens ex itinere, corpus unum & capita quatuordecim sanctarum Virginum Salsiniæ deposuit, ad aliquam sui memoriam. Redeuntem in Flandriam excepit Margareta Princeps, omnesque Provinciæ Ordines, veneratione singulari, multique Ecclesiarum & Monasteriorum Præsules certatim aliquam tantæ Gazæ partem postularunt. Maluisset Himana multiplex hoc decus suo reservari Monasterio, quàm in varia distrahi loca: quia tamen Margareta satius fore judicavit, ut nonnullis earum Reliquiarum variæ ornarentur Ædes sacræ, multis eas communicari desideravit. Ergo Tornacensi D. Martini Cœnobio duarum Virginum sanctarum data corpora, quibus Honoratæ & Florinæ nomina erant. Unum Mareolenses Canonici Regulares, Atrebatum juxta considentes, accepere,

Quædam capita & ossa Ædi Canonicorum Duacensium D. Petri concessa; aliis alia Templis donata. Tantam nihilominus copiam Margareta & Himana Flinis retinuerunt, ut præter aliqua corpora ossaque varia, etiam hodie octoginta circiter illic capita visantur.

Sacrum hunc Thesaurum omni auro pretiosiorem novo Templo ornandum Antistita censuit, & aggressa est unà cum Margareta Principe; sed cùm magnæ molis id esset, & paucorum annorum ipsius fuerit Magistratus, alteri absolvendum reliquit. Abiit ipsa ex hac mortali vita ad religiosorum suorum studiorum immortale præmium.

Arnulfus hujus nominis VI. Comes Lossensis.

LUdovico & Henrico vitâ functis, Comitatum pleno planoque jure adiit; eodemque quo illi in fata concesserunt anno, ipse, de consensu uxoris suæ Aleidis Comitissæ, concedit Sanctimonialibus Herkenrodanis jus Patronatûs Ecclesiæ de Hasselt, cum cæteris Ecclesiis sibi attinentibus: item piscationem in usum Infirmorum, in Tamera fluvio, uti videre licet superiùs ad fundationem Herkenrodanam: unde optimè ad rem nostram scripsit Vir Senatorii Ordinis in Præfatione ad Prælium Voringianum, heroico carmine, Bruxellæ anno 1641 reeditum, suppresso nomine suo, *Godefridus tertius Dux Brabantiæ duxit primò Margaretam filiam Henrici Ducis Limburgensis, secundò Imainam filiam Ludovici Comitis de Los. Habuit filiam in Monasterio de Forst Aleidem, item nuptam Arnoldo Comiti de Los, cum marito suo sepultam in Monasterio de Herkenrode, quod fundarunt.* Sed in eo fallitur, quòd putet hanc Aleidem Godefridi fuisse filiam; cùm fuerit Henrici primi, quam Arnoldus obtinuit conjugem: nec illi Herkenrodam condidere, sed duntaxat dotavere. Ratam enim habuerunt donationem Ludovici Monasterio Codicillis ultimæ voluntatis factam, addideruntque alia quamplura, uti ostensum est. Neque Aleidis hæc Herkenrodæ sepulta; sed Arnulfo Comite mortuo, transivit ad alterius nuptias.

Virgines Benedictinæ arcto insalubrique Monasterio juxta muros Trudonenses habitabant. Illarum Gotbertus de Orbays vir illustris miserens, donat Milenium, ut illi loco aprico salubrique ædificent. Erat is frater Aleidis, quæ Guillelmo Dynastæ Perewisio, Godefridi tertii Brabantiæ Ducis & Imainæ Lossensis nupserat filio. Hanc donationem Arnulfus Comes & Aleidis

uxor ejus ratam habent. *In nomine Domini. Amen. Arnoldus Comes de Los. Præsentibus & futuris in perpetum; cùm tempus succedens tempori rerum abducat memoriam, ea quæ coram nobis rationabiliter sunt acta, ut perpetuo robore subsistant, scripto necessarium duximus confirmanda: ea propter notum facimus præsentibus & futuris, quòd vir Nobilis Gotbertus de Orbays Curtim Mielem cum omni integritate Justitiæ in scabinis, in mansionariis, in molendino, in agris, in telonio, in pratis, in sylvis, cum omnino attinentiis omnibus, & quidquid in eandem curiam juris attinere dignoscitur, quod suum erat Feudum, nostrum verò Alodium, ad utilitatem Ecclesiæ S. Catharinæ, in præsentia hominum nostrorum, de assensu omnium heredum suorum, in manus nostras liberè resignavit Sororum usibus, in prænominata Ecclesia regulariter conversantium, profutura perpetuò. Nos verò ipsum locum constructioni Monasterii earundem aptum prospicientes, facilem ac pium adhibuimus assensum, & locum cum omnibus suprà nominatis bonis Ecclesiæ B. Catharinæ legitimè & absolutè contulimus, pro nostra fratrumque nostrorum dignæ memoriæ Ludovici & Henrici Comitum salute, ipsam Ecclesiam, & omnia quæ impræsentiarum possidet bona, vel Deo donante in futurum possidebit, sub nostra tutela statuentes. Ut autem hæc nostra prædictique viri nobilis Gotberti donatio, quæ præfatis justo accessit titulo emptionis, sed & simul eleëmosynæ firma permaneat; nostro & uxoris nostræ Dominæ Aleydis Comitissæ, quæ præsens factum nostrum approbavit, sigillo confirmavimus; districtè inhibentes sub pœna nostræ offensionis, ne quis temerè sepè nominatam Ecclesiam super præmissis & aliis suis rebus & possessionibus suis molestare præsumat. Hujus rei testes sunt Dominus Christianus, sancti Trudonis & ejusdem Ecclesiæ Abbas, Nobiles nostri Godefridus Leewensis, & filius suus Gisbertus, Wilhelmus de Pietershem, Conrardus de Hubertingh, Robertus de Corswerem, Robertus de Berle, Lambertus Castellanus Brustemiensis, Theodoricus Castellanus Loenensis, Wilhelmus Castellanus de Montenacken, Godefridus Castellanus de Colmont; Milites & homines nostri, Philippus, Wilhelmus, & Theodoricus fratres de Herck, Clarebaldus de Alta-Ripa, Henricus Miles de Hasmale, & Robertus de Mechlen, Resnerus de Bolnick noster & Gotberti homo, & quamplures alii. Actum anno gratiæ MCC. nono decimo, Leodii præsidente Hugone Ven. Episcopo.*

Eo ibidem ædificato Monasterio, anno demum 1231. eò Sanctimoniales migrarunt, asportato secum sacro B. Christinæ corpore, magnâ deducentis Cleri Populique Trudonensis religione, non fine

fine prodigio expirantis è corpore suavissimi odoris: atque ita, quæ in Lossensi nata Alodio, Brustemiensi, in Mileniensi quiescit, Lossiamque suis sacris exornat Exuviis.

Ordo Militum beatæ Mariæ Jerosolymitanæ, vulgò Teutonicorum, exortus à triennio, confirmatur à Cœlestino Papa anno 1191: atque ex eo tempore aliquot Monasteria & Commendatarias, ut vocant, obtinuit. Anno 1216. Templum B. Virginis in Juncis, *Ten alde Biesen*, Tungrim inter & Trajectum, Theodoricus insigni sanctitatis opinione celebratus, quem Cæsarius Livoniæ vocat Episcopum, Petrapontii Leodiensis Antistitis Roma necdum reversi Suffraganeus consecrat, quod quinquennio post, anno 1221, datum illis Equitibus à Mechtilde Antistita Bilisiensi, & Arnulfo Comite: cùm enim Ædicula illa Mariana crebris celebraretur miraculis, existimarunt ad majorem Dei Deiparæque Virginis cessurum gloriam, si Militibus illis, cultui Mariano apprimè deditis, commendaretur traderetur-que, cum adjacentibus agris tradiderunt, ratamque donationem Hugo Episcopus habuit anno eodem.

Arnulfus eximiâ uti in Deum pietate, ita singulari in Ecclesiasticum Ordinem munificentiâ, brevi ex hac ærumnosa vita à clementissimo Domino evocatur ad æternæ beatitudinis requiem, annô siquidem 1223, pridie Nonas Octobris. Aleydis Lovaniensis erat vidua, quo testis fuit adhibita quando Gertrudis Comes Mohana, Alberti filia, Theobaldi Ducis Lotharingiæ vidua, donationem possessionum à patre suo factarum Monasterio Vallis Nostræ-Dominæ ratam habuit, suoque firmavit Diplomate sub testimonio præsentiarum subscriptarum Balduini Balivi mei de Muhau, Waltrikini fratris mei &c. & nobilium Dominarum Mariæ relictæ Ottonis Imperatoris, Aleydis relictæ Arnulfi de Loon &c. Lector hoc Diploma inveniet apud B. Fisen in Notationibus ad lib. XI. Arnulfus Christianis cæremoniis sepelitur Herkenrodæ. De successore agemus lib. sequenti.

Anno vix vertente Aleydis, uti ex his Tabulis Matrimonialibus patet, liberorum expers, convenit in manus Guillelmi Comitis Alverniæ

Wilhelmus Dei gratiâ Comes Alverniæ, & Aleydis quondam Comitissa de Los. Omnibus hoc scriptum videntibus, salutem. Notum facimus vobis quòd Dominus Dux Lotharingiæ duo millia librarum vel tria millia, si homines sui testantur, Monetæ Lovaniensis, pro nostra here-

ditate de Brabantia nobis promisit, & pro illis annuatim ducentas libras Monetæ Lovaniensis nobis assignabit in redditibus tantumdem valentibus, vel in bonis, in festo sancti Remigii, nobis, vel certo nuncio nostro persolvendas & assignandas, quousque prænominata, videlicet duo millia librarum, vel tria millia, ut prædictum est, nobis fuerint persoluta; & illæ ducentæ libræ in sorte non computabuntur. Quibus persolutis, à solutione ducentarum librarum Dux quitus erit & absolutus: & per hoc ego Comes Wilhelmus, & ego Aleydis quondam Comitissa de Los, renuntiavimus omni juri quod in Alodiis & bonis Ducis haberemus. Testes Joannes Præpositus de Antuerpia, Walterus de Bierbace, &c. Actum anno Domini 1224. in crastino Purificationis B. Mariæ, qui annus stylo Romano erat 1225.

Ex Comite Alverniæ suscepit filiam Mariam, Walthero Berthout Domino Mechliniæ nuptam, qui anno 1260. Mechliniæ fundavit Victorinas. Cùmque ipsum inter & sequentem Comitem Arnulfum perseveraret controversia super ipsius dote nuptiali; hic tandem compromisit in arbitrium Henrici secundi Ducis Brabantiæ, & Ottonis Comitis Gelriæ. *Arnoldus Comes de Los & de Chiny. Universis præsentes litteras visuris, salutem. Noverint universi quòd nos in dilectos Dominos nostros Henricum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ, & Ottonem Comitem Gelrensem compromisimus de omnibus querelis quæ vertuntur inter nos ex una parte, & nobilem mulierem Aleydem Comitissam Alverniæ, ex altera, tali modo quòd nos iviolabiliter observabimus quidquid inter nos amicabiliter, vel judicio duxerint ordinandum. In cujus compromissionis testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Lovanii anno Domini 1247, feriâ secundâ post Festum B. Mathiæ Apostoli.*

Tertio deinde matrimonio juncta Arnoldo de Wesemale, Mareschallo Brabantiæ, qui diutiùs vivens, factus est Miles Templi.

Joannes Arnoldus, sive Arnulfus, ad prioris distinctionem, Dominus de Steyn, citra Mosam, prænominatis tribus fratribus præmortuis, uxorem habuerat Margaretam Leonii vander Aa, ex parte Grimbergæ Domini filiam: Oda verò Grimbergæ filia nupserat Walthero vander Aa, Leonii patri. Arnulfus ex Margareta genuit sibi filium cognominem, Dominum de Steyn aliasque proles, à quibus propagata Lossensis prosapia: nec aliud de illo modò occurrit, nisi quòd Herkenrodæ juxta fratres sepulturam obtinuerit.

Ludovici sorores.

CHristoforus Butkens in Trophæis fol. 210. scribit, Gerardo Ludovici patri fuisse filiam Imainam, uxorem Guilhelmi senioris, Castellani S. Audomari, Domini de Fauquenberge. Monumentum Herkenrodanum alias quatuor exhibet, quarum nomina; Mechtildis, Anna, Joanna, Jolendis: atque uni ex his quatuor infaustum sanguineisque lacrymis deplorandum connubium cum Comite Juliacensi obtigit. Annales Juliacenses à Wernhero Tesseken-Maecker editi, Cæsarius Heisterbacensis, Petrus à Steyhalen, aliique testantur Scriptores, Guilhelmum hujus nominis quartum, in ordine verò nonum Comitem Juliæ sive Juliaci, Lossensi fuisse junctum matrimonio, atque ex illa genuisse Guillelmum Usuum successorem & Waleramum. Solâ igitur annorum supputatione evincitur, hanc Lossensem Gerardi fuisse filiam, sororem Ludovici: venit enim dictus Guilhelmus, teste Cæsario lib. 12. Dialogorum cap. 5, aliquando Coloniam, cùm S. Engelbertus, posteà Martyr, adhuc Præpositum summæ Ædis ageret, id est tardissimè, anno 1213: nam anno sequenti Theodorico Archiepiscopo mortuo, successit Engelbertus; ibique nocte Nativitatis Dominicæ, cùm Sacris interesset, sub Canone Missæ audivit suavissimam cœlestemque harmoniam concentumque angelicum, quo nec ipsum suum servum Engelbertum Deus tum dignatus est, tantâque Comes perfusus fuit dulcedine, ut Abbati Ordinis Cisterciensis posteà juratus dixerit, se facilè omnia hujus mundi gaudia cum tanta suavitate permutaturum. Volebat nempe hac cœlesti visitatione divina bonitas flagitiosissimum hominem monitum, ut abdicatis corporis voluptatibus, rerum cœlestium dulcedini incumberet animumque avocaret ab extremis ad interna, à caducis ad cœlestia, desineretque tandem se oblectare pœnis innocentium, ferociamque belluinam animo exueret: nescio enim quomodò insigniter flagitiosi etiam ipsis feris evadant crudeliores, dum ex quacumque re, etiam innocentium luctu & doloribus, voluptatem quærunt. Sed frustrà fuit ista cœlestis admonitio: nam ad pristinas mox fœditates rediit, & meritò Cæsarius illum cum Maxentio Tyranno conferat, paretque (cum eodem scribat sustinere pœnas in inferno) potentiâ quidem in vita inferiorem, sed perversissimâ

voluntate fuisse supparem. Erat enim homo libidini, scortationibus, adulteriis, incestui adeò deditus, ut vix unum aliquem suorum haberet Ministerialium, cujus uxorem aut filiam non attentarit violare: nec discrimen faciebat inter matrem aut filiam, maritatam aut liberam. Tantâ deinde in subditos sævitiâ & crudelitate extitit, ut in proverbium abierit, totaque Archidiœcesis Coloniensis de eo veluti Mesantio quodam conqueretur vel Phalaride, tempore schismatis parentis Sedi Apostolicæ omni persecutionum insectabatur genere; plures Sacerdotes suis exegit domiciliis, quosdam invasit; misellam nostram Lossensem conjugem suam teterrimo inclusit carcere, quoad vixit, nec familiaris Medici precibus induci potuit, quàmvis ab eo monitus sibi mortem imminere præsentissimam, ut cum ea rediret in gratiam, indignisque exolveret vinculis. Qui Medicus cùm preces quoque pro captivo quodam milite interponeret, respondissetque Comes, se vivo istum haud liberandum; imperterritè subjunxit: *Crastino igitur die liber evadet, non enim illi supervives.* Quod ita contigit; sed audi similem vitæ ad supremum illum terribilemque mortis diem præparationem. Jacebat moriturus in sinu matronæ, quam viro suo abstulerat; cùmque illa diceret: *Quidnam, Domine, te mortuo actura sum?* Respondit: *Nubas egregio & juveni militi, quocum suaves ducas noctes*; atque in hæc verba finiens vitam execrabilem, evomuit animam. Uxor fœdo mox educta carcere fœtore & situ squallida, cæterique captivi vinculis soluti, ingentes divinæ Nemesi peregere gratias. *Nocte illâ*, inquit Cæsarius, *quâ infelix ille ex hac vita abreptus est, Santimonialis Monasterii S. Mauritii Coloniæ vidit illum in extasi detrusum ad inferos, unâque & ardentissimâ ollâ inclusum cum Tyranno Maxentio, cujus obscœnam vitam crudelitatemque æmulatus fuerat.* Ad hæc diabolus militi ægrotanti visibili formâ apparuit; rogatusque inter cætera quò devenisset anima Comitis nuper defuncti; respondit, eam apud inferos detineri balneo ignito, æternoque cruciatu. *Anno præterito*, inquit ille Canonicus, *quidam Aquensis retulit mihi de eodem Guillielmo visionem satis terribilem. Post mortem suam (inquiebat ille) cuidam Reclusæ, cui benefecerat, apparuit vultu lurido ac macilento, dixitque:* Ego sum miser Guillielmus Comes Juliacensis; *quem dum interrogasset de statu suo, respondit:* Totus ardeo, *cùmque levasset vestem vilissimam, quâ videbatur indutus, flamma erupit, cumque ejulatu evanuit.* Cre-

do ego religiosam illam feminam divinitùs admonitam, ne preces frustrà pro æternis cruciatibus addicto funderet, quibus juvari non posset.

Cæsarius porro lib. 10. cap. 48. fatetur Libros Dialogorum à se conscriptos tempore Honorii III. summi Pontificis, qui obiit anno 1227: atque hinc videtur inferri posse, infelicissimum illum Comitem jam pridem hâc abiisse vitâ; quin & alibi lib. 12. cap. 5. testatur, illum quem describit, oppetiisse mortem, priùs quàm S. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus martyrium anno 1225. subiit, &c.

LIBER SEPTIMUS.

Arnulfus bujus nominis VII. Comes Lossensis & Chyniacensis.

FUit is Gerardi ab Aviæ suæ Agnetis Comitatu cognomento, Rynechii filius patruusque successit ex fratre seniore nepos. Fratres habuit Ludovicum, sed qui circiter annum 1223, quo ipse Comitatum adiit, decessit improlis, & Gerardum anno 1257. mortuum sepultumque in Abbatia Ordinis sancti Benedicti, Walciodoro ad Mosam, primo supra Dionantum lapide.

Uxor Joanna Ludovici Comitis Chyniacensis filia, heres Domina de Givet, Agimont, Embise, &c.

ILla trium filiarum natu-major, paternum Comitatum cæteraque Dominia marito in dotem attulit. Est verò ille antiquissimus pariter & nobilissimus situs in Ditione Lutzenburgensi, Feudum immediatum S. R. Imperii; cujus Dynastæ solum Imperatorem agnoscunt directum Dominum, ut Rudolfi primi, Henrici VII, & Caroli IV. Cæsarum Diplomata docent: quibus affirmant se habere sub immediata protectione, tamquam Imperii membrum, Chyniacum. Idem adstruunt privilegia Aureæ-Vallis Monasterio, in dicto Comitatu condito, ab eisdem Augustis concessa. Est Districtus Chyniacensis, quem hodie Præposituram vocant, amplus, fertilis, & amœnus: abundat agris, satis, & pascuis, sylvis opacis & spatiosis, quibus omnis generis aluntur feræ. In-

colæ in hodiernum diem commorare soliti, istis in sylvis extare antiquissimæ Arcis rudera, quam ædificaverint quatuor Aymonis filii. Inque hujus confirmationem ostentant advenis prægrandem lapidem, cui equus illorum miræ magnitudinis illiserit soliam tanto impetu, ut reliquerit vestigium impressum lapidi: & ut istud sit mera fabula; nequaquam tamen dubitavero, quin quatuor Aymonis filii aliquando fuerint in rerum natura, genusque duxerint suum ab Aymone Arduennæ Principe, robore militari præstantes, rerumque militiæ gestarum illustres; quorum natu-maximus Reinaldus, etiam martyrium pro Christiana Fide subiit, Sanctorum catalogo adscriptus est. Extat Coloniæ Agrippinæ parva, sed insignis sancti Reinaldi Ecclesia, juxta Sanctimonialium sancti Mauritii Monasterium, in cujus paricte depictus spectatur equus quatuor habens insessores, quorum primus S. Reinaldus, notâ sanctitatis conspicuus.

Sed eò, unde digressi sumus, revertamur. Complectebatur hic Comitatus præter Arces & Pagos omnino octo, duo Oppida, Chyniacum & Montmedy, quasi montem medium dicas, quem Arnulfus Comes illac iter faciens delegit, in quo ad Ditionis suæ tutelam Arcem extrueret, Oppidoque concluderet. Horum omnium tam recens adhuc apud Lutzenburgenses memoria, ut à Rege Catholico Præfecti, Ducatûs Lutzenburgensis & Comitatûs Chyniacensis se Gubernatores scribant. Chyniacum Oppidum, à quo Comitatus nomen habet, ad limpidum & piscosum fluviolum Fumois situm, murorum ambitu, portis, & propugnaculis olim egregiè munitum fuit ab Arnulfo Burgundo primo Comite; sed eisdem hodie destitutum, illo splendore prorsus exutum. Causam mutationis & ruinæ dedere bella: recenseri tamen pergit inter tria & viginti Ducatûs Lutzenbergensis Oppida; duæque inibi turres cernuntur ingentis magnitudinis, dirutorumque ædificiorum fundamenta testari possunt quanta arcis Oppidique aliquando fuerit amplitudo & præstantia.

Quibus deinde progenitoribus Joanna sata, docebit recentiorum Comitum series. Arnulfus ordine 5. Comes Clyniacensis, anno 1070. in Aurea-Valle Monasterium ædificare cœpit, adjutante Macthilde, Godefridi Gibbosi Lotharingiæ Ducis vidua. Obiit anno 1110, sepultus Metis in Ecclesia S. Arnulfi. Duxerat N. filiam Hilduini Comitis de Roucy. VI. Otto Arnulfi filius cum Aleyde conjuge sua filia Alberti III. Comitis Namur-

censis, Monachis Benedictinis à Superiore suo in Calabriam, unde venerant, revocatis, Canonicos Regulares in Aurea-Valle constituit, probante Brunone Archiepiscopo Trevirensi. Basilicam novam anno 1124. ab Henrico Verdunensi Episcopo consecrandam curavit, & anno proximè sequenti vivere desiit, tumulatus ad B. Walpurgis apud Chyniacum. Fuit illi frater, sed non uterinus, Albero Episcopus Metensis.

VII. Albertus Ottonis filius cum Agnete conjuge sua Rainaldi primi Comitis Barrensis filia anno 1131. Auream-Vallem S. Bernardo tradidit, qui ibidem præesse cæteris jussit. Constantinum Institutumque suum Cisterciense propagavit, promovente Alberone Archiepiscopo Verdunensi. Hæc ex Archiis dicti Monasterii se hausisse scribit Miræus in Chronico. *Albertus obiit circiter annum* 1163, *& ex Agnete tres reliquit filios totidemque filias; Ludovicum in Comitatu, Theodoricum Dominum de Marbieres, Arnulfum Episcopum Verdunensem, Idam uxorem Domini de Aspremont, N. Dominum de Hierges, & N. matrem Rogeri de Walcheim.* VIII. Ludovicus in obsidione Ptolemaidis anno 1191. cum Gerardo Lossensi Comite periit.

IX. Ludovicus secundus, primi filius, Comes de Chiny, duxit Joannam Avesnensem, Jacobi Avesnensis filiam primo-genitam, & ex ea sustulit tres filias, quarum natu-maxima Joanna, teste Balduino Avesnensi. Obiit ille anno 1226, & juxta avum in Aurea-Valle sepultus, ut tradit Albericus in mſ. Chronico.

X. Joanna Comes de Chyny, Domina de Givet, Agimont, Embise, &c. nupsit Arnulfo (de quo nobis sermo) Lossensi Comiti, illique in dotem paternam maternamque hereditatem attulit. Peperit quatuor filios & duas filias; in his Joannem Comitem Lossensem & Ludovicum Comitem Chyniacensem, ut idem Balduinus Avesnensis in mſ. Geneologia Comitum Hanoniæ tradit. Christoph. Butkens in Trophæis Brabanticis scribit illos procreasse quinque filios; filias tres, prout infrà videbitur.

Insignia Comitum Chyniacensium.

PRo Scuti symbolo protulerunt duos pisces, vulgus *trutas* vocat, coccineos inflexos, sibi invicem dorsis adversos, in aurea area, crucibus coccineis, cruciculis iterùm brachiatis & specu-

latis conſperſa exaratos. Duces Barrenſes Comiteſque Salmenſes ſimilibus nobilitantur ſymbolis; niſi quòd Duces barbiones, Comites ſalmones præferant, coloribuſque à Chyniacenſibus diſtinguantur. Poſteaquam igitur Comitatus ille ad Loſſenſes devenit, illi primum & quartum ſcuti quadrantem exornatum denis ex auro & minio teniis, quæ Loſſenſibus propria teſſera, geſtarunt; ſecundum verò & tertium ſymbolo Chiniacenſium Hinsbergii: deinde utrumque Comitatum jure uxoris adepti, primum & quartum ſcuti quadrantem exornarunt inſignibus Loſſenſibus & Chyniacenſibus, ſecundum & tertium, leone ſuo cæruleo aſſurgente Heinsbergio in area ex argento.

Confirmat Privilegia Monaſterii Biliſienſis.

ANno 1131. menſe Julio, feriâ ſextâ poſt Octavam ſanctorum Apoſt. Petri & Pauli, de conſilio Feudalium ſuorum, declarat Arnulfus Comes ſe velle firmare Prærogativas à præceſſoribus ſuis datas Officialibus Monaſterii Biliſienſis; eorumque exemplo eos eximit in perpetuum ab omnibus exactionibus & precariis, idque præcipuè in gratiam Mechtildis Comitiſſæ de Ara, Abbatiſſæ Biliſienſis, ſuæ conſanguineæ; veteraque omnia privilegia ejuſdem Eccleſiæ denuò firmat coram ſui Comitatûs Proceribus.

Quando Caſtrum Loſſenſe derutum.

CAntipratanus ſcripſit octennio ab emigratione ex hac vita S. Chriſtinæ ad feliciſſimam æternitatem, id eſt anno 1232, aſſeritque tum everſum jacuiſſe Caſtrum Loſſenſe; at quo ſub Comite vel anno vaſtitas illa contigerit, necdum ſcire potui: iſtud tantummodò dico, mihi nequaquam videri mirum, poſt quatuor & ampliùs ſæcula, poſt tot annorum decurſum, nobiliſſimi iſtius quondam Caſtri tam exigua hodie exſtare veſtigia. Oppidum Caſtri nomen retinet, diciturque Loſcaſtrum, eminens juxta Eccleſiam Collegiatam terræ cumulus, quem Incolæ Burgum, id eſt Caſtrum, vocant. Non videtur fuiſſe niſi antiquæ Arcis ſpecula, ſive turris cæteris eminentior, quæ tam facilè haud complanari potuerit, veteriſque ut faſtigii, ita ruinarum ſervet indicia.

Hasseletum & Curingia eriguntur annis 1232. & 1240. in Municipia Vrybeiden.

ARnulfus celebrem suum pagum de Hasselt, etiam Præcessoribus carum & dilectum, anno 1232. mense Maio, erigit in Municipium, eâdemque libertate & prærogativis donat, quibus Civitas Leodiensis vel de jure, vel consuetudine frui solita. Tenor donationis Teutonico factæ idiomate sic sonat: *Ut velit pagum suum de Hasselt impræsentiarum futurisque temporibus, uti & frui privilegiis & immunitate Civium Leodiensium, quæ à Præcessoribus suis quoque obtinuerit, hâc tamen conditione additâ, nequis Incolarum quidpiam ex molis, telonio, cambiis, vel comitalibus redditibus delibet.* Simili deinde exemptione seu prærogativâ octennio post Curingiam donat, quæ hodieque Municipium de *Vrybyt van Curingen* dicitur, nisi quòd illius Scabini, in rebus perplexis & arduis, jubeantur Hasseletenses consulere; habitâque illorum sententiâ seu rosolutione, procedere possint ad litis decisionem, & pronunciandum sententiam definitivam: non tamen poterat ibi citra ulteriorem concessionem & indultum expressum erigere molas vel cambium.

Comes obtinebat Feuda in Gelria.

ANno 1232. habitus est in Choro B. Martini Imbricensis Contractus Codicillis firmatus, signatusque super bonis & possessionibus, quæ jure clientelari ab Ottone Gelriæ Comite Arnulfus Comes Lossensis & Chiniacensis obtineret. Quænam autem illa fuerint, Pontanus lib. 6. Gelriæ Historiæ non tradit. *Quo eodem anno*, inquit, *reperio Gosvinum de Borne Ditionem Bornensem cum omnibus eodem spectantibus in Feudum accepisse ab Ottone Gelriæ Comite, eâ lege ac conditione, ut Gosvinus Gelriæ Comiti unà cum omnibus quos sibi addictos heredesque haberet, perpetuò paratus, atque auxiliaris esset adversus quoscumque, excepto Lossensium Comite.*



Aa

Arnulfus interest Prælio adversus Stadingos hæreticos anno 1234.

BEllum contra Stadingos sive Stadenses hæreticos injuriarum paludum Diœceseos, Bremenses Accolas, Gregorio IX. Pontifice maximo agente, indicitur. Armavit se, patre jubente, Henricus Brabantiæ Ducis filius, cui summa rei credita. Waltherus IV, Bertholdus Mechliniæ Dominus, Guilielmus Ascanus, aliique è primaria Nobilitate Brabanti, item Robertus & Guilielmus Bethunii, Theodoricus Duxemudanus, aliique Flandrorum Nobilissimi. Adjunxerunt se Florentius Hollandiæ, Theodoricus Cliviæ, & Arnulfus Lossensis, Comites. Hi omnes Cruce signati mense Julio Bremam pergunt, & cum Gerardo Lippiano Bremensi Archipræsule in rebelles versi, prælio haud longè à Visurgi flumine commisso, partem trucidarunt, reliquos Visurgis absorpsit, *pro eo*, inquit Joannes de Beka in Ottone III. Ultrajectino Antistite, *quòd idem Populus, expulsis Sacerdotibus & Clericis, ad profanam idololatriæ sectam reversus esset.*

Anno 1238. Henricus II. Brabantiæ Dux cum Walthero Bertholdo Mecliniæ Domino paciscitur, & eidem despondet Mariam sororis suæ & Guilielmi Alverniæ Comitis filiam. Hujus pacificationis adhibiti testes Dux de Limborck, Comes Gelriæ, Comes de Loon, Waleramus de Limborck, aliique.

Henricum II. Ducem Brabantiæ & Arnulfum Comitem intercessit arcta necessitudo.

NEque enim hic aliàs tanta promisisset Brabanto. *In nomine Domini. Amen. Ego Arnoldus Comes de Los & de Chiny. Notum facio præsentibus pariter & futuris, quòd carissimo Domino meo Henrico illustri Duci Lotharingiæ & Brabantiæ promisi, quòd totam hereditatem suam & bona sua alia, quæ in præsenti possidet & in futurum possidebit, vel sui heredes possidebunt, ego meique heredes, contra præsentes & futuros potenter & patenter illos juvabimus obtinere. Verùm si super premissis præfato Domino Duci vel heredibus suis aliqua violentia fuerit irrogata vel molestia, nos illis totis viribus nostris assistemus, eosdem auxilio & consilio fideliter adjuvando. Ut igitur omnia in perpetuum firmiter observentur, præ-*

sentes litteras sigilli nostri appositione dignum duximus muniendas. Datum mense Octobri anno Domini MCCXXXIX.

A Frederico II. Imperatore vocatur inter alios Princeps Imperii.

ILle animo volvens iter Italicum, ad comprimendum Mediolanensium aliarumque Urbium seditiones & tumultus, celeberrimum Leodii habuit Conventum Principum veteris Lotharingiæ, Henrici Ducis Brabantiæ, Mathæi Ducis superioris Lotharingiæ, Henrici Ducis Limburgii, Ottonis Comitis Gelriæ, Arnulfi Comitis Lossensis, Guilielmi Comitis Juliaci, Walerami de Limborck Dynastæ de Monjoie & Falckenborck, Henrici Dynastæ Heinsbergii, qui omnes unâ promisere voce, se in fide Conrardi Romanorum Regis ipsius filii permansuros, quandiù ipse aberit distentus nogotiis Italicis; illisque vicissim pollicetur Cæsar protectionem & auxilium contra qualemcumque invasionem & injuriam. Deinde si cum Gregorio IX. Romano Pontifice (quocum illi gravissima intercedebat difficultas) contingat transigi ipsorum honoris habendam rationem, aut si caussa fidelitatis & servitii Cæsari præstiti damna incurrant, ita se præstiturum; hisque conditionibus indulget ut domi servent, nec se cum exercitu teneantur sequi ultra Alpes, prout antehac litteris polliciti. Audiatur ipse Cæsar.

Fredericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex. Universis præsens scriptum visuris, in perpetuum per præsens scriptum notum esse volumus, tam præsentibus, quàm futuris, quòd nos attendentes devotæ fidei veritatem quam Henricus Brabantiæ, Mathæus Lotharingiæ, Henricus de Limburk, Duces; Otto Gelrensis, Arnoldus de Los, Wilhelmus Juliacensis, Comites; Waleramus de Limborck, & Henricus de Heinsbergh, Barones, tam Principes quàm Fideles nostri, tanquam Lumina Coronæ ad Nos & Imperium hactenus habuerunt, & qualiter Majestati nostræ & Conrardo filio nostro Dei gratiâ in Romanorum Regem electo semper Augusto, & Regni Jerusalem heredi, incessanter adhærere desiderant: ad honorem nostrum, pro conservatione Coronæ Romani nominis & Augustæ Dignitatis, promittimus eis fideliter, quòd ipsos fovebimus pro jure suo; & siquis contra juris æquitatem eos præsumpserit vel amodò præsumet invadere, qui juri parere super hæc se opponeret, coram nobis ipsis, aut per modum concordiæ amicabilis, aut juris, vel virium nostrarum brachio juvabimus pro jure suo, donec ipsis de invasione hujusmodi, ad ho-

norem suum & Imperii satisfaciat. Promittimus etiam eisdem Principibus & Nobilibus Imperii, si cum Gregorio Papa compositionem nos facere contingat, quòd ad eandem assumemus eos, & eis pro conservatione sui nominis & honoris, in eadem compositione cavebimus tamquam nobis. Insuper si occasione servitii Nobis impensi aliquod gravamen incurrerint, ipsos ad posse nostrum inde eximemus, eosque in hoc nondisserentes, casu aliquo emergente prætereà ratione litterarum quas Majestati nostræ pro nostro & Imperii servitio tradiderunt, Alpes transire, nisi fuerint voluntarii, ipsos compellere non debemus. Ad cujus rei testimonium perpetuò valiturum, præsentem paginam conscribi fecimus, & sigilli nostræ Celsitudinis roborari. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1241, mense Aprili, indictione decima-quarta, apud Leodium.

Gregorio IX. & Frederico II. summis Reipublicæ Christianæ Capitibus, inter se dissidentibus, Italia in duas distracta fuit partes, aliis Imperatori, aliis Pontifici adhærentibus; quorum hi Guelfi, alii Gibellini sunt vocati. Quæ factiones multis post annis Italiam divexarunt. Hæc porro factionum nomina primùm apud Pistorienses audita fuisse Platina testatur.

Contractum init circiter eundem annum cum Thoma Abbate sancti Trudonis, cujus hic est tenor:

THomas Abbas S. Trudonis, totusque ejusdem Ecclesiæ Conventus, & Arnulfus Comes de Los & Chiny. Universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Notum vobis facimus, quòd omnes munitiones & domus, quæ habent pontes ad levandum & bassandum in Alodio sancti Trudonis, & in Comitatu & in Dominio ipsius Comitis de Los factæ & faciendæ, ab Ecclesia sancti Trudonis liberè & ligio feodo tenebuntur; & Ecclesiæ nostræ sancti Trudonis patebunt & auxiliabuntur, si necesse fuerit, etiam contra dictum Comitem & suos successores, & contra omnes alios homines. Et nos prædicti Thomas Abbas & Conventus talem gratiam fecimus, damus & in perpetuum concedimus dicto Comiti de Los, quòd omnes præfatæ domus & munitiones in nostro Alodio, sicut etiam in Comitatu de Los & Dominio suo factæ & faciendæ, ab ipsis post nos in feodo tenebuntur & liberè & ligiè, & sibi patebunt & auxiliabuntur, dum bellum eis fuerit contra omnes homines, præter quàm contra Ecclesiam sancti Trudonis. Et dictus Comes & sui successores

Comites de Los, si aliqui domini prædictarum domorum & munitionum vellent se subtrahere, ipsi tenebuntur, tamquam Advocati Ecclesiæ sancti Trudonis, assistere, & bonâ fide nos juvare, quòd jura nostra illæsa conserventur.

Sciendum etiam, quòd jura reliviorum prædictorum feodorum de manibus-mortuis pertinebunt integraliter ad Ecclesiam sancti Trudonis. In quorum omnium, &c. *Anno Domini.* Sed ille non exprimitur in copia quam vidi.

Videor tamen non vanè auguraturus, si illum dixero 1241, sub initium Prælationis Thomæ; quòd mſ. Chronicon Trudonense de eo scribat illum non habuisse Consanguineos valentes resistere Monasterio injuriantibus: antiquissimum verò Principum erat Decretum, atque tum in viridi observantia, nequis valeret munitionem de novo erigere, fossâ valloque sepire, firmare ponte versatili, nisi illius accederet authoritas in cujus Alodio foret sita, clientelarique obsequio agnosceretur directus Dominus. Et illud est quod Arnulfus pollicetur se, tanquam Ecclesiæ sancti Trudonis Fautorem, daturum operam, ut omnes hujusmodi domos & munitiones habentes, vel in sancti Trudonis Alodio vel suo Comitatu, ad jus sancti Trudonis spectantes, vel posthac habituros profiteantur, se Abbatis tamquam directi Domini Clientes, quàmvis etiam ipsum Comitem sub Abbate teneantur agnoscere.

Adhibetur testis.

UNiversis Carolus de Archot, Miles, salutem. Noveritis, quòd nos jus Patronatûs Ecclesiæ de Betegem Præposito & Conventui S. Gertrudis contulimus. Actum in Castro prope Lovanium, in præsentia Domini Henrici Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ, Arnulfi Comitis Lossensis, Henrici de Attenhoven, Militis, Walthери Clutinck, Renboldi de Tunen, Gerardi de Ischa Consonis, Joannis de Monte, Wilhelmi de Henersberghe, Militum. 1243, *feriâ quintâ ante Assumptionem B. Mariæ.*

Theodoricus Comes de Hostade habebat à Brabanto in clientelare beneficium Arcem Dalensem cum territorio: cùmque Henricus II. Brabantiæ Dux illius potiundi, finesque Imperii ultra Mosam proferendi flagraret desiderio, nec Theodoricus obnitendo par esse posset; cognati sui germani Ottonis Comitis Gel-

riæ, Henrici Comitis de Seyne, aliorumque amicorum consilio, illam certis legibus Brabanto cessit, in oppido Ruremundensi, anno 1244. stylo Romano, pro Festò S. Mathiæ Apostoli, publicisque Codicillis in eum omne suum jus transcripsit : quibus sua sigilla appendi curarunt Conrardus Coloniensis Archipræsul, Theodorici patruus, Comes de Seyne, Otto Gelriæ, & Arnulfus Lossensis, Comites, Godefridus de Perwis, aliique : proque promissæ à Brabanto pecuniæ summa præstanda ab Urbibus Lovaniensi, Bruxellensi, Antuerpiensi, Sylveducensi, Levensi, & Thenensi, fidejusserunt Otto Gelriæ, Arnulfus Lossiæ & Henricus Seynæ Comites, hoc pacto ; si intra præscriptum tempus dictæ Civitates litteras suas obligatorias Theodorico non miserint, ut sacramenti religione se obstrinxerint, intraturos urbem Coloniam, nec inde elaturos pedem, nisi Dux Brabantiæ pactis steterit.

Bellum illi fuit cum Heinsbergio.

NEc diù post, quasi ex composito repetiisset vetus Feudum Daelhemium, Brabantus bellum Guilielmo Juliacensi Comiti intulit. Evocati utrimque auxiliares expeditque arma : quâ occasione non proditur, nisi fortè quòd Brabanti mercatores per Juliacum in Germaniam cis citroque commeantes habiti fuissens parum humaniter : sed intervenientibus Henrico Duce Limburgio ; Comitibus, Montensi, Ottone Gelriæ & Gerardo Wassenbergio, mox impetrata armorum cessatio, paxque deinde coaluit. Pro Brabanto stabant Conrardus Coloniensis Archiepiscopus, Henricus Seynensis Comes, eorumque consanguinei. Juliacensem adjutabant frater ejus Waleramus, aliique non infimæ notæ Proceres ; eisdemque treugis (inquiunt Codicilli) dati & firmati anno 1244. mense Julio apud Loishe, juxta Venlo, Arnoldus Comes de Los & Chiny, & nobilis vir Henricus de Heinsbergh & eorum adjutores sub hac forma sunt inclusi ; videlicet quòd *Comes de Los præfato nobili viro Henrico de Heinsberge & suis restituet, si quid per eum vel per suos abreptum fuerit vel ablatum ; idem faciet Dominus Henricus prædictus de Heinsbergh dicto Arnoldo Comiti de Los & de Chiny super abreptis vel ablatis sibi & suis restituendis.* Crediderim Lossensem, uti illi arcta cum Brabanto intercedebat necessitudo & fœdus, belli fecisse exordium & ex Arce Stockhemia penetrasse in vicinam Ditionem

Heimbergii, qui clientelari beneficio obstringebatur Juliacensi Comiti.

Compromittit in Arbitros quoad dotem Aleidis Brabanticæ patrui sui Arnulfi quondam conjugis.

ARnoldus Comes de Los & Chiny. Universis præsentes" litteras visuris, salutem. Noverint universi, quòd nos in" dilectos nostros Henricum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ," & Ottonem Comitem Gelrensem compromisimus de omnibus" querelis quæ vertuntur inter nos, ex una parte, & nobilem" mulierem Aleydem Comitissam Alverniæ ex altera: tali modo," quòd nos inviolabiliter observabimus quidquid inter nos amica-" biliter vel judicio duxerint ordinandum. In cujus compromis-" sionis testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus appo-" nendum. Datum Lovanii anno Domini 1246, feriâ secundâ" post Festum B. Mathiæ Apostoli, stylo Romano erat an-" nus 1247."

Suffragatur in Comitiis cognato suo Henrico Gelrensi ad Cathedram Leodiensem.

JUs siquidem suffragii, ut scribit B. Fisen ad annum 1240, eâ tempestate plurimos habuisse disertè affirmat Ægidius Aureævallensis, cui fidem derogare fas non est: quandoquidem iis imponere non potuit, qui cum ipso viverent, suisque viderent oculis quod litteris ille mandabat. Ipse porro cap. 129. in hunc modum loquitur: *Præfixo electionis die ab universo Clero* (notet verba studiosus Lector) *Ducibus, & Nobilibus aliis Militibus & à Plebeiis, absque ullius contradictione, eligitur in Episcopum Leodiensem Dominus Joannes secundus. Is est quem Apianum cognominavimus, ex quibus quidem hoc efficio, convenire solitos fuisse Ordines sive Status, non Provinciæ dumtaxat Leodiensis, verùm Diœceseos universæ, ac suffragia tulisse.* In hunc modum ille.

Ecquis verò ignorat, id temporis Ducem Brabantiæ, Comites Lossensem, Namurcensem, Gelrensem, Juliacensem, aliosque ejusdem ordinis & inferioris Proceres fuisse Diœceseos Leodiensis: unde & mortuo Roberto Antistite anno 1246, proximè Comitiis habitis, idem observatum; eamque fuisse suffragiorum

varietatem, produnt aliqui, ut in duodecim abierint factiones; quæ mox in duas coaluerunt, aliâ Henricum Ottonis Gelriæ Comitis fratrem eligente, Eustachium Reustamum aliâ. Huic Populus favebat, asserebatque impulsu electum divino: suavis erat memoria Hugonis Petrapontii, quem cognatione Eustachius attingebat; contrà odio erat Gelrensis, cujus Majores superioribus bellis, præcipuè anno 1212, senserant infensissimos Leodii: eòque proruperunt, ut probris etiam in Capitulo lacesserent. Quæ cùm Henricus sustinere non posset, Ruremundam se recepit. Ita studia Partium contraria Leodiensem Ecclesiam Gubernatore destitutam reliquerunt, magno Reipublicæ malo, quod deflerent omnes boni, tertium jam diem experti uno decennio.

Dum Leodii dissidiis agitantur, Henricus Lantgravius Frederico II. oppositus in Germania æmulus à summo Pontifice, ex vulnere, quod in prælio acceperat, vitâ functus est XIV. Calendas Martias anno 1247. Quo sublato, ne Fredericus liberiùs in Ecclesiam sæviret, quod ipsi jam solens erat ab aliquot annis, circumspicere cœpit Innocentius IV. Pontifex maximus, quem è Principibus eveheret ad Imperium. Aliquem Aquisgrani vicinum quærebat, qui sibi armis aditum in Urbem faceret, ut in ea more Majorum Germaniæ Rex inauguraretur, seu ferreâ Caroli Magni redimiretur Coronâ: Placuit Henricus tertius Dux Brabantiæ, inquit Hareus, qui moriente patre Henrico II, Principatum hoc ipso anno erat adeptus; sed ratione nescio quâ ductus, ipsemet Guillelmum Hollandiæ Comitem præposuit. Aiunt Hollandi Comitis indolem & potentiam Duci fuisse formidini maluisseque illum procul Brabantiæ finibus distineri negotiis Imperii; verùm auctus ipse Imperio, Hollandi potentiam formidare non debuit. Fortassis Germaniæ Regnum tam ancipiti bello sibi petendum non duxit; sanè oblatum eâdem lege multos Principes respuisse testatur Chronicon Alberto Argentinensi præfixum. Ut ut res se habuerit, hoc constat, paratum fuisse Guilielmum suscipere Imperium, si offerretur. Juvenis erat Imperio dignus, suis suorumque viribus formidabilis; natus Mechthilde Henrici I. Brabantiæ Ducis filia. Avus is fuit hujus tertii; consobrinum habebat Ottonem Gelriæ Comitem, auri argentique id temporis ditissimum, magnâ authoritate, ob ætatis prærogativam & rerum consuetudinem, inter omnes inferioris Lotharingiæ Principes, fratrem Henrici, quem in schismate Leodiensis factio-

sessionis, unius fuisse Principem jam commemoravimus: Petrus itaque Capoccius Diaconus Cardinalis sancti Georgii ad Velum-Aureum, Legatus Apostolicus, Pontificis mandato Episcoporum Principumque, ad quos potuit, Conventum Novesii habuit III. Calendas Octobris, & V. Nonas Guilielmus designatus est. Tum de Imperio stabiliendo consultatum.

Vires opportunas adjunctum iri Hollandus & Brabantus ostenderunt Legato, si Leodiensem Episcopatum adipisceretur Henricus Gelrensis; plerosque in eam jam venisse sententiam, secuturos facilè cæteros, si pro sua authoritate Legatus impelleret. Leodium extemplo properat, nullaque mora VI. Idus Leodiensis Episcopus creatur Henricus, atque ab Archiepiscopo Coloniensi Conrardo confirmatur. Juvenis fuit ad Episcopatum parum factus, ipse profectò propenderetne ad Sacerdotium, an abhorreret, nemo prodidit. Hoc habemus, plures annos Episcopum designatum vixisse nullis initiatum Sacris, Pontificis indulgentiâ sacrorum Canonum vim temperante. Ubi Principatum Henricus adeptus, convertit se Legatus ad Imperium Guilielmo confirmandum. Inane dumtaxat Cæsaris nomen accepisse videri poterat, nisi in Aquensi Regia regio redimitus Diademate, antiquum Regni Solium insedisset. Cives Legatus monet, ut Frederico deserto, quem non Imperio tantùm, sed & Christianorum Cœtu gravissimus Ecclesiæ Senatus Lugdunum evocatus Guilielmum Hollandum designatum suffragiis Principum Imperii reciperent in Urbem. Verùm ubi non auditur Urbis pervicaciam Ecclesiasticâ sententiâ coercendam ratus, Sacris interdixit, neque sic hilum promovit.

Ab armis igitur vis quærenda fuit: bellum sacrum in eos, veluti Frederici ab Ecclesia alieni sectatores, movere placuit. Propositâ peccatorum remissione Christianis omnibus, qui assumpto Crucis signo, militiæ nomen darent, ipse Guilielmus in primis nobilissimo Procerum Concessu Francofurti Crucem sacri belli insigne assumit: priùs tamen in Equestrem Ordinem adscriptus, ut opinor.

Exemplo suo miram multitudinem à Principibus, Nobilitate, Populoque provocavit Cæsar designatus, ut sacræ militiæ nomina darent: solutâ asperitate hibernâ, ut primùm educere copias licuit, convenisse in armis dicuntur mense Aprili anno 1248. ducenta fermè hominum millia. Leodiensium & Lossensium maxi-

mè fuit ingens concursus; quos non vicinia tantùm, sed & studium placendi novo Episcopo, ad armorum societatem invitabat.

Maio ineunte cœpta obsidio. Arte visum est ad deditionem adigere: quà flumen Urbe elabitur, præaltum erigunt aggerem qui alveum oppleat, & aquis latè per campos stagnantibus, cursum impediat; donec in eam sese attollant altitudinem, ut ad obsidentis arbitrium subeundum Urbem compellant. Urbis humiliora fluvium inundantem exhaurire machinis, & in aliam vallem muris subjectam effundere Cives aggressi sunt incredibili labore, sed non infelici: nam aquis invenientibus viam aut facientibus, opera sua mox obsidentes senserunt irrita. Æstas interim elapsa erat, nec Aquensibus quidquam à Frederico vel fama venerat; fidem ergo liberasse visi sunt longâ sex mensium toleratâ obsidione. Urbem Guilielmo Hollando reserasse Henricum Gelrensem scribunt aliqui, etiam externi: neque profectò vero simile est, tot menses ad unius Urbis muros hæsisse tantam multitudinem, cùm Fredericum nihil moliri constaret ut relinquatur. Præcipuum robur exercitûs fuisse Leodienses, è quorum agris insuper commeatus in Castra veheretur. Victor Urbem ingreditur Hollandus, & Calendis Novembris Germanici Regni Coronam accepit de manu Hugonis S. Sabinæ Presbyteri Cardinalis. Nobilissimus fuit utriusque Ordinis concursus: aderant Petrus Capoccius, Diaconus Cardinalis; Archiepiscopi, Conrardus Coloniensis, Cefridus Moguntinus, Arnoldus Trevirensis, Henricus Leodiensis Episcopus designatus, Joannes Verdunensis, quem Aquis natum, & Roberti Lingonensis nepotem aiunt, aliique Episcopi; Duces, Henricus Brabantiæ, Waleramus Limburgi; Comites, Florentius Hollandiæ, frater Regis, Arnulfus Montium, Joannes Avesnensis, Hannoniæ, Arnulfus Lossensis, item & Juliacensis: ut hinc habeat totam inferiorem Germaniam stetisse à Guilielmo. *Vidit itaque Fredericus Ex-Imperator æmulum suum Regni Germanici Diademate redimitum, magnâ gloriâ Regiam occupare; exemplum illustre non impunè Sedem Apostolicam violari.* Ita B. Fisen.

Quòd verò Lossensis tum magna fuerit Principum pars, vel hoc argumento posse probari videtur, quod Christ. Butkens Probationum suarum pag. 91. adfert in hunc modum: *Henricus Leodiensis electus, Henricus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, Otto Gelrensis, & Arnoldus Lossensis, Comites confœderati. Contra omnes*

testes Otto Praepositus Aquensis, Magister Godefridus Decanus sancti Servatii in Trajecto, Dominus Guntherus de Berlo, Dominus Antonius de Momale, Godefridus Dominus de Perwis, Dominus Wilhelmus de Althena, Arnoldus Dapifer de Rochelaer, Henricus Barthold, Ludovicus Dominus de Berlaer, Arnoldus Dominus de Wesemale, Walterus de Clutingue, & alii. Datum apud Walsberge feriâ sextâ post beati Martini hiemalis, anno Domini millesimo, ducentesimo, quadragesimo octavo.

Henricus Gelrensis, quem alii scribunt Comitem de Monteforty, Teutonicè *Montfort*, Ditionis Gelricae, uti erat à natura ad arma, quàm Pedum pronior, anno 1250. collectis copiis movit in Rhemos. Castellum Dosium in agro Mosomensi erexerat Archiepiscopus, à quo Bullonienses non tantùm populationes metuebant, sed reipsà sentiebant. Injuriam ut armis propulsaret Henricus, protracto in belli societatem Lossensi, ipsam munitionem animis majoribus quàm constantiâ vel fructu aggreditur. Anteriorem jam portam irruperat, & Rhemi de Arce tuenda desperantes, fugam circumspectabant, quando Arnulfi Comitis Lossensis consilio, parum fortassis sincero, & nobis incognito, juveniliter inductus est ut, bello nondum confecto, copias domum reduceret. Quaenam causae nobis ignotae Lossensem impulerint, non proditur; mihi non videtur fas de integerrimi viri fide dubitare. Pontanus lib. 6. Historiae Gelriae scribit Arnulfum Lossensem Comitem in fidem suam recepisse ab Ottone Gelriae Comite Castrum suum Stockhemense unà cum villa de Dilsen, aliaque permulta, factis de eo Codicillis, qui dati feriâ quartâ ante Pentecostem anno 1253. Quâ significatione dicat in suam recepisse fidem suum Castrum, non plenè capio; cùm Stockhemium hactenus fuerit Comitum Alodium.

Auxiliatur Henrico Gelrensi adversus Leodienses rebellantes.

QUòd nec Episcopus minùs ad severam disciplinae ecclesiasticae normam viveret, atque ad saecularia quàm ecclesiastica negotia foret propensior, illum Populus Leodiensis primùm minoris aestimare, deinde palàm aversari coepit: unde magna Reipublicae perturbatio. Anno siquidem 1252. ingentes Leodii exorti tumultus, ob civem caesum à Domestico Canonici, & aliis, ab externo quodam impunè occisum. Scabini excom-

municantur, Civitas interdicitur, Princeps & Canonici abscedunt; at anno proximo per Ottonem Gelriæ Comitem sopitur discordia, brevique duratura pax reducitur. Redeunti Leodium Principi, supplicabundi obviàm procedunt Cives; sub præcipitem annum recrudescente tumultu, creantur à Plebe Burgimagistri sive Consules. Primus Henricus Dionantius, vir facundus & plebicola; qui deinde veluti Populi Demagogus, omnia cisque deque vertit, & quòcumque voluit inflexit Populum, unde novæ ingentioresque turbæ. Princeps ipse præ metu cogitur Urbem deserere; quem maxima pars Canonicorum Scabinique secuti. Hoyenses, Dionantio proxenetâ, Trudonensesque fœderantur Leodiensibus, propriâque authoritate Consules creant. A Legato Apostolico fit pax; sed quæ brevi evanuit: dum enim anno 1255. hujusmodi oritur motus, ob illegitimam aliquot adolescentium proscriptionem. Inde majores prioribus Leodii turbæ, totâque Patriâ. Princeps pluries expertus nihil apud insanam multitudinem valere arma spiritualia, censurasque Ecclesiæ quasi esse ludibrio; militiæ accingitur, auxiliaresque copias obtinet à sibi fœderatis, Brabanto, Gelro, Lossensi aliisque; & mox Trudinopolis capitur, Hoyenses cæduntur, Leodium adeò premitur, ut pridie Idus Octobris deventum sit ad colloquium, Civesque propositas admiserint conditiones pacis; quas inter hæc erat, ut porta S. Walburgis, speciem Arcis referens, ad frenum seditionis imponendum, traderetur Episcopo, Comitemque designarunt seu petierunt Lossensem, qui illam suo firmaret præsidio, proque Episcopo servaret, donec pro excessibus fuisset factum satis, juxta Arbitrorum sententiam, in quos utrimque erat compromissum. Comes Portam ingressus, illius custodiam quatuor è suis Militibus, id est Equestris Ordinis Nobilibus, credidit, quibus gregarii parerent. At quia Cives promissam pecuniæ summam non exolvebant, dimissis specioso titulo Lossensibus, Episcopus locum invasit: dirutâque parte mœnium, Arcem fecit, validèque instauravit, vallo fossaque undiquaque ita cinxit, ut nonnisi per pontem levatilem ad Civitatem pateret exitus. Quod adeò grave & intolerabile visum Leodiensibus, ita plerosque percelluit, ut extemplo promissam adnumeraverint Episcopo pecuniam, seditionumque Capita tradiderint pro merito punienda. Quo verò astu anno 1269. à Civibus intercepta, haud injucundum fortaissis fuerit audire. Cùm lapsu temporis Arcis Custodes tantò agerent securiùs, ideoque ne-

gligentiùs, quòd hostem non timerent, imò ne suspicarentur quidem: raro quippe mortales tantum sollicitudinis & curæ in fine, quantum in principio adhibent. Interim priores Civium pristinæ libertatis avidi, cum animo deliberabant suo siquâ ratione occultoque consilio Arce potiri possent. Commodum se obtulit occasio, Celebrabantur in Urbe nuptiæ, ad quas Arcis Custodes invitati ierant omnes: quod ubi Civitatis Rectoribus clanculum innotuit, capiunt consilium in arena; nec vel hilum cunctati, ad se fidelissimum quemque Civium adnotant; opportunitatem rei pulcherrimæ gerendæ paucis ostendunt: scandunt, armis sub veste tectis, S. Walburgis montem aliis atque aliis viis, ne detur alicujus coitionis suspicio, & præstolarentur quid certus juvenis, quem probè instruxerant, facere jubeat. Hic admodùm industrius & strenuus, defert Arcis Custodibus, quasi omnium planè ignarus, canistrum oppletum speciosissimis uvis. Sola mulier domi servabat, jussaque à Custodibus pontem attollere. Ut juvenem vidit ex mœnibus, negavit se aperturam; ille, ut erat dolo instructus & arte pelasgâ, canistrum ponit præ ponte, ut mulier videat: Custodes ubi redierint tollant, si velint, aiebat & abibat. Mulier ingenitâ curiositate & gulæ illecebrâ, non diù post ostia reserat; rata adolescentem abiisse, pontem submittit grandiusculoque & festinato involat in uvas gradu. Prosilit ex insidiis adolescens, pontem præoccupat, sociosque inclamans, mulierem tantisper manibus constringit dum illi advenerint. In Arcem pervadunt: famâque stratagematis per Civitatem vulgatâ, fit Civium occursus, & breviùs quàm dici potest, Arcem funditus excîdunt; novaque rursus belli contra Principem jaciunt semina; sed Mediatrice Margaretâ matre Comitis Flandriæ, quæ Namurcum venerat, datis à Civibus Episcopo tribus marcarum Leodiensium millibus, pax novissima confirmatur.

Spondet Duci Brabantiæ.

GUillelmus Hollandus Imperator ceperat captivum Raynaldum fratrem Theobaldi Comitis Barrensis in prælio de Westercappel, transactumque erat de lytro ipsi persolvendo. Intervenit Lossensis in hunc modum: *Arnoldus Comes de Los & Chiny. Universis præsentes litteras inspecturis, salutem & omne bonum. Universitatem vestram scire volumus præsentium testimonio littera-*

rum, quibus sigillum nostrum proprium apposuimus, quòd carissimum Dominum nostrum Henricum Ducem Brabantiæ, nobilem virum Gerardum Dominum de Bruck, & Wilhelmum de Perwis, primogenitum Domini de Perwis, qui nunc per Confirmationem Gerardus est vocatus, de mille, ducentis & quinquaginta marcis sterling, pro quibus solvendis Domino Wilhelmo Regi Romanorum in proximo Festo Assumptionis B. Virginis, pro redemptione & deliberatione Domini Raynaldi de Bar, vel mittendis per se militibus ad quindenam post ipsum Festum Assumptionis, si dicta pecunia non solveretur ad nostram petitionem, se plegios constituerunt, acquitabimus & indemnes conservabimus, & ad hoc eis nos & bona nostra undique obligamus, & ut est dictum, eosdem de promissis bonâ fide illæsos & indemnes promittimus conservare. Datum Genapiæ Dominicâ Palmarum anno Domini 1254, qui est stylo Romano quinquagesimus quintus.

Arnulfus apud Cæsarem pro cognato suo Raynaldo Barrensi, utpote proveniente ex Laureta Lossensi, intercesserat, deque lytro convenerat obtinueratque ab Henrico Brabanto aliisque ut fidejuberent, quod fecerunt paratissimè: hinc Arnulfus Chirographo dato pollicetur se fidejussores servaturum indemnes.

1256. Declarationi Godescalci Militis, paulò ante mortem ipsius, quâ fide juratâ asserebat, aquam & piscationem quæ Willonis pratum dicitur, jure pertinere ad Abbatem & Monasterium S. Trudonis, interfuit Arnoldus Comes de Los, Guntramnus & Fastrardus de Berlo, Henricus de Weldehe, Christianus Advocatus, Wilhelmus Castellanus de Montenacken, Milites, & plures alii.

Acerba nimis & imprævisa ejus mors.

CElebrabantur nimis frequenter illo sæculo decimo-tertio Decursiones Equestres sive Torneamenta; in Franconia modò, modò Novesii ad Rhenum, eratque magna superioris & inferioris Germaniæ Nobilitatis æmulatio militaris fortitudinis.

Franciscus Modius edidit Pandectas Triumphales Nobilitatis Franconiæ: legoque in Annalibus Juliæ, Cliviæ, & Montium plures etiam è Principibus Ludorum Equestrium causâ profectos Herbipolim, ubi indici soliti à Franconiæ Nobilibus, signanter anno 1235. Guillelmum Juliæ, & Adolfum Montium Comites; verùm istud miror Ludos illos, tam tristi & deplorando sæpiùs

clausos fine, adeò etiam arrisisse Viris Primatibus, rerum actui assuetis & ætatis maturioris; sed tanti ipsis erat vel vanissimæ qualis qualis laudis amor. Non ita pridem anno 1243. Eberhardus, ut alios taceam, Adolfi Marcæ Westfalicæ Comitis filius primogenitus, & patris in Imperio successor, in ludicra ejusmodi decursione seriò mortem oppetierat Novesii. Certè Arnulfus noster, cæteroquin Princeps laudatissimus, eo quoque nescio cujus maligni sideris impulsu, splendidâ Nobilium cinctus catervâ, perrexit anno 1256. ubi tum indictum celeberrimum torneamentum, ludique equestris comœdia catastrophe verè tragicâ desiit: ipse siquidem Adolfus Montium Comes, Eberhardus Adolfi Marcani primogenitus, aliique triginta sex (horrescens scribo) Viri nobiles immaturâ morte vitam prodegerunt. Corpus exanime, summo familiarium & consanguineorum dolore, publicâque totius Populi commiseratione & luctu, relatum in Patriam, tumulatumque Herkenrodæ.

Lubet hîc aliud exemplum æquè triste afferre ex Miræi Chronico. *Anno* 1251, inquit, *Guilielmus Dampetra, Margaretæ Flandrorum Comitis primogenitus, nuper ab Ægyptiaca captivitate (secutus enim fuerat sanctum Ludovicum Galliæ Regem contra Sarracenos) redux, Trasiniaci in equestri decursione occiditur.*

Arnulfi & Joannæ liberi; Joannes, Ludovicus, Henricus, Gerardus, Arnulfus, Joanna, Juliana, & Isabella.

DE singulis dicamus aliquid. Joannes successit Patri in Comitatu Lossensi, de quo posteà.

Ludovicus secundogenitus Comitatum maternum Chiniacensem sive Chineum, juxta Tabulas matrimoniales adiit; uxorem duxit Sibillam Henrici II. Comitis Barrensis filiam, viduam Comitis Salmensis: sed sobolem ex ea non sustulit. Vivebat adhuc anno 1282. Successit Ludovicus nepos.

Henricus Clericali adscriptus Militiæ, obiit valdè juvenis.

Gerardus Dominus de Chavency, in Comitatu Chiniacensi, an uxorem duxerit non legi. Chavanceum, Gallicè *Chavancyle, Château. Castrum*, inquit Berthælius, *olim Oppido non contemnendo, muris & fossis ad defensionem probè munito cinctum fuit; nunc verò bis per Philippum Burgundum, dum Lutzemburgenses contra suam Principem Elisabetham Gorliciam tumultuarentur, humi prostra-*

tis & oppletis, potiùs pagi speciem præ se fert. Castrum eandem fortunam bellique aleam subiit; sed reædificatum tutandæ Patriæ causâ, insidetur à præsidiariis honesto satis numero militibus. Huic autem, totique ejus per circuitum Districtui, qui latus & fœcundus, regio nomine præficitur Vir nobilis, Præpositi Quæstorisque titulo, qui & simul arma tractet, Centurionemque agat.

Arnulfus Canonicus primùm Leodiensis ac Præpositus Coloniensis, deinde ascendit Cathedram Catalaunensem in Gallia, vitamque protraxit ad annum 1309.

Joanna primò nupsit Theodorico Dynastæ Falcoburgio, viro strenuo, & eâ ætate celeberrimo, è Domo oriundo Limburgica; avum siquidem habuit Waleramum II. Ducem Limburgium, qui ex priore conjuge inter cæteras proles genuit Waleramum Falcoburgium ipsius patrem; ex altera Ermesinde Comitatûs Luxemburgensis herede sustulit Henricum I. Comitem Luxemburgensem, patrem Henrici II, qui prælio Woringano periit, fuitque pater Henrici III, posteà hujus nominis VII. Imperatoris, Theodorici Falcoburgii frater. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, cùm dissideret à Civibus, velletque in ordinem redigere, corripuerunt pro eo arma Theodoricus frater, Waleramus Dux Limburgii, Theodoricus Comes Cliviæ & Theodoricus Heinsbergius, annoque 1262. per domum mœnibus contiguam, admotis scalis, conati sunt in civitatem Coloniensem irrumpere. Pro Coloniensibus stabat Guilielmus Comes Juliæ, sed præcipuè Cœlites: conspicuam namque se dedit B. Ursula cum Sodalibus, item sanctorum Martyrum Maurorum & Thebeorum legio. Quo ostento plerique ita perterriti, atque in primis Theodoricus Clivius, ut quasi siderati ab assultu desistentes, celerrimè corripuerint fugam; Falcoburgius per rimam muri introgressus, vulneribus cedit; Limburgius cum pluribus Viris nobilibus captus, abductus est in carcerem: hodieque in mœnibus, ubi id contigit, extat hujusce ostenti memoria insculpta lapidibus. Atque is infelix vitæ exitus Theodorici fuit. Reliquit filium Waleramum de Montjoye, sibi in Dynastia de Valckenborch successorem, validum & experientem militem, qui ut suo dicitur loco, prælio Woringano magnâ nominis sui celebritate interfuit, fortissimèque pro Gelro contra Brabantum pugnavit. Post se reliquit filium Reynaldum Falcoburgium, Principem magnanimum, suique temporis bellicosissimum, cujus

jus virtuti tamen fortuna non respondit : sagittâ trajectus occubuit anno 1332. in Arce sua Monjoia, ad Effliam, obsessus à Brabanto. Uxorem habuit Elisabetham Gerardi Comitis Juliacensis filiam, & alterius Gerardi sororem. Videri possit Butkens lib. 4. fol. 483. & sequentibus. Reynaldus fratrem habuit Joannem.

Elisabetha filia Theodorici ipso fatali patri suo anno desponsata fuit ab Engelberto Archipræsule patruo Comiti Marcano Engelberto, qui ex ea genuit Gerardum & N. uxorem Florentii Bertoldi Mechliniæ Domini, matrem Sophiæ, uxoris Reynaldi primi Ducis Gelriæ. Atque hinc apparet Walerami cum Gelro affinitas: ut nequaquam mirum sit, si illius fuerit secutus partem ; cùm eo quòd esset oriundus è Domo Limburgica, Dynasta Monjoius & S. Viti in Comitatu Luxemburgensi. Joanna mater deinde convenit in manum Alberti de Voerne in Zelandia. Nescitur utrùm & illi pepererit.

Juliana Domina de Imbise uxor fuit Nicolai Domini de Quevraing in Hannonia, filiam habuit Isabellam Dominam de Quevraing & Imbise, nuptam deinde Godefrido primogenito Domini de Aspremont in Burgundia. Occubuit ipse in Prælio Cortracensi anno 1302. Isabella sterili matrimonio jungitur Thomæ de Coucy Domino de Vervin, Thomæ de Coucy anno 1251. mortui & Mathildis de Retel filio. Illâ mortuâ Thomas transivit ad secundas nuptias Margaretæ de Piquigny. Historiam Genealogicam Familiæ de Coucy edidit Parisiis anno 1631. Andreas Dechesne, atque inter cætera observat, Isabellam Lossensem pro symbolo gentilitio prætulisse *burelé d'or & de gueulle, de dix pieces*, id est decem tænias ex auro & minio. *Thomas Dominus de Vervin*, inquit, *ex Mathilde filia primogenita Comitis de Retest unum genuit filium, filias quatuor. Filius nomine quoque Thomas patri succedens, duxit Isabellam Arnulfi Comitis Lossensis filiam:* quâ sine herede mortuâ jungitur Margaretæ Vice-Domini de Piquigny filiæ, ex qua genuit duos filios, filiam unicam ; quorum primogenitus Thomas patris successor conjugem habuit Aleydem filiam Domini Gerardi de Sottenghien.



Joannes Comes Lossensis & Durassius.

JOannes uxores duas habuit, priorem Juliacensem, posteriorem Isabellam Condæam. De utraque dicamus quæ ad rem faciant. Guilielmo Juliacensi Comiti binæ similiter fuere conjuges; prima Gerardi Comitis Gelriæ filia ex Margareta Brabanta, Henrici I. Brabantiæ Ducis filia, Ottonis Gelriæ Comitis & Henrici Leodiensis Episcopi soror. Ex ea genuit Guilielmum Aquisgrani pariter cæsum, & N. filiam elocatam Joanni Lossensium Comiti, alteram duxit Richardem Walerami Ducis Limburgii filiam, habuitque ex ea Waleramum in Comitatu Juliæ successorem; Gerardum Comitem Castrensem, qui & fratris Walerami filio Guilielmo absque liberis mortuo successit; Ottonem Præpositum Trajectensem; Aleydem Guillielmo Comiti Salmensi in Arduenna nuptam, ac Catharinam Joannis Arenbergici conjugem, Burghgravii Coloniensis. . . . .

Juliacensis illi peperit Arnulfum Comitem Lossensem & Durassium, de quo libro proximo; Ludovicum de Los, patrui sui Ludovici absque liberis mortui, in Comitatu Chiniacensi sive Chineio successorem. Junctus hic matrimonio fuit Joannæ Blamontiæ è Domo Lotharingica anno 1286. Cundunt Monasterium Suicciacense Cruciferorum, paupero quidem censu, sed Privilegiis amplissimis ac valdè utilibus. Liberi eorum, Theodoricus, Godefridus, & Margareta filia unica. Filii obierunt. Improles Godefridus adhuc agebat in superis anno 1250, quod ex Privilegiorum Diplomatis exordio liquet datorum Montemadiensibus: *Nos Godefridus de Los, Comes Chiniensis. Notum facimus præsentes litteras visuris & legi audituris, quòd nos ex certa nostra voluntate & habito consilio fidelium nostrorum &c. Actum anno 1250. feriâ sextâ post Festum S. Jacobi & Christophori.*

Browere. & Mansenius de Annal. Trevirens. lib. 17. tom. 2. fol. 243.

Margareta nupsit Joanni Duci Lotharingiæ, sed sterili matrimonio, postremaque ex sanguine Lossensi Comitatum obtinuit, tumulata in Aurea-Valle, Ord. Cisterciensis, ad dextrum summi Altaris latus, ubi grata Posteritas splendidum illi erexit monumentum cum ejusmodi Epitaphio: *Hic jacet præstantissima & illustris Domina Margareta, suo tempore Comitissa de Los & Chiney, Ludovici quondam Comitis de Chiney ejus nominis V. & Joannæ de Blamont Comitissæ unica filia, quæ fuit posteà serenissimi & illustrissimi Principis*

Joannis Ducis Lotharingiæ conjux, qui Parisiis veneno vitam finivit à suis præparato, cùm Neapolim versus iter meditaretur, ipso die sanctorum Cosmæ & Damiani, anno 1382. Quæ quidem Margareta ex hac vita decessit absque liberis ipso die sancti Remigii, anno salutis 1372, & hic sepulta quiescit.

Et quia sola vera heres remanserat jure repræsentationis, duo supradicti Comitatus fidelitatis causa divisi alter ab altero fuere. Primum, de Los scilicet, usurpavit Adolfus à Marka, Leodiensis tum temporis Antistes, post mortem Ludovici Comitis, prædictæ Margaretæ patruelis, qui obiit pridie D. Sebastiani, anno 1339, utpote quem alter Ludovicus, posteritatis spe destitutus vel diffisus, Hugoni Petrapontio anteà Antistiti sponte in Ara sancto Lamberto sacra obtulerat. Alter verò à morte Margaretæ prædictæ recidit in potestatem Wenceslai Luxemburgensis, Brabantiæ ac Limburgensis Ducis, filii Caroli quarti Imperatoris. Deus optimus, maximus sit illi clemens & propitius. Amen.

Miræus in Notit. Eccles. Belg. cap. 90. vers. Notationes Brower. dicto loco.

Mansit ab eo tempore Comitatus Chiniacensis Ducatui Lutzenburgio unitus. Comites Marcani, Arenbergici, Lumæi & Sedanenses ex Maria Lossensi oriundi.

Tertius Arnulfi & Ludovici frater Guilielmus de Los, Dynasta Novi Castelli in Arduenna, unicam quoque heredem habuit Mariam, nuptam Eberhardo Marcano & Arenbergico Comiti, qui obiit anno 1387, ac per illam diffusus sanguis Lossensis in plures illustres Familias. Fuerat Eberhardus ante conjugium Coloniensis & Leodiensis Canonicus, sustulitque ex Maria Eberhardum filium Ducatûs Lutzenburgensis Gubernatorem, Marcanum & Arenbergicum Comitem. Hic uxorem habuit Mariam Comitis de Bracqmont, in Normannia, filiam, obiitque anno 1440, filiusque eorum Joannes à Marca, Arenbergius & Lumæus Dynasta. Ex Anna Viernenburgica tres reliquit filios, Guilielmum, Eberhardum & Robertum, à quibus Comites Arenbergici, Lumæi & Sedanenses rectâ descendunt serie. Moritur anno 1464. Quia verò masculina stirps in Roberto Eberhardi, ex Roberto filio nepote desiit, & ad Margaretam Arenbergicam Principem successio devoluta, Lumæa stirps subiit, in qua Guilielmus ex Joanna Arschotana, Domina de Sconhoven, Joannem genuit. Obiit ipse anno 1485. Joannes matrimonio junctus Margaretæ Comitis de Weida, & Domini de Ronchet filiæ, è vivis excessit anno 1526, relicto Joanne filio mortuo

anno 1553. Is viciſſim ex Margareta Joannis ultimi Baronis Waſſenarii & Burghgravii Leydenſis filia, Philippum Comitem à Marcha, Lumæi & Seranii Baronem ſuſtulit, qui Catharinam Comitis de Manderſcheit ; & poſt fratris mortem heredem obtinuit uxorem : illiſque natus Erneſtus à Marcha Lumæi & Seranii Baro, Comes de Manderſcheit. De Sedanenſibus agemus lib. 10.

Nequaquam opinari oportet, inquit Bertælius ; *quod hodie novum Caſtellum ſive Caſtrum dicitur, eam nomenclaturam obtinuiſſe ab ortu ſuo : conſtat enim novem Caſtra à novem diſtinctis Turribus munitiſſimis ſuo unaquaque appellata nomine, quæ ibidem ædificatæ cernebantur, Oppidum hoc ſuum ſortitum vocabulum ; primitus enim dicebatur* Neuf Château, *ſed ob vocum conſonantiam deinde dictum* Neufve Château, *novum Caſtellum, inter D. Huberti vicum & Chiniacum Oppidum, ſpatio æquali pene trium milliarium ab utroque disjungitur. Binos indiviſim ſub ſupremo Ducis Lutzemburgenſis Imperio agnoſcit Dominos ; Principem ſcilicet ab Aremberg, & Comitem de Manderſcheit, quorum Adminiſtri titulo Præpoſitorum, magno conſenſu rem publicam in Oppido plurimiſque in vicinia pagis adminiſtrant.* Atque hæc una fortè quæ ad ſæculares Principes devoluta Domûs Loſſenſis hereditas.

Altera Joannis uxor Iſabella Condæa ſive Condati Domina ; & ex ea liberi.

ISabella avum paternum habuit Nicolaum Condati Dominum, aviam Iſabellam, filiam heredem Arnoldi Domini de Moriamez. Pater illius fuit Jacobus Dominus de Conde, de Belleville, Moriamez &c. Mater filia Euſtachii Domini de Reux ; frater ejus Nicolaus Condæam ſtirpem propagavit, diffuditque per illuſtriſſimas Belgii Familias : ſoror Jolenta nuptui tradita Dynaſtæ Walcurio & Rupefortio.

Fuere illi duo, quorum extat memoria, filii Joannes & Jacobus. Hic Canonicus Leodienſis & ſancti Dionyſii Præpoſitus, diem clauſit extremum anno 1330, ſepultus in medio Sacelli ſancti Materni in Eccleſia Cathedrali Leodienſi, cum hac Epigraphe in laminis æreis :

Hic jacet Jacobus de Los, filius Comitis Lossensis, Canonicus Leodiensis, & Præpositus sancti Dionysii, qui obiit anno 1330. tertio Calend. Maii.

Joannes ex hæreditate paterna Dominus de Agimont, Warck, & Givet, matrimonio junctus Mariæ de Flavi; filium reliquit sibi cognominem, Ditionumque suarum heredem. De patre vix aliud eruere potui, quàm quòd vitâ exutus in Italia anno 1310. eo siquidem tempore dissidiis ardebat Italia, mutuisque sæviebant atrocissimè cædibus Factiones Gibellinæ & Guelfæ. Qua de causa Henricus VII. Imp. è Domo Lutzenburgensi eò iter arripuit, tum etiam ut Cæsareo redimiretur Diademate illum comitata Margareta uxor, filia Joannis Ducis Brabantiæ, Waleramus Lutzenburgensis, frater Theobaldus Leodiensis Episcopus, Leopoldus Archidux Austriæ, Guido & Henricus Comitis Namurcensis fratres, Joannes Agimontius, frater Arnulfi Comitis Lossensis, aliique quamplurimi Imperii Proceres. Perbenignè primò Cæsar Mediolani exceptus à Gibellinis, ferreâque ibidem de more insignitus coronâ, inde movit exercitum contra Brixiam, à factiosis obsessam, illiusque in obsidione Agimontius, dum inter primos insultum facit, vulnere extinguitur, eò infelicior quòd Urbem mox captam videre non potuit, magnum sui in Exercitu relinquens desiderium. Et quasi non una Nostratium mors Italiæ sufficeret, Theobaldus Leodiensis Antistes posteà quoque contra Ursinos Romæ decertans, pluribus confectus vulneribus occubuit, ibidem in Porticu sancti Petri magnificè ab inimicis sepultus, qui etiam in mortuo virtutem venerati sunt.

Joannes Agimontius defuncti filius duxit filiam heredem Arnoldi Militis Domini de Walhain, stirpemque Lossensem propagavit. Est autem Walhenia sita in Gallo-Brabantia, potentesque ab antiquo Dynastas habuit, Vexillis sive Baronibus Brabantiæ adnumeratos. Arnoldus de Walhain vivebat anno 1199, suscitavitque ex conjuge tres filios, quorum primogenitus Jacobus de Walhain duxit Ottonis Domini de Domartin filiam: prodiitque ex eo matrimonio Arnoldus de Walhain, prælio Woringano celebris, in quo Godefridum filium perdidit. Erantque illi tres alii mares; Otto, Guilielmus & Arnoldus. Horum postremus, Miles & Dominus de Walhain, habuit ex uxore Guiliel-

mi de Hemricourt filia heredem filiam, atque hæc ipsa nupsit Joanni Agimontio, maritoque in dotem attulit Baronatum de Walhain, quem posteà Carolus quintus extulit in Comitatum. Joannes Dynasta de Agimont & Walhain cum cæteris Brabantiæ Proceribus à patruo suo Arnoldo Lossensium Comiti interfuit Comitiis Cortebergæ Lovanium inter & Bruxellas celebratis anno 1312, sub finem Septembris, illiusque in Historia & Annalibus Brabantiæ frequens celebrisque memoria. Quo desierit anno vivere, necdum reperi.

Joannes tertius hujus nominis Agimontius, Dominus de Walhain & Jauche, tempore Wenceslai Lutzenburgii & Brabantiæ Ducis floruit. Recensetur inter primos Exercitûs Brabantici Duces quo Wenceslaus anno 1371. conflixit contra Ducem Juliæ in Campis Bastwiller, infeliciterque à Brabantis pugnatum est, capto eorum Duce; pluribus Comitibus aliisque Equestris Ordinis Viris & Nobilibus ad ducentos, septuaginta. Uberem profectò vel ille unus nobis suppeditaret materiam persequendi ipsius sagi togæque decora, nisi Majores ejus Brabanti potiùs, quàm Lossenses, ejurato etiam Lossensi nomine & jure in Comitatum, successionis esse maluissent, uti mox dicetur pluribus. Unum tamen silere non possum quod fateamur necesse est in Agimontiis perstitisse scintillam legitimi in Patriam amoris & observantiæ.

Anno 1372. Tudinenses duos ex Scabinis suis proscribunt. Joannes ab Arckel Leodiensis Episcopus eos restitui jubet, missis eò in hunc finem quatuor ex suis Aulicis. Ab horum uno alter Consulum Joannes Hart jussis obsistens, & in Præsulem impotenter debacchans occiditur. Fit toto Oppido tumultus: correptaque à Civibus quæ furor & indignatio arma ministrant; actumque erat de illorum vita, nisi præproperâ sibi consuluissent fugâ. Cadavere Dionantum, Hoium, Leodium delato, ingens motus totâ Patriâ exoritur. Præsul abscedit Trajectum. Horum ut Wenceslaus Brabantiæ Dux per Agimontium intimæ admissionis Consiliarium factus certior, cum eodem aliisque magnæ experientiæ & facundiæ Viris venit Leodium; adjutantibusque summæ Ædis Canonicis, tantâ dexteritate autoritateque egit apud Urbium Deputatos, ut tandem in certas concordiæ & pacis assentirentur conditiones, cujus hæ præcipuæ, ut Episcopus custodiam Stochemii aliarumque Acium non committat nisi In-

digenis, & qui maximam bonorum suorum partem obtineant in Ditione Leodiensi, quique fidi sint & huic muneri pares. Deinde electionem Viginti Duûm Antistes ut approbet & qui in Officialium excessus tam quoad administrationem justitiæ quàm Ærarii inquirant & animadvertant: atque hi sunt stabiles & veri natales Tribunalis Viginti Duûm; sed & hinc exacto ferè biennio, novi exorti tumultus, majorque turbatio, libertas siquidem hæc mox degeneravit in licentiam; finesque æqui & decori longè excessit: neque enim ab Urbibus & Capitulo designatis Viginti Duûm Viris sufficiebat Officiatos Episcopi redigere in orbitam; sed censoriam exigebant virgam in ipsum Principem, inque acta ipsius inquirebant.

Quâ rei indignitate ille permotus, Avenionem proficiscitur, & apud Gregorium XI. Pontificem max. conqueritur de ausis Viginti Duûm, Sacris Patria omnis interdicitur. Ordines exacerbati, inter regem creant Walterum Rupefortium, Dominum de Haneffe, & submittunt accusatores Præsulis ad Pontificem: Nuntius deinde Apostolicus frustrà de pace laborat; Præsulis affines Patriam vastant; Leodii inaudito exemplo Cives adversus Episcopum ab Ecclesiasticis pecuniam extorquent; Hoienses Castrum Mohanum diruunt; ac demum Rerum Leodiensium satagente Agimontio, per Brabantum pax sancitur, restrictâ Tribunalis Viginti Duûm potestate, qualis in hodiernum diem in viridi est observantia: atque utinam Agimontii Majores nunquam abdicassent jus successionis in Comitatum Lossensem! ipse vel pater ejus, mortuo 1336. Ludovico, rectâ successisset lineâ masculinâ; sed ad Dominatum Ecclesiasticum nos fata urgebant.

Affines suos quoad jus successionis in Comitatum Juliacensem dissidentes reducit in gratiam.

ISTud priusquam possimus demonstrare, nonnulla alia quamaltiùs nobis repetenda de cæso Aquisgrani Guilielmo Juliæ Comite Joannis socero. Nescio an à multis retro sæculis tristior acciderit casus, aut in quo prudentiam Viri Principis quispiam magis desideret: adeò illos nonnunquam vindictæ aut dominandi ardor transversos agit, nimiùmque securos eventuum facit occasio, Domandi Aquenses non tam prætensum jus Advocatiæ fuit, quàm quòd vicinus illis Princeps opibus armisque potens, rerum

gestarum clarus gloriâ, jam tum tempus vires suas exercendi opportunum advenisse opinaretur reque ostenderet ipsa civicos impetus militari fortitudini & exercitationi non posse resistere, illos quos sub signis habebat fortissimos milites uno quasi spiritu exsufflaturos quot quot essent inexperientium Civium. Diffidebat ille Juliæ Comes ab Aquensibus, vetusque inimicitia in odium creverat: contendebat sylvam scapulam Urbi vicinam sui esse juris, quòd non modò eorum sit Advocatus, sed numeratâ Richardo Anglo Imperatori designato pecuniâ illam obtinuerit; Aquenses contrà non negabant quidem, eam spectare ad jus Advocatiæ: sed si oppignorationis sit habenda ratio, sese illam obtinuisse à Rudolfo jam imperante pretio septingentarum marcarum. Huc accedebat novumque odii subministrabat fomitem, quòd Aquenses novo se junxissent fœdere Sifrido Coloniensi Archiepiscopo, Guilielmi hosti capitali: hacque præcipuè de causa, quamvis priorem in speciem prætenderet, obstinavit animum Urbem invadere, suamque in potestatem redigere. Erantque inter Cives qui illius conatibus occultè faverent, consiliumque probarent. Cùmque Guilielmus suos ad fortiter audendum adhortaretur rationemque explicaret quâ per muri ruinam penetrarent in Urbem subitoque & inexpectato impetu Cives opprimerent, ita contrà sensisse locutusque scribitur Waleramus Falcoburgius, experiens Miles. *Haud me, fortissimi Commilitones, latet quàm infenso & hostili in nos animo hactenus isti fuerint Cives, quantùmque nostrûm omnium intersit in ordinem redigi, maximè ubi novo in perniciem nostram obstricti fœdere cum atrocissimo Juliæ Gentis hoste Sifrido; in quam dum arma vertimus, illi tergis inhærebunt nostris, aut nobis vix degressis florentissimam depopulabantur Regionem; attamen haud video, nos acturos ex disciplina usuque militari: si pulcherrimum facinus isthac aggrediamur via, cum manifesto omnium nostrûm periculo, non quòd ulla mortis diffugiam discrimina; spectata satis hactenus fortitudinis constantiæque nostræ primordia, ut me degenerem nequaquam arguat timor: sed non locus pugnæ, ipsique adversarii tantum Cives displicent hi quàm à vera legitimaque belligerandi ratione remoti, quos ubi necessitas adegerit, non pro gloria, sed pro uxore liberisque tantùm pugnant; imò veluti catuli in nido irritati ab insita animi ferocia de una modò vita dimicant tantòque fidentiùs, quòd angiportus & viarum noverint diverticula, si impares fuerint viribus. Adduxerunt quidem plures Civium fidelem operam; sed ubi ad rem venietur,* *fal-*

fallent: nonne meritò locus pugnæ displiceat, in quo pugnantibus viris imbelles feminæ possint vel maximè è fenestris officere? Adhæc nonne more prædonum concubiâ nocte Urbem ingressi videbimur, quasi nos pulcherrimi conatûs dispudeat? Quis tum ordines servare, aut adversarium internoscere valeat? Andabatarum morem in tenebris pugnantium perhorresco, mirum quantùm me exterreant vestigia illa omnia spectantia antrorsum, retrorsum nulla; cùm paucis abhinc annis parens heu quando meus Theodoricus, tot spoliis clarus, tantæ tamque formidandæ hostibus prudentiæ & sagacitatis Princeps, simili eoque inauspicato stratagemate Coloniæ intra muros noctu periit, potuitque aliàs Miles laudatissimus huic uni succumbere culpæ. Vos proinde quid facto opus videritis; mihi isthæc sub pectore manet fixa sententia, fortunam nequaquam in nos irritandam, ut profugis Civibus fidere debeamus.

A Guilielmo cæterisque minimè exauditus, expectavit foris rei exitum; periculoque paterno edoctus, omnibus plus unus sapuit: quod igitur infelix inauspicatumque fuit, nocte diem sextum decimum Martii antecedente, anno juxta calculum Romanum 1278, Guilielmus quadringentis septuaginta duobus, partim Equestris Ordinis, partim inferioris notæ, stipatus Nobilibus & Scutiferis, clanculum Urbem ingreditur, Civibus factionis ipsius viam reservantibus; vicinusque Foro, nemine tum adhuc Civium adversæ partis conscio, inclamare jussit barritu bellico: *Julia, Julia nostra Domina.* Quo exciti Cives, erat enim circiter hora tantùm nona, arma corripiunt prosiliuntque foras, factoque cuneo feruntur in hostem maximo quo possunt impetu, uti pro aris & focis pugnari solet. Dubio aliquamdiù marte certatum est; sed cùm fœderati ex condicto non advenirent Cives, cæterorum verò continuò augeretur numerus, cum eo quòd in densæ noctis tenebris nobilissimo fortissimoque cuique Juliacensium cum infimæ plebis hominibus dimicandum foret, quibus neminem internoscerent, nec vires scientiamque militarem exercere possent, obruti tandem multitudine succubuerunt; egregiaque hæc bellatorum phalanx à furente populo ad internecionem deleta. Non cecidere quidem multi, sed nox consilium quàm pugnandi tam ex decoro retrocedendi eripuerat, ipse Comes serâ edoctus experientiâ quibus se induisset cassibus, referebat pedem, & nitebatur præsidii causâ occupare Albarum Dominarum Parthenonem; at in tenebris haud agnitus, obtruncatur cum Guilielmo primogenito duo-

busque filiis naturalibus à Magistro Lanionum malleo ferreo. Annales Juliæ addunt Guilielmum id temporis à Rodulfo Imperatore monitum, ut se ad expeditionem accingeret Bohemicam contra Ottocarum Regem Cæsari rebellem, eoque fine selectissimas conscripsisse copias; sed antè se voluisse vindicare de Aquensibus Sifrido fœderatis, ut intereà vetusti habent versiculi:

Enses Aquenses senserunt Juliacenses,

Gentes elatæ, Gertrudis nocte beatæ.

Tantæ cladis nuntio Coloniam perlato, Sifridus Archymista cùm ob damna sibi illata vetusque in Juliacenses odium, tum icto cum Aquensibus fœderi facturus satis, exercitum collegit, Ditionemque Juliacensem armis invasit, Marcodurum, & Juliacum vi expugnat, Arcemque funditus subruit, cæteraque Oppida suæ facit potestatis præter Nideccam Arcemque Hambrochianam; eòque graviùs in devictos sæviit, quò injuriam prædecessori suo Engelberto Falcoburgio captivitate trium annorum & medii illatam vindicaret: neque enim illi difficile fuerat copias Juliacenses Principe suo, primariàque Nobilitate destitutas, vel primo dissipare impetu palamesque persequi. Atque ita omnia pro libitu depopulatus, destructæ Arcis Juliacensis lapides Tulpetum avehi jussit, ex quibus ibidem Munimentum erigeret.

Res Domûs Juliæ tunc, si unquam, in extremo versabantur periculo: ad publica enim hæc externaque mala accedebat privata & domestica calamitas; Waleramus Aquensis Præpositus, Gerardusque Castrensis Dynasta, Guilielmi cæsi ex uxore Limburgia filii de Principatu contendebant: Waleramus quidem natu senior, sed Clericali adscriptus militiæ, juri successionis renuntiasse Gerardo visus est, ideoque se præferendum contendebat. Nihil horum latuit Joannem Lossensem, qui utriusque sororem, non tamen uterinam, conjugem habuerat, quàmque potuit citissimè ad eos contendit, fratresque valdè graviter serióque monuit, nequaquam modò dissentiendi adesse tempus, quo omnia ab hostibus occupata, metumque incumbere ne avitâ excludantur possessione paternâ; illius retinendi hostisque pellendi circumspicienda præsidia; exiguam illam de Clericatu esse controversiam; Waleramo jure nascendi deberi Principatum; jungant modò consilia & vires, se tam acerbo novercantis fortunæ casu affinibus

haud defuturum; ad quem jure uxorio Juliacensis Ditio fit, transituram, si fratribus stet animo mutuis se ipsos conficere vulneribus. Persuasit eis pro ætatis prærogativa, & opinione prudentiæ quæ voluit omnia, initaque fratres inter pax & animorum consensio; auctique à sororio auxiliari milite, quod reliquum fuit Ditionis ipsorum contra Sifridum tutati sunt.

Eodem mox anno Joannes Brabantiæ Dux & Guido Flandriæ Comes tantum castigaturi facinus, Urbem Aquensem obsident, sed conatu irrito; cùmque Sifridus Archiepiscopus necdum à lacessendo desisteret, Waleramus Dux Limburgius classicum insonuit, magnoque apparatu instruxit exercitum. Advolarunt illico Principes Domûs Limburgiæ ad unum omnes: erat enim Juliacensis vidua soror Walerami. Singuli cum instructis copiis, Adolfus Montium, Henricus Lutzenburgi, Comites, Gerardus Lutzenburgius, Dynasta Durbyensis, Waleramus Falcoburgius, Winandus Monjoius, Godefridus Comes Kessellensis, Goswinus Dominus Bornensis aliique. Adfuit quoque Arnulfus Joannis Comitis Lossensis primogenitus, inque belli societatem pertraxit Theodoricum Heinsbergium, junxitque suas Theodoricus Cliviæ Comes copias. Hi junctis viribus invadunt Archidiœcesim, parque pari Sifrido referunt; expilant, devastant, flammisque tradunt omnia in obsidione Tulpensi: sed cùm longiorem moram traherent, ob Arcem recenter à Sifrido exstructam, supervenerunt Legati à summo Pontifice Martino IV; illisque rerum satagentibus, tandem conceptæ conditiones pacis, quas inter hæc prima erat, *ut Archipræsul loca Juliacensium capta redderet: atque ita paulatim discessum ab armis.*

Aquenses intereà quo sibi consulant, neque enim vanè augurabantur se hujus tragediæ acturos catastrophen, mittunt ad Joannem Ducem Brabantiæ suum in rebus arctis post Imperatorem Defensorem, ut is suâ quâ pollet authoritate & in Cives clementiâ Urbis ruinam arceat. In æquas pacis conditiones inclinabat quoque Sifridus Aquensibus fœderatus: horum itaque interventu & consilio inita pax cum vidua occisi Comitis ejusque filiis Waleramo Comite, Ottone Præposito Trajectensi, & Gerardo Castrensi Domino; decretumque die 20. Septembris anno 1280. ut Aquenses in reparationem damnorum morte Comitis illatorum, publicâ testentur voce & summo dolore, à se tam execrandum in Comitem fuisse commissum scelus, atque omni-

no optare ut infectum reddi possit; ac si res foret adhuc futuri temporis, se nunquam illaturos necem; quin potiùs pro viribus allaboraturos fuisse, ut illius servaretur vita, quod omnino factum oportuit, si noctu potuissent internoscere: deinde pependerunt 15. marcarum millia, dotaruntque quatuor Altaria; unum in Albarum Dominarum Oratorio, ante cujus fores Comes concidit, in Portzetensi Monasterio alterum, duo in oppido Nideccensi, in solatium defuncti animæ. Singulis assignarunt annui reditûs decem sterlingorum marcas.

Trithemius in Chronico Hirsfeldensi scribit, tertiam partem oblationum in Basilica B. Virginis ex devotione peregrinorum, vel undiquacumque provenientium, additam cum Præpositura; postremò è regione Monasterii erexerunt super torrentem Monumentum è secto lapide in cædis ubi perpetratæ muemosyna. Vidi illud aliquando cum horrore quodam, cùm ad animum revocarem tam crudele & barbarum Lanionis facinus.

Nunc mihi ad Joannem Lossensem redeundum foret, si plura de eo scribendi suppeteret materia; sive cætera ejus præclara facta nobis inviderit Vetustas; sive, quod veri credo similius, id temporis magna scribentium fuerit raritas, aut potiùs negligentia. Joannes haud diù post socerum fuit superstes.





LIBER OCTAVUS.

ARNULFUS COMES LOSSENSIS.

Nobilissimæ propaginis ipsius schema, sive ut hodie vocant, stemmatis quarteria.

Arnulfi pater Joannes Comes Lossensis. Obiit circiter annum 1279.	Avus paternus Arnulfus Comes Lossensis. Obiit in torneamento Novesii anno 1256.	Atavus Gerardus de Los. Obiit ante annum 1218.	Tritavus Gerardus Comes Lossensis, conditor Herkenrodæ. Obiit in Palestina 1191.
			Maria Henrici Comitis Gelriæ filia.
		N. Comes Ryneckia.	Gerardus Dominus de Rynecke, prope Herbipolim.
			Hadurgis de Castel.
	Joanna filia primogenita Comitatûs Chiniacensis, sive Chinei heres.	Ludovicus Comes Chiniacensis. Obiit anno 1226.	Ludovicus Comes Chiniacensis. Obiit in Palestina anno 1191.
			N. . . . .
		Joanna Avesnensis, filia primogenita.	Jacobus Avesnensis.
			Petronilla.





Arnulfus novercam cum filiis placat, moxque ducit uxorem Margaretam, Philippi Viandæ Comitis filiam.

ARnulfus, parente mortuo, appulit animum ad connubium, & sibi destinavit tori sociam lectissimam pariter atque nobilissimam virginem Margaretam Philippi Viandæ Comitis & Mariæ Perewisiæ, illustri Ducum Brabantiæ & Lossiæ Comitum per Godefridum III. & Imainam Lossensem sanguine progenitæ filiam, quæ in Gyneceo educabatur Ducis Brabantiæ; sed remoram injecit Nicolaus de Conde, Dominus de Belleville, Moriamez &c. Isabellæ frater, quæ gravissimè querebatur se suosque à marito præ-

teritos filios, nec rei cujusquam stabilis scriptos heredes; Arnulfum privignum, præter amplissimum Comitatum Lossensem, plurimas obtinere Dynastias, easque opulentissimas; Ludovicum patruum spe prolis destitutum Chyniacensem Comitem sibi filiisque relicta, nisi merè inania cassaque sine re nomina: hinc non levis inter Arnulfum & novercam orta contentio. Cùmque ille fratrum instinctu difficiliorem se redderet, Nicolaus (qui in Aula Joannis Ducis Brabantiæ summâ pollebat authoritate) graves exarsit in iras, parùmque abfuit quin ipse curarit denunciari bellum, fretus nempe formidabili Ducis potentiâ. Arnulfus se imparem sentiens, ardentique Margaretæ perstrictus amore, quam nisi pace compositâ se posse minimè obtinere noverat, in has condescendit conditiones: ut Isabellæ assignaretur vitalitius in dotem reditus, filiique Dominia de Agimont, Warck & Givet obtineant, ac reliquo in Comitatum Lossensem illique annexa, in omnem posteritatem, cedant juri, quod & ipsi placuit Duci. Hi publicâ fide hujus Transactionis Codicilli:

Nicolas de Condé, Sire de Moriamez. Sçavoir faisons comme estant debat entre Arnous Cuens de Los d'une parte, & Madame Isabeau ma sœure & Jean & Jacquemin ses fils d'autre, sont accordez que Arnous at donné à Jean & Jacquemin ses freres enffants susdits tout ce qu'il avoit en la terre de Warck, Agimont & Givet, & 500. livres de terre à Blanc Valenchinois, lesquels livres ladite Isabeau doit lever sa vie durante; & parmi ce renoncent lesdits Jean & Jacquemin à tout quant ils pourront avoir en la Comté de Loz. Cest accord est fait à Bruxelle pardevant Jean Duc de Brabant & son Conseil, Messire Gerard Sire de Marbais & du Bruec, Arnous Sire de Diest, Wauthier Sire de Ligne, Tiery Sire de Heinsbergh, Henry Sire de Pietersheim, Guilleaume de Langdries, Jean de Langdries son frere, Alard Sire de Reve, Jean Avois de Loing, Wauthier de Hiers, & Rogier de saint Piere. Donné l'an de l'Incarnation 1280, en Avril, le lendemain de la Pasque fleurie.

Nota, priùs quàm Arnulfus cum Henrico Domino de Pietersheim, reliquisque prænominatis sui Comitatûs Proceribus Bruxellas ad Pacis compositionem discederet, illum cum fratribus Ludovico & Guilielmo diù multùmque in Arce Curingiana agitasse consilia, quid facto opus; persuasumque ab eis, ut novercæ filiis quidem Dominia petita cederet, sed vicissim obtineret, ne illi unquam in Comitatum aliaque inde dependentia succede-

rent: quod haud difficulter obtinuit, dum illi præsentium securitati nimiùm advigilarunt, atque hoc pacto futurorum expectatione exciderunt. Hinc nata popularis Fabella, Comitis Losſensis filios fratrem ſuum exſecuiſſe Curingiæ in Arce; hodieque triclinium à quibuſdam oſtenditur, in quo illud contigerit.

Nec diù poſt Arnulfus exoptatiſſimo Margaretæ potitur matrimonio, ipſo Duce ſatagente pro ſponſa, uti ex hiſce liquet publicis Tabulis:

Nous Jehan par la grace de Dieu, Duc de Lothier & de Brabant faiſons ſçavoir &c. que nobles hommes nos chers couſins & feables Arnous Cuens de Los, vint devant nous & devant nous hommes, qui en après ſont nommez, dota noſtre chiere couſine noble Damoiſelle Margrite fille à noble homme jadit Philippe Conte de Viane, & Noble Dame Marie Conteſſe de Viane, Dame de Grimberges, de quatre cents livres de terre au Lovignois par an en duwaire de droict mariage, & les aſſignat à Damoiſelle Margrite devantdite ſour ſes biens, c'eſt à ſçavoir le Chaſtial de Duras, & ſour le Chaſtial de Chiamont & ſour la Ville de Seppre, avec les appartenances, comme il les tient de nous, & nous Jehan & Arnous devantdits &c. & nous hommes Monſeigneur Jehan le Duc devantdit, c'eſt à ſçavoir Jon Godefrois de Brabant, Cuens de Arſchot, & Sire de Virſon Henry de Lovain, Sire & Herſtal, Wathiers Bertout Sire de Malines, Gerars Sire de Marbais & du Bruec, Arnous Sire de Dieſte, Wathiers Bertout ainſné fils au Seigneur de Malines devantdit, Arnous de Liere, Simon de Judoigne, & Jehan de Liere Chevaliers, à la priere Arnous Conte de Los, avons pendu nos Seaux à la preſente. Che fut fait l'an 1280. le Jeudi après la Nativité ſaint Jean-Baptiſte.

Numeroſam poſt ſe reliquerunt prolem. Sed ecce Sepperen id temporis Oppidum erat, quod Rodulfus Abbas ſancti Trudonis in Vita ejus Septemburiam vocat, quaſi dicas ſeptem bornos ſive fontes.

Guilielmum S. Trudonis Abbatem inveſtit Advocatia Haleghtzenſi, eidemque paulò poſt vendit.

Villa de Haleghtere, antiquiſſima licèt Domûs S. Trudonis poſſeſſio, illamque B. Trudo, prædiorum in Taxandria ſive Campinia ditiſſimus, poſſederit tranſmiſeritque ad poſteros; fuerunt tamen ab antiquo Comites Loſſenſes illius Advocati: cùmque

que hanc Advocatiam dedissent in feudum Guilielmo de Buicht; illeque Comites juris advocatialis longè excederet, adjudicatus fuit à Scabinis Trudonensibus jussusque est contentus esse tertiâ multarum parte, pastuque triginta suum in sylva Abbatis, anno 1261.

Hanc Advocatiam deinde obtinuit Eustachius de Hamele, Arnulfoque Comite annuente, vendidit Guilielmo Abbati & Conventui S. Trudonis: *Universis præsentes litteras inspecturis vel audituris. Arnoldus Comes Lossensis, salutem in Domino sempiternam, & rerum subscriptarum cognoscere veritatem. Ne ea quæ in mente geruntur vel in corde, tempore labantur in futuro, idcirco debent testibus vel litteris commendari. Noverint igitur universi & singuli, tam præsentes quàm futuri, quòd nos Advocatiam villæ de Haleghtere, quam Religiosi Viri Abbas & Conventus S. Trudonis titulo emptionis acquisierunt erga Dominum Eustachium de Hamele Militem, dicto Abbati in feudum concessimus, prout homines nostri feodales, qui dictæ concessioni seu infeudationi interfuerunt, debere fieri judicaverunt, factâ priùs legitimâ renuntiatione & exfestuatione à dicto Domino Eustachio, & ejusdem Advocatiæ in manibus nostris traditione, secundùm quod dicti homines præmissi debere fieri legitimo suo judicio declaraverunt; Abbas verò S. Trudonis prædictus dictam Advocatiam à nobis recepit in feudum, prout mos & consuetudo est Patriæ, secundùm judicium dictorum hominum, qui præmissis interfuerunt, & à nobis super iisdem moniti seu requisiti, quia nec aliquæ conditiones olim fuisse dicebantur super emptione aliquorum bonorum sitorum in villa de Haleghtere inter illustrem virum Dominum Arnoldum bonæ memoriæ Comitem Lossensem ex una parte, & Dominum Wilhelmum de Hamele bonæ memoriæ Militem, quondam patrem dicti Domini Eustachii. Nos dictas conditiones & omne jus, si quod ex dictis conditionibus dicto avo nostro vel nobis accedere potuisset, resignamus, quitum clamamus, & ei expressò renuntiamus; recognoscentes per præsentes litteras, quòd occasione dictarum conventionum seu conditionum, nihil juris habeamus in villa de Haleghtere memorata: debent autem dicti Abbas & Conventus permanere in vera possessione & fruitione dictorum bonorum, tam illorum quæ dicti Abbas & Conventus acquisierunt erga dictum Dominum Eustachium, quæ ab ipsis priùs tenuerat in hereditatem, quàm illorum quæ ad dictam Advocatiam pertinent & ipsi sunt annexa, prout ea dictus Abbas à nobis tenet in feudum, eo tenore omnia quo dictus Abbas, sui prædecessores & dicti Domini Guilielmus & Eusta-*

chius Milites in eadem dicta villa hactenus tenuerunt. Et ne haec omnia praemissa à nobis vel nostris successoribus, vel ab aliquo alio imposterum irritari valeant, violari seu frangi; sed potiùs in perpetuum possint observari, idcirco sigillum nostrum proprium, cum sigillis hominum nostrorum feodalium qui praemissis interfuerunt, & quorum idcirco omnia praemissa sunt acta, praesentibus duximus apponere; videlicet viri nobilis Henrici Domini de Pietersheim, Domini Eustachii de Hamele, Militum, necnon Joannis Castellani de Hosaumont, Seneschalci nostri Lossensis. Insuper ad majorem securitatem praemissorum, sigilla aliorum hominum nostrorum feodalium de nostro Consilio existentium, scilicet Dominorum de Langdries, Wilhelmi & Joannis fratris Militum, ac Domini Wilhelmi de Novo Castro, fecimus apponi praesentibus in signum seu testimonium veritatis praemissorum. Datum anno Domini MCCLXXXI. in die beati Joannis Apostoli & Evangelistae, post Nativitatem Domini nostri Jesu Christi, apud Stockhem.

Hanc Advocatiam deinde idem Comes Guilielmo & Conventui S. Trudonis vendidit. *Universis praesentibus & futuris praesentes litteras visuris. Arnoldus Comes Lossensis cum veritatis notitia salutem. Aeternari debet testibus vel litteris quod gaudère curat aeternae titulo firmitatis; noverint igitur universi & singuli, quòd cùm Vir Religiosus Wilhelmus Dei permissione Abbas S. Trudonis, suo & Conventûs sui nomine, Advocatiam villae de Halleghtere & omne jus, si quod nobis competebat in dicta villa, à nobis in feudo recepisset, & nobis inde coram hominibus homagium fecisset, prout homines nostri feodales debere fieri judicabant: nos habito prudentium amicorumque nostrorum consilio, dictum homagium Advocatiae praedictae cum caeteris juribus ad dictam Advocatiam pertinentibus, de alto & basso, dicto Abbati nomine suo, & sui Conventûs vendidimus pro ducentis libris Lovaniensibus, de quibus nobis recognoscimus esse satisfactum; recognoscentes dictam villam de Halleghtere & Advocatiam dictae Villae cum omnibus suis juribus & pertinentiis, dicti Abbatis & Conventûs purum & liberum esse Alodium, & nec nobis, nec successoribus nostris aliquid juris in dicta villa de Halleghtere, seu in Advocatia praedicta, & omnibus suis juribus & pertinentiis nobis ex nunc reservamus; renuntiantes omni juri, omni exceptioni fori, doli, mali seu consuetudini, vel quibuscumque aliis machinationibus, quibus venditionem praedictam, & praesens instrumentum in posterum nos, vel successores nostri infringere possemus, vel quomodolibet indebitè obviare. Testes qui praemissis interfue-*

runt, sunt hi; nobilis vir ac carissimus in Christo patruus noster Ludovicus Comes de Chiny, ac nobilis vir Henricus Dominus de Pietersheim, Gerardus Dominus de Berlo, Wilielmus de Novo Castro, Walterus de Heere; Milites, Philippus de Horpalen, Joannes Castellanus de Hosaumont, Abraham de Oplieuwen, Ludovicus de Linde, Seneschalcus Lossensis; homines nostri feodales, Adam de S. Catharina, Scabinus sancti Trudonis; dictum autem homagium reportavimus in manus dicti Abbatis & Conventûs sui, secundùm quod homines feodales prædicti ac nostri vasalli per suam sententiam debere fieri judicabant, & secundùm quod dictabat ordo Juris. Ut autem præmissa omnia robur obtineant perpetuæ firmitatis, nos præsenti paginæ sigillum nostrum, unà cum sigillo patrui nostri prædicti Ludovici Comitis de Chiny, necnon Henrici Domini de Pietersheim, & Gerardi de Berlo duximus appenendum. Datum & actum mense Augusto anno Domini 1282, apud Duras in Castro nostro.

Ratione hujus venditionis à Comite factæ Compilator Chronici Trudonensis inquit: *Tempore Guilielmi Abbatis Arnulfus de Los nullum jus habuit in villa nostra de Berlo, nec reditus aliquos, secundùm relationem antiquorum Judicum, nisi solummodò ad Mosam Schandich ibidem, quæ solvebat veterem mitam cum dimidia. Similiter in cæteris villis Monasterii hujus Engelshoven, Ham, Halen, Linchot, & cæteris nihil juris habuit nisi Advocatiam, quæ præcessoribus ipsius collata fuit pro defendendis juribus Monasterii.*

Oppidi Hasseletensis exordia.

Jam dudum frequens & celeber vicus de Hasselt à Comitibus donatus fuerat prærogativis jure Civium Leodiensium, sive erectus in Municipium; at circiter prænotatum annum 1282. ab Arnulfo urbari cœpit, fossâ, valloque cinctus firmatusque portis, assurrexit in Oppidum, idque præcipuè in Margaretæ uxoris gratiam, cui hac ratione vel maximè gratificari studuit. Bilisia, Loscastrum, Sepperen sive Septemburia, Stochemium, sunt quàm Hasseletum multò vetustiora Oppida, quàmvis illud hodie Civium frequentiâ, amplitudine areæ, mœnium portarumque splendore, ac ædificiorum præsentiâ longè superet. Pons lapideus Trajectensis ejusdem cum oppido Hasseletensi ætatis.



Celeberrimo Prælio Woronganο interfuit.

PRælium Woronganum ſic dictum ab Arce Woronx, medio itinere Coloniam inter & Noveſium, quam Joannes hujus nominis primus Dux rogatu Civium Colonienſium obſidebat, quòd receptaculum foret prædonum itinera infeſtantium, quibus attamen Sifridus Archiepiſcopus favebàt, parabatque obſeſſis eſſe auxilio, niſi Joannes prior obſidionem ſolvens, ipſi fuiſſet obviàm, atque cum eo cæteriſque fœderatis Principibus conſeruiſſet manum. Obtentâ memorabili, & à multis ſæculis vix ſimili auditâ victoriâ, rediit ad illam obſidionem, captamque æquavit ſolo. Hoc in omnem poſteritatem memorabile prælium primis verſibus rythmicis Teutonicè deſcripſit teſtis oculatus Frater Joannes Van Heelu, dictus Van Leembe. Dedicavit Opus ſuum Margaretæ Eduardi Angliæ Regis filiæ, conjugi Joannis II. Ducis Brabantiæ: quo illa jucunda tantæ lectione victoriæ ſoceri ſui, aliquem caperet guſtum linguæ Teutonicæ. Hoc carminibus heroicis vertit Vir Trinobilis genere, eruditione, dignitate, mihi notus, ſed qui latere voluit. Ex utroque excerpemus quæ ad rem noſtram faciant.

" L'Archeveſque & ceux de ſon parti ſe rangerent en trois " bataillons, deſquels luy-même voulut conduire le premier, " accompagné de ſon frere Henry, Sire de Waſterborck, & au- " tres pluſieurs Comtes & Barons. Les Princes de la Maiſon de " Limbourg menoient la ſeconde trouppe, de laquelle eſtoient " Chefs le Comte de Luxembourck, Walleran Sire de Rochi " ſon frere, Walleran Sire de Fauquemont & Monjoie, & au- " tres Barons de remarque, avec leſquels ſe joingnerent ceux de " Linage, de Chaeſdrieche. Le troiſieme gros eſtoit à la charge " de Raynaud Comte de Gueldres, qui eſtoit ſuivi de Goſwin " Sire de Borne, & autres Barons de ſon Pays, en quantité. Le " Duc voyant que ſes ennemis s'eſtoient repartis en trois trou- " pes, ordonna que de même on s'euſt à ranger en trois eſqua- " drons, deſquels il print le premier à ſa charge. Avec le Duc " eſtoient ſon Frere Godefroid Sire d'Arſchot & de Vierſon, & " leurs couſins Hugue & Gui de Chaſtillon, fils de Comte de S. " Pol, &c. Le ſecond bataillon des noſtres eſtoit gouverné par " Arnous Comte de Los, Waleran Comte de Juliers, Prevoſt

d'Aix, Gerard de Juliers Sire de Castre son frere, Robert" Comte de Virnembourg, le Comte de Wildenobe, Frederic" Sire de Ryfercheyt, Jean Sire de Beddur son fils, Jean Scei-" vaert Sire de Merode, Drossart de Julliers, le Sire de Dollen-" dorpen, le Sire de Wildenberge, Herman Sire de Thonen-" borch, Gerlach Sire de Dorlendorp, le Sire de Gripsensteyne," & quantité des autres. La troisieme route menoit Adolphe" Comte de Monts, accompagné de Henry Sire de Wendeche" son frere, d'Evrard Comte de la Marche, de Simon Comte de" Teclenborgh, d'Otton Comte de Waldeck, du Comte de Se-" gensage, & plusieurs autres Barons & Seigneurs d'outre le" Rhin. Avec eux se joignerent ceux de la Ville de Cologne:" sous leur estandart notre Duc &c. Le Comte de Gueldres" après s'avoir deffendu quelque temps, fut finallement reduit à" l'extrémité, son cheval tué, luy à pied à petitte compagnie:" ce qu'estant aperceu par Arnous Comte de Loz son cousin," il envoya quelques Sergeants, qui retirerent le Comte, & luy" osterent sa Coste d'armes & brisiers, afin qu'il ne fût reconnu," & le donna en garde à Jean Castelain de Montenack; mais les" trouppes de Brabançons ayant aperceu qu'on vouloit le sauver," pensant que ce fût quelque Chevalier, le menerent avec eux" malgré ledit Castelain. Il ne fut toutefois recognu jusques après" la Bataille, quand on le vouloit desarmer. Le Sire de Faque-" mont ayant perdu sa premiere banniere fit une nouvelle dresser" de ses armes, soub laquelle il assembla maint Chevaliers du" Pays de Gueldres & autres. Avec cette nouvelle route vint" Walleran derechef charger, criant hautement *Montjoie*, &" s'addressa au Comte de Julliers, à qui il combatist en person-" ne quelque temps, & finallement luy perca aussi le col; mais" comme il pensoit se retirer, un Chevalier de la trouppe luy" donna un coup si bien à propos, qu'il luy coupa presque le" nez: & sans Arnous Comte de Loz, & Arnous Sire de Steyne" ses parens, il eust esté accablé de coups &c. Le Comte de Loz" avec les Comtes de Julliers, de la Marck, de Teclenbourck, de" Waldeck & de Wildenobe, les Sires de Castre, de Griffen-" steyne, de Ryfercheyt, de Mulenarck, & de Merode, firent" aussi parade de leurs valeurs; mais ils ne furent si furieusement" assaillis comme les Brabançons, qui soutinrent long-temps le" choque de leurs Ennemis." Hactenus Butkens.

Audiamus modò Versificatorem.

. . . . hæc deinde secuta est
Lossensem præclara manus, Waleramus Aquensis
Præpositus, Terræ Drossardus Juliacensis,
Scheiffart nomen habens, cum Wildenberge Ryferscheit;
Juliaci quoque Gerardus, cognomine clarus,
Herman de Tonnebergch & de Betbure, Joannes
Gelracus, de Dorlendorf, Wilnowe, Grifensteyn.
A Vernenburgo fuit hîc quoque visa Roberti
Insignis virtus . . . .

DE FALCOBURGIO.

. . . . . quidam intereà tamen irruit ultor
Miles ei turpi perstringens vulnere nasum,
Mox vultu Comes obductum Lossensis & à Steyn
Arnoldus curant cautè ex certamine duci:
Sic obiit ope servatus Waleramus amicâ.

Erat enim Joannes Arnulfi nostri amitæ filius.

DE REINALDO GELRIÆ COMITE.

Tum verò Comiti nec virtus, nec color unus
Permanet, exagitat validus præcordia pulsus;
Nulla fugæ tamen imbellis compendia quærit.
At consanguinei Comes ut Lossensis iniquam
Arnoldus sortem agnovit (pro parte Brabantûm
Quàmvis staret,) ei manifesta faventis amici
Signa dedit, illique sagum mandavit & omne
Protinus auferri indicium; dein Montenacensi
Castaldo jubet ignotum subducere pugnæ.
Occultari aliquem quatuor vidêre Brabanti
Armigeri, tacitique ejus vestigia servant;
Quisnam equidem foret ignari, sed mox ut abactum
Conspexêre latus Castaldi deseruisse
(Namque ruens Equitum cuneus disjunxerat ambos,)
Injecêre manus, captivaque brachia stringunt.
Infelix nimiùm, claris indignaque factis

Sors illa Herois, propriis si captus in armis,
Hostes immani debellans marte stetisset,
Armorum immensis anteiret laudibus omnes:
Nemo etenim melior potuit, nec tantus in arma;
Sed malè solliciti curâ est deceptus amici.

His majoris lucis gratiâ adjungamus tertium. Joannes Isacius Pontanus lib. 6. Historiæ Gelricæ inquit: " Coloniensis Archimysta, mediâ acie sibi desumptâ, Westphalos, assuetam statariis" congressibus Gentem, in fronte locat: hinc Gelrus & Falcoburgensis cum Civibus Limburgensibus cornua tenuêre. Invenio peditum eos ultra quatuordecim millia in armis habuisse; equitum" numerus non proditur. Brabanti impares multitudine, at delectum totâ Provinciâ robur, Nobiles magna pars, inter quos" eminebant Walerius sive Walterus, Bertholdus Mechliniæ" Princeps, Arnoldus Diestensis, Arnoldus Wesemalius, Godefridus Comes Viandæ, Dominus Grimberganus, Daniel Bocholdanus, Arnoldus Iscanus, Walterus ab Episcopatu, Robertus" Ascanus, Henricus Heverlensis, Gerardus Rossellanus, Walterus" Folcardus, Henricus Rottressiensis, Arnoldus Hallebecanus, Joannes Rodius, Guilielmus Radingius, Arnoldus Winnegeniensis," Henricus Wilreus, Henricus Oppendorpius aliique, quorum non" suppetunt nomina, mille in universum ac quingenti equites erant," pedites pauci. His equitum Fancorum ala accesserat, à Godefrido" Virsonio fratre Ducis & Guidone San. Paulino adducta. Adolfus" Montanus, Arnoldus Lossensis, Comites, cum singulis cohortibus aderant. Missa itidem à Coloniensibus expedita Civium manus. Nonnulli tradunt Waleramum Juliacensem, Evrardum Malchianum, Henricum Windeciensem, Comites, in Ducis fuisse" acie, sed exiguo comitatu. Hos ita disposuit: Brabantos omnes in" fronte constituit, addito Francico (ut laborantibus subsidio esset," eatenus quiescere jussus) Equitatu. Lossensi cum Coloniensibus" dextrum cornu, lævum Montano datum. Hermannus Wittemius" & Multepartus, qui cum exigua Limburgensium turma in castra" venerant, Brabantis adjuncti; tum primùm Gelri quique aderant" Præsuli. Conspectâ Brabantinorum paucitate, minùs ordinatâ" acie, concitato in eos gradu procurrunt. Id cernens Hermannus Hermalius, Eques Gelrorum prudentissimus, ad Reynaldum conversus: *Donec*, inquit, *agmine tripartito hostem invade-*"

" *bamus, multùm mihi de victoria spondebam; at nunc certissimam cla-*
" *dem metuo*. Et sanè Brabantus hoc ipso multum roboris acces-
" sisse sibi non dubitans, paucis adhortatus est militem, *quòd eum*
" *scilicet hostem in conspectu haberent, quem toties solo nominis sui terrore*
" *in fugam egerant, & toties dari coràm flagitarant; eò se meminissent re-*
" *dactos, unde solà virtute possint evadere; undique cinctos hostibus, pro-*
" *cul Patriâ, procul laribus; non hostium numero territarentur: ni-*
" *hil enim insuperabile viris fortibus esse*, ac simul inferri signa jus-
" sit. Erat in medio via regia, præterquàm quòd cœno altissi-
" mo, profundissimisque voraginibus præpedita fossis etiam la-
" tis, utrimque aquam ex agris deducentibus derivatam, utrim-
" que clausa, ideoque difficilis pugna. Ad hanc substitere Gelri,
" ut in Brabantos, dum tranfirent, inque fossis cœno ac sentibus
" impeditos, impetum facerent. Agebat inter Antesignanos Bra-
" bantorum à Wesemaliorum Familia notus quidam homo sin-
" gulari ferociâ, ut ferè id genus solet. Is vicinus: *Si introea-*
" *mus, Commilitones*, inquiens, *omne agmen qua via regia inter*
" *utrumque exercitum intererat trànsversum rapit*. Illìc initium pu-
" gnæ factum. Coloniensis, Gelrus, Luceburgensis pari impe-
" tu in hostes invecti, frontem, latera, terga circumquaque im-
" petere, pauci multos premere, fisi præsertim multitudine;
" contra hostis nihil illorum copiâ, nihil suâ moveri paucita-
" te. Dux ipse quacumque in parte premi ac laborare suos sen-
" serat, adesse oratione, exemploque accendere: nec aliud Ber-
" tholdus, ac cæteri quoque Nobiles fecêre. Quinque ferè ho-
" ris pugnatum est ita ancipiti marte, ut utro inclinaret vic-
" toria nemo discerneret: ut verò Bertholdum penes Ducem
" dimicantem concidisse, Ducemque ipsum suffosso equo pe-
" destrem pugnam inire, ac in discrimine esse innotuit, præ-
" lium quasi de novo acriùs infestiùsque redintegratum. Luce-
" burgensis certus jam victoriæ, cupidine capiendi Ducis fla-
" grans, undique magno molimine circumfundi, quàque ma-
" ximè laborare Brabantum cernebat, illuc incumbere; conglo-
" merari circa Ducem Brabantini, illum objectu corporis sui cer-
" tatim quisque protegere, ab illo periculum propulsare conati;
" non fatigatio, non vulnera (tantus ardor erat) quemquam remo-
" rari poterant. Præter cæteros in Annalibus Brabantinis celebratur
" Arnoldus Hostadius, ex Patricia Lovaniensium prosapia, vir
" strenuus: hic equo calcaribus concitato, in confertissimam hos-

tium

tium phalangem cùm arripuiſſet, perturbato obvio quoque, ”
pertinaciùs reſiſtentem, ſecuri in cervicem adactâ, trucidavit. ”
Turbari primùm adverſa acies; mox ubi Hoſtadium fortiùs inſta- ”
re vidit, paulatim retrocedere, nec antè cædibus Hoſtadius ”
abſtinuit, quàm hoſte in orbem disjecto, Dux in equum re- ”
centem ſublatus eſſet. Tum verò Dux ipſe, Hoſtadius, Ar- ”
noldus Iſcanius, Daniel Bocholdanus, Arnoldus Weſema- ”
lius, Frambachius quidam Tranſmoſanus Eques, Walterus ”
ab Epiſcopatu fluctuantes, & Hoſtadii facinore conſervati, ”
Luceburgenſes involant; nec ſuſtinere impetum Luceburgen- ”
ſes poterant, nobiliſſimo quoque interfecto: Comes ipſe Hen- ”
ricus, circa quem lectiſſima ſuorum corpora pugnabant, ali- ”
quamdiù impigrè reſtitit; verùm Vexillo à Brabantis direp- ”
to, & equo ipſius à Nerbecano Cuſtode Corporis Ducis con- ”
foſſo, fruſtrà ſuorum fugam ſiſtens, à Waltero gladio trajec- ”
tus occubuit. Additus ei Comes Walterus & Wilhelmus Ar- ”
duennas; Luceburgenſes hoc viſo, nihil ſibi reliqui ad fugam ”
facere. Alia in parte Waleramus Rupius, magnâ ferocitate impu- ”
gnato Francico Equitatu, cum omnibus ferè ſuis interierat ex ”
ea cæde. San. Paulinus ac Virſonius, Brabantinis, ut credebat, ”
à Luceburgenſi laborantibus, opitulatum accurrentes, in con- ”
fectos jam ac diſſipatos Luceburgenſes incidunt. Iterata illîc ”
hoſtium trucidatio, fuiſſetque major utique, niſi Francos, ”
eminus conſpectâ Brabantinorum cum Colonienſi & Gelro no- ”
vâ pugnâ, in aciem rapuiſſet. Colonienſem & Gelrum faci- ”
liùs erat vinci, tum quòd Moſanorum turma deſertrix, à ”
Burghgravio Waſſenburgenſi, & Principe Heinsbergenſi ad- ”
ducta, latera nudaverat. Tum verò Loſſenſis & Montanus, qui ”
ſe eatenus loco non moverant, tunc primùm ſigna in hoſtem ”
convertebant: hinc itaque Brabantinis & Francis, illinc Loſ- ”
ſenſi & Montano inſtantibus, ceſſere Weſtfali, ceſſere Gelri; ”
Colonienſis, non aliâ ſalutis ſpe, Virſonio deditionem fecit. ”
Capti ibidem qui, præter cæteros ſuperiùs enumeratos, auxi- ”
liares quoque acceſſerant, Adolfus Naſſovius, Marcanuſque, ”
quorum Adolphus Romanorum poſteà Imperator fuit. Rey- ”
naldus Gelrus tametſi, omnibus in pugnam tum propemo- ”
dùm conclamatam intentis, de fuga ſatageret, latere tamen ”
San. Paulinum haud potuit, qui inſecutus cum Brabanto, captum ”
ſtitit. Par ferè Falcoburgenſis fortuna fuit: vir utique nulli ”

" id temporis rei militaris peritiâ audaciâque secundus: nam & " Coloniensi & Gelro devictis, non dubitavit ipse unus universam hostium molem in se versam experiri; fuitque diù anceps " prælium. Ad extremum vulneratus, venisset in hostium manus, nisi jure sanguinis illum Lossensis eripuisset captivitatis " periculo. Hæc præclara ad Worongam pugna, quâ inter Brabantum & Gelrum de Ducatu Limburgio certatum est. A quatuor circiter millibus viginti ferè millia sunt debellata. Incidit in Nonas Junii anno 1288. Eam paulò accuratiùs hoc loco " recensendi occasionem præcipuè nobis schedæ dederunt, tineis " ac battis propemodùm laceræ; quas inter cætera suppeditarunt " Archiva Curiæ supremæ Gelrensis, quàmvis Authorem Brabantum, aut in eam saltem partem fuisse propensiorem tenor " orationis passim declarat. Hæc ille.

Ea de causa pauca addamus ex nostrate Hoccemio, quo magis elucescat veritas, qui cap. 16. inquit. "Anno Domini 1288. " die Sabbati Nonas Junii, in die S. Bonifacii, Bellum apud Castrum de Worone famosum committitur & insigne, cujus aliquid succinctè per ordinem explicabo. Cùm Dux Brabantiæ " Joannes hujus nominis primus Ducatum Limburgensem erga " Adolfum Comitem Montanum, cui ex successione legitima " competebat, quòd esset alterius Adolfi Comitis Montani filius, " Henrici Ducis Limburgensis ex Cunigunde Adolfi Montensis filia herede nepos, certâ pecuniæ summâ comparasset; & " Reynaldus Comes Gelriæ, qui Ermengardem Walerami III. ex " illa stirpe ultimi Ducis Limburgensis filiam habuerat uxorem, " sed infœcundam, cum suis fautoribus, præcipuè Henrico Comite Lutzenburgensi fratribusque, & Waleramo Falcoburgio, " ex Waleramo II. Duce Limburgensi oriundus, qui contendebant, Ducatum Limburgium in fraudem heredum alienari " non posse, Terram Ducatûs cum Castris per violentiam detineret; Dux multorum sibi suffragia procuravit, & primò pepigit cum Episcopo nostro Joanne, cujus sororem Margaretam habuerat conjugem, tali formâ, ut quàm citò Dux Terram Limburgensem recuperare valeret, Castrum de Rode, " quod ad Ecclesiam Leodiensem pertinebat, quodque Limburgenses violenter occupaverant, reddere promisit Episcopo, ipsum ad possessionem pacificam reducendo, donec Dux proprietatem Castri evincere potuerit coram Judice competenti,

& super hoc dedit litteras Episcopo sigillatas, quæ in Archivo "
nostræ Ecclesiæ Leodiensis conservantur; sed hæc Episcopo "
cum Duce ipsi leonica fuit. Dux igitur exercitum colligit "
multis Nobilibus exornatum, in quo fuit S. Pauli Comes cum "
cæteris Ducis consanguineis de Francia bellicosis, de Monte, "
de Los, Comites, ac tota Militia Patriæ Leodiensis, quam il- "
luc misit Episcopus in condito &c. Ecce tota Hasbana Nobili- "
tas, quæ hoc sæculo decimo tertio adeò frequens erat, ut quin- "
gentos aliquando eoque plures Equestris Ordinis viros nume- "
raret, in exercitu Ducis erat: cujus tamen Scriptores Brabanti "
omnia ad suæ unius Gentis referentes gloriam, ne vel obiter "
meminerunt, nisi quòd Butkens adnotet sub Vexillo Castella- "
niæ de Daelhem, quod Renerus de Wesegeten præferebat, "
quosdam militasse Hasbanos, dubio procul Viros nobiles, & "
manu milites promptos, è quibus Joannes Van Mulite Eques "
cecidit; Pontanusque scribat, inter fortissimos & Duci fidelis- "
simos etiam emicuisse Frambrachium quemdam Transmosanum "
Equitem, quem ausim dicere Nobilitatis Patriæ Leodiensis An- "
tesignanum, nec minùs obtinuisse laudis quàm invidioso præ- "
teriti sunt silentio.

Revertor ad Arnulfum nostrum. Is Codicillis publicâ fide Bruxellæ datis die Lunæ post Festum SS. Trinitatis anno 1292. maturâ deliberatione præhabitâ, sanoque consilio, in majus pacis & amicitiæ robur, cum Joanne Lotharingiæ & Brabantiæ Duce declarat agnoscitque, se nihil habere juris vel jurisdictionis in omnibus quæ Abbas sancti Trudonis citra Halen, versus Loeseberge & Waenrode possidet; quòdque in futurum nunquam prætendet in illa aliquod Dominium, merum vel mixtum Imperium, sive altam & bassam Justitiam; sed quòd omnis Jurisdictio & Dominium spectet ad Ducem Brabantiæ. Joannes Dux majora pro ratione fidei debita contraxerat quinquennali bello, quod pro Ducatu gesserat Limburgio; necessitateque cogente ad illorum exonerationem petiit subsidium à subditis, qui id suo Duci volentes addixerunt certis conditionibus, ex quibus apud Christophor. Butkens in Trophæis in Joanne III. liquet quàm moderatam & accisam in subditos eâ tempestate Duces Brabantiæ habuerint potestatem extorquendi quodlibet: inter cætera rogat ipse Dux litteris patentibus die Martis post Dominicam Palmarum, stylo Romano, Æra Christiana 1293. datis. Comes totius

Orbis Christiani Principes, nominatim Imperatorem Romanum, Ducem Lotharingiæ, Mosellanæ Comites, Arthesiæ, Flandriæ, Blesensem, Hannoniæ, Niverniæ, Hollandiæ, Episcopum Ultrajectinum; item Comites Gelriæ, sancti Pauli, Cliviæ, Lossensem, Juliacensem, Dynastam Falcoburgium, Jacobum San. Paulinum, Archiepiscopum Rhemensem, Episcopos Cameracensem, Leodiensem, & Tornacensem, ut si ipse vel heredes pacto cum subditis non steterint fallantve fidem, ipsi Principes partes suas suorumque deserentes, subditis omne velint præstare contra se suosque auxilium, favorem & consilium, &c.

Eodem anno, Dominicâ post Nativitatem beatæ Mariæ Virginis scribit fideli suo Joanni dicto de Grangia, eidemque præcipit ut terminos figat Dominii de Hallechtere, quod Abbas S. Trudonis obtinet dividatque è cæteris sui Comitatûs terris. In cujus mandati robur, appendit suum sigillum, cum sigillo Joannis de Opleewis, Militis, sui Dapiferi.

Antistitam Nivellensem vice Imperatoris Adolfi investit Regalibus.

JOlenta de Steyne recenter designata Abbatissa Nivellensis recusabat Regalia accipere investirique à Joanne II. Duce Brabantiæ. Prætextus erat, quòd Advocatia Nivellensis foret immediatum Feudum sub Imperio, quòdque Joannes necdum foret ab Imperatore investitus; eaque de causa missis ad Cæsarem Adolfum litteris, petivit sibi Regalia Investituramque conferri ab aliquo Principe, transito Duce Brabantiæ. Quod Brabantus molestè tulit, paulisperque dissimulavit injuriam, quòd recenter defuncto parente, Imperium nactus foret multis magnisque difficultatibus obnoxium. Cæsar Abbatissæ postulatis annuens, ejus investiendi curam dedit litteris Oppenhemii datis anno 1295, juxta stylum Romanum, die quintâ Januarii, nobilibus Viris & fidelibus suis Arnoldo Comiti Lossensi, quem consanguineum suum vocat, & Joanni Domino de Brueck affini: duravitque (quàmvis haud difficile Duci fuerit vindicare injuriam) hæc ipsum inter & Abbatissam contentio ad annum Christi 1349, tertium diem Calendas Maii, quo Carolus IV. Imperator, Conventu Principum Wusthercæ Oppido Lossensi habito, prætensum Abbatissæ revocavit Privilegium, declaravitque Joannem III. Ducem Brabantiæ successoresque ejus verum & ordinarium Abba-

tissæ Dominum, atque ab ipso & successoribus debere Monasterii Nivellensis Regalia, & quævis temporalia recipere tanquam verò & ordinario Domino. Arnoldus Comes hoc ipso anno 1295. sepulturæ suæ locum Averbodii irrevocabiliter deligit.

Augustinianos Hasseletenses dotat.

ILli in Corileto vitam ducebant eremiticam, & ab omni rerum sæcularium tumultu remotam ab anno 1236, & citiùs, uti in Hasseleto nostro domonstravimus; at ubi vicus de Hasselt urbari fierique incolarum frequentiâ celebrior, Augustiniani quoque christianæ pietatis cœperunt obire munia, Curionis fieri administri, atque prædicatione verbi Dei, ægrorumque consolationi ac Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ administrationi incumbere: fueruntque pluribus Comitibus à sacra Confessione & Oratorio. Ut de prioribus nihil dicam, Arnulfo huic & piissimæ ejus conjugi Margaretæ, quos experti in se admodùm propensos & munificos, atque in primis in aliquod publicæ navatæ operæ præmium, Monasterium exemptum ab omni censu, juxta hoc illorum Indultum:

Universis præsentes litteras inspecturis. Arnoldus Comes Lossensis, salutem & cognoscere veritatem. Noveritis quòd nos, de consensu & voluntate expressa Dominæ Margaretæ uxoris nostræ carissimæ, ob salutem & remedium animarum nostrarum, & purè propter Deum, Priorem & Conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, unà cum fundo seu loco in quo morantur in Oppido nostro de Hasselt, ac ædificiis in eodem loco seu fundo constructis & Deo dicatis, necnon instituendis in futurum, à solutione censûs in quo idem locus ratione fundi in Curia nostra jurisdictionis inferioris de Hasselt, nobis singulis annis tenebatur, ex nunc & in perpetuum hereditario jure, ex gratia speciali absolvimus, quittamus & quittos clamamus per præsentes; mandantes attentè nostris Justiciariis, ac aliis nobis subditis mandatum ex parte nostra habentibus, ne contra præmissa per se vel per alios quidquam attentaverint in futurum quod sit contra piam nostram intentionem, & gratiam à nobis præmissis concessam. In cujus rei testimonium nos Arnoldus Comes prædictus, pro nobis & nomine uxoris nostræ prædictæ, sigillo tradimus sigillatas anno Domini 1296, in crastino beati Gregorii Papæ & Doctoris.

Idem, cum consensu filiorum suorum Ludovici & Arnoldi

anno 1304. dicto Monasterio assignant aliquot modios filiginis super Molendino de Hasselt in eleëmosynam.

Idem Comes Arnoldus, pro remedio animæ suæ & animæ Margaretæ quondam uxoris suæ, anno 1321. fundat Capellam seu Altare in eodem Monasterio, in honorem S. Huberti, assignatis certis censibus, qui nobis malignitate temporum in maximam partem perierunt. Necrologium nostrum paucis omnia complectitur.

Undecimo Calendas Septembris Anniversarium generosi Comitis Lossensis Arnoldi, qui contulit nobis tres libras capiendas in Duras, ad diversa prata, jam disperditas, & dotavit Altare sancti Huberti in Conventu nostro, cum Missa quotidiana, ut litteris desuper confectis patet. Insuper dedit Conventui nostro certos modios siliginis, pactûs & mensuræ Hasseletensis, capiendos ad Molendinum. Obiit anno Domini 1328. Huc facit sequens concessio.

Universis præsentes litteras visuris, & audituris. Nos Arnoldus Comes de Los necnon & de Chiny, salutem & rei subscriptæ cognoscere veritatem. Noveritis quòd nos Joannem dictum Duyfken & Elisabeth ejus uxorem, ab omni exactione & vexatione civili eximimus & quitamus, ac ipsos cum omnibus bonis sibi conservare volumus, quia dictus Joannes & uxor ejus coram nobis Priori & Conventui Fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini Domûs in Hasselt, supportarunt & dederunt se & omnia bona sua, tam mobilia quàm immobilia, quæ nunc possident & possidebunt, purè propter Deum, & pro salute animarum suarum, ad honorem Dei, S. Mariæ & beati Augustini, & simplici donatione irrevocabiliter inter vivos, Priori & Conventui supradicto post mortem dictorum Joannis & Elisabethæ habenda & possidenda, excepto uno bonuario terræ arabilis, ab ipsis conjugibus Mensæ Spiritûs sancti in Hasselt relicto & legato. In cujus rei testimonium & munimen, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum anno Domini 1306. quartâ die mensis Februarii.

Hugoni de Chalon Leodiensi Episcopo fert suppetias.

Nobilis ex Warosia Gente adolescens, rusticanâ puellâ locuplete ex Auwansio vico anno 1297. in matrimonium ductâ, supellectilem ejus evehebat, quam sibi deberi Dominus de Auwans ejus vici Defensor seu Advocatus contendebat, quòd puella esset ex subdititio genere, & aliò emigraret. Inde ad ar-

ma ventum ab utraque Familia & affinibus, vastati agri, Castra obsessa; Auwansios, qui ferociores videbantur, Præsul jubet ab armis discedere. Obtemperare nolentes repentè in Auwansio Castro circumsistit, & ad petendum veniam adigit, conceditque eâ lege, ut supplici habitu, pedibus nudis, procedant à porta S. Martini ad Cathedralem D. Lamberti Ædem, sellasque equinas capitibus deportent: ac biennio post ingens Hoii, obtentu injustæ sententiæ, & ob avaritiam Judicum, seditio oritur, plebsque armata Scabinorum omnium ædes expilat. Episcopus placandæ plebi Scabinos exauctorat, novosque substituit. Exauctorati Leodium cum familiis refugiunt opemque implorant: inde Leodiensibus bellum in Hoyenses & Præsulem, variæque excursiones utrimque & cædes. Episcopus veritus ne illa nobilium Familiarum dissensio recrudescat, vicinos sibi studet conciliare Principes, atque ut cum suis quisque copiis sint auxilio, bellique præstent sumptus; Joannem Ducem Brabantiæ designat Ecclesiæ Leodiensis Defensorem seu Mamburnum, eique dat in beneficium Hugardiam & Bavenchiniam; Comitibus Hannoniæ Tuinium cum Castro, Namurcensi & Lossensi alias atque alias Ecclesiæ Leodiensis possessiones. Interim Hugo Romæ apud Bonifacium VIII. Pontificem accusatur à Leodiensibus de bello Hoyensi, quo plures Clientes Ecclesiæ Leodiensis impunè cæsi, de corrupta moneta, aliisque capitibus. Discussa à prudentissimo Pontifice causâ, specie altioris gradûs Hugo transfertur ad Archiepiscopatum Bisantinum in Burgundia, sed Leodiensi Cathedrâ tenuiorem; reverà ut turbis Patriæ imponeretur finis: surrogaturque Adolfus Ottonis Comitis de Waldeck filius, qui jactatam diù & quasi convulsam Ecclesiæ Leodiensis Navem in tranquillitatis tandem subducat portum. Graviter ab initio videtur ab Hugone peccatum, quòd Plebi contra Patricios Nobilitatemque plus æquo indulserit. Adolfus Hoienses mulctat, Fossenses adversum se insurgere ausos comprimit, Mirevartium diruit, & revindicat Senatores, Scabinorum fultos præsidio expellit Leodio, non armis, sed Mitrâ & Baculo Pastorali, ac mox anno 1302. moritur. Quin imò Hugo Episcopus dederat Joanni Duci Brabantiæ in feudum Mechliniam cum inde dependentibus, ut ipse jura & jurisdictionem Ecclesiæ Leodiensis recuperaret contra iniquam Berthouthorum usurpationem; sed ille rem suam, non Ecclesiæ Leodiensis egit: transe-

git ſiquidem cum Joanne Berthout, ut ipſe medietatem Mecliniæ à Duce habeat in clientelare beneficium, juraque partiantur: & quo Cives haberent obſequentiores magiſque addictos, anno 1301. die S. Luciæ ſacro, ampliſſimis donarunt privilegiis, præcipuè ſcapulâ ſalis ab Antuerpienſibus antehac habitâ. Inter teſtes recenſentur primi Henricus Comes Luxemburgenſis, Ducis ſororius, Godefridus de Brabantia, Dynaſta Arſcotanus, & Virſonius Ducis patruus, Arnoldus Comes Loſſenſis, Guilielmus Juliacenſis, Præpoſitus Trajectenſis, Godefridus Comes Viandæ, Waleramus Dynaſta Falcoburgius & Monjoius, &c.

Adeſt Adamo S. Trudonis Abbati in magna quæ illum premebat difficultate.

CHriſtianus dictus Welnere, cùm ſibi connubio copulaſſet Dominam de Buſcho, cujuſdam Equeſtris Ordinis Viri viduam, impediebatur à novæ nuptæ conſanguineis, ne ipſius adire poſſet poſſeſſiones & prædia. Rei indignitate delatâ ad Scabinos Trudonenſes, ſed ab adverſa parte delinitos muneribus, eaque ex cauſa negotium protelarent, nec adduci poſſent ac controverſiam decidendam; Chriſtianus adſcitis ſibi tribus fratribus, graviſſimè apud Primores Oppidi de injuſtitia expoſtulat, audaciſſimumque quemque Civium in ſuas partes pertrahit, rogatque adverſus Scabinos auxilium. Hac ex ſcintilla exoriente ingenti incendio, Cives inter ſe primò clanculum coeuntes, ac deinde palàm tumultuantes, quendam Walterum de Dieſt, cognomento Wantermannum, anno 1303. factionis Caput Oppidique creant Anteſignanum, qui ferociâ ſingulari, Civibus annuentibus, die ſeptimâ menſis Julii Scabinos comprehendit, caveæque Lombardorum includit. Erat id temporis Trudonopoli apud Adamum Abbatem Arnoldus Comes, qui collatâ operâ ſedato non nihil tumultu populari, poſteaquàm poſtridie toto fruſtrà laboraſſent antemeridiano tempore, ut illos tali captivitate eriperent, domum pranſuri redeunt. Interim Scabinorum unus Arnoldus Probus, ſibi graviora metuens, cuſtodiâ elabitur Oppidoque excedit: quod Cives moleſtè ferentes, perfidiamque interpretari, arma corripiunt, ac Wantermanno ductore penetrant in Abbatis triclinium, ubi is cum Comite pranderat;

sed exaudito tumultu, se in latebras abdiderat; Comitemque vi cogunt se concomitari ad Probi Scabini ædes: quòdque sit Advocatus Trudonensis, cui ex officio incumbat, si Officiales Dominorum fuerint in defectu, administrare Justitiam, tribunitiâ quâdam authoritate, seu potiùs arrogantiâ adigunt, ut primus domum Scabini virgâ feriat. Nullus apud inconditam multitudinem tergiversandi locus. It Comes vel invitus, percutitque ostium; tum verò certatim in domum involant, direptantque, sternunt solo, vineamque Probi juxta Portam Stapulensem excîdunt. Regressi in Oppidum, Arnoldum Domini Roberti de Glinden filium, nullâ furentibus præbitâ occasione, crudeliter in Foro trucidant, strictisque gladiis involant in Monasterium, totisque debacchantur ædibus. Cœnobitæ conantes per murum evadere, retrahuntur ex fuga, jubenturque seminecti servare domi.

At flexaminâ oratione ac assiduâ Comitis operâ sedatâ tandem multitudine, Scabini educuntur è custodia die ejusdem mensis 12; quos invitatos ad mensam cœnatosque Comes Abbasque unà secum Oppido exire jubent, atque ad tutiora recedere. Sequuntur mox uterque Prætor; omnibusque illis vix digressis, Capitanei Plebeïorum tribuunt omnem jurisdictionem, dominiumque Urbis ad se derivant, Prætoremque Abbatis Joannem de Winde per angiportum, vulgò *Vissegat*, redeuntem clanculum vulnerant, & nisi Monasterium fuisset præsidio, occidissent.

Eodem anno pro Festo sanctæ Barbaræ, cùm Adamus Abbas in villa Alhensi gravibus de causis conveniret Theobaldum Leodiensem Antistitem, monetur à fideli sancti Trudonis Cliente, ne istâ vesperâ divertat ad novam Curiam (eo Castrum Abbatis primo ab Urbe lapide censetur nomine) sed secedat in Kerkem ad germanum suum Godefridum. Paruit is suo vel maximè bono: nam Capitanei intempestâ ad novam Curiam advolant nocte, rati se ibi reperturos Abbatem, ut captivum abducant; sed illo minimè reperto, pecora jugulant, supellectilem diripiunt, faciuntque prædæ, quæ possunt omnia. Abbas maleficos citat ad Tribunal Scabinorum Aquensium, Episcopus Oppidum interdicit Sacris, Pastoresque diffugiunt, ac anno proximo Officalis Leodiensis Wautermannum cum suis resipiscere nolentem ferit anathemate: cùmque frustrà forent omnia, obstinassentque in malo animum, Theobaldus Episcopus, & Adamus Abbas, Ad-

vocatusque illorum Arnoldus Comes, selectam numeroque ducentes satis militum turmam, consederunt loco aprico, Brustemium inter & Oppidum, juxta viam militarem, ac coram Scabinis Imperialibus Sedis Aquensis huc evocatis, Scabinisque Trudonensibus, de Oppidanorum queruntur manifesta rebellione, & intolerandis excessibus: quod factiosissimi illorum non veriti, Dominorum jura, jurisdictionem, & regalia per violentiam invadere, sibique arrogare. Quæ cùm sint judiciis indubitatis, testibusque probata, petunt sibi administrari justitiam; Scabini itaque jusserunt sibi primò statui Sedes, partim solum Episcopale, partim Abbatiale, quæ premerent, quòd limites eorum ibi coeant. Nihil tamen vel sic legitimè peragi poterat, quòd rei campanâ bannali non forent citati ad Judicium; sed mox Satelles ex audacissimis, honorario centum librarum Turonensium conducitur, qui æs campanum pulset. Is clanculum ingressus Monasterium, illud movet, auditurque per Oppidum viciniamque sonitus. Tum Scabini ibidem, quòd intra mœnia prohiberentur jus dicere, decernunt sententiâ definitivâ, Walterum de Diest, quatuor fratres dictos de Walnere, nepotem illorum, criminis lesæ majestatis reos, omni excidisse honore & jure Patriæ, bonaque illorum addicunt Fisco. At campanâ diutiùs sonante, Cives convolarant ad arma: & quàmvis certissimis nuntiis audivissent, adesse Episcopum cum Comite non absque validis copiis, ausi tamen sunt portis egredi, aciemque in prourbio Scharhonio instruere. Moniti tamen à Comite ut recedant, edoctique quid actum sit, non nisi proscriptos septem turbarum incentores, & rebellionis antesignanos, nihil severiùs statutum in cæteros Cives, retulerunt pedem, seseque sine turba receperunt quisque domum: atque hoc pacto reddita pristina pax tranquillitasque Oppido, dum pœna ad paucos, metus ad omnes transit. Anno 1306. satis periculosa oritur Bruxellæ contentio inter Plebeios & Patricios de obeundo Magistratu. Audacissimi illorum præsentiam ipsius Ducis nihil veriti, certas Patriciorum expilant domos, Magistratumque ex Plebeiis creant. Joannes Dux agebat Tervueren, Ducali à Bruxella secessu; acceptoque hoc nuntio, vigilanti curâ egregiam militum manum Vilvordiæ coire jubet: quod ubi rebellibus innotuit, conclamant ad arma, obviàmque progressi, cæduntur à militibus. Eodem die Dux advenit Bruxellas, nempe Calendis Maii, sedatoque tumultu, de-

inde mense Junio Patriciis suis sua restituit privilegia, septem hisce Familiis, Serhuyghs, Sweers, Sleeuw, Rodenbeck, Sreeloff, Steenweghe & Coudenbergh, atque ex iis oriundis, ut ipsi annuum Magistratum perpetuò administrent, exclusis Plebeiis; defuncto Magistratu, successores designent, quos tamen Duci integrum sit non admittere, si videatur, aliosque ex iisdem tamen creare familiis: ut penes illos permaneat administratio Hospitalis S. Nicolai, quo Patricii tenuioris fortunæ eo uti valeant. Decretaque à Duce alia ad publicam Urbis tranquillitatem*; sigillatique harum Prærogativarum Codicilli à Gerardo Comite Juliacensi ac Domino Sichemiensi, Arnoldo Comite Lossensi, Chiniensi & Durassio, Joanne Dynasta de Cuick, Florentio Berthout, Domino de Berlaer, aliisque Brabantiæ Proceribus.

Christin. ad Consult. Bruxel. art. 11. n. 5.

Mense Septembri ejusdem anni Dux statuit, ut quoties oriatur aliqua popularis dissentio Lovanii, illius cognitio modificatioque spectet ad Scabinos Lovanienses suosque ibidem Consiliarios. Huic concessioni quoque ut testis subscripsit Arnoldus noster, Mechlinia nuper Brabanto per Henricum Gelrensem Episcopum reclamante, licèt sancti Lamberti Capitulo oppignorata, ac ab Hugone quasi dono data ab anno 1304, ad Theobaldum ultio redierat, qui præteritorum quoque dederat veniam; inde tamen anno 1307. bellum cum Duce, & pax citra sanguinem. Annoque sequenti Theobaldus quoque transegit cum Ægidio Berthout Advocato super juribus in urbe & agro Mechliniensi, hancque conventionem in hunc modum rogatus &c. *Nos prædicti, Episcopus, Capitulum, Ægidius Berthout, ac Communitas villæ Mechliniensis, rogamus nobilem virum Arnoldum Comitem de Los & Chiny, quatenus sigillum suum velit apponere præsentibus in testimonium veritatis.* Ipse noster quoque signavit hoc tenore: *Et nos Arnoldus Comes de Los & Chiny prædictus, ad requisitionem prædictorum, sigillum nostrum præsentibus litteris, unà cum prædictis sigillis duximus apponendum. Datum anno Domini* 1308. *feriâ sextâ post Festum S. Andreæ.*



Fidejubet pro Heinsbergio.

GOdefridus Dynasta Heinsbergius & Blankenbergius Codicillis anno 1310. die Mercurii post Natalem Domini nostri datis fertur sibi oppignoratam Arcem, Oppidum, Agrumque Wassenbergensem à Joanne II. Duce Brabantiæ pro summa pecuniaria decem millium librarum Turonensium monetæ Regis Franciæ; sanctèque pollicetur quàm citò dictam summam à Duce receperit, se pignus illud illico restituturum, fideique suæ jussores dedit Gerardum Juliacensem, & Arnoldum Lossensem Comites, necnon Ludovicum ejus primogenitum: erat enim Arnoldi nostri sororius, habebatque tori sociam Mechteldem sororum natu maximam.

Joannem II. Ducem Brabantiæ extremâ infirmitate laborantem visitat. Ipsius res domi gestæ.

ILle dudum conflictatus cum calculo, indeque secutâ infirmitate, mortem sibi instare sentiens, convocari jussit Cortenbergæ, Bruxellam inter & Lovanium, Ordines Patriæ. Illis per formam testamenti ultimæque voluntatis plurima eaque amplissima indulsit Privilegia. Christophorus Butkens recenset lib. 4. *Hisce Tabulis publicis ipse Dux sigillum affixit suum; affixêre & ipsius rogatu Gerardus Juliacensis, & Arnoldus Lossensis, Comites; Reynaldus Dynasta Falcoburgius & Monjoius, Florentius Dominus Mechliniæ, Gerardus Dominus Diestensis, Castellanus Antuerpiensis, Raso Bredæ & Liedekerce, Gerardus Horne, Arnoldus Wesemale, Arnoldus alter Wesemalius Bergarum ad Zomam, Gerardus Comes Viandensis, Grimbergæ, Walterus Angiæ, Henricus Bertholdus Duffeles & Gelæ, Guilielmus Cranendonei, Joannes Wavere & Dongelbergæ, Gerardus Jacea, Joannes Rotselariæ, Joannes Eudicæ, Joannes Agimontis & Walbaniæ Domini, aliique plures è Nobilitate Brabantica. Anno* 1312. *die* 27. *Septembris.* Nec Dux supervixit nisi ad diem 27. sequentis mensis, quo illum Lossensis invisit, magnâque mutui amoris significatione exceptus est. Vide Miræum Notit. Eccles. Belgii cap. 228.

Veniamus ad ea quæ nos paulò propiùs attingunt. Theobaldus Barrensis, Leodiensis Antistes, ante biennium Henricum

VII. Luxemburgium Cæsarem secutus in Italiam, hoc anno 1312. Romæ strenuè contra hostes Pontificis Clementis V. ac Cæsaris pugnans, vulneribus conficitur ac sepelitur in D. Petri: atque ita Leodinâ Sede vacante, Patricii Leodienses nuper à S. Lamberti Canonicis compressi, nunc vindictæ avidi, cum reliqua Patriæ Nobilitate adversus illos conspirant. Hinc dum malo Capitulum Leodiense præproperè obviare studet, ac Interregem seu Mamburnum Patriæ creat, Primoribus Civitatis non auditis, inconsultâque Nobilitate, virum quidem Nobilem Arnoldum de Blanckenheym, sed Sacris initiatum, summæque Ædis Præpositum, intestinis bellis, magnisque tumultibus totam involvit Diœcesim: Nobilitas siquidem Leodiensis, Hoyensis & Hasbanica cum Ludovico Chyneo Comite, Arnoldi Lossensis primogenito, fœdus iciunt, conquesti *dignitates sibi debitas eripi ab Ecclesiasticis, functionesque profanas confundi sacris; Nobilitatem hactenus manus abstinuisse ab iis quæ Ecclesiæ concernant dignitatem; ac proinde sibi videri iniquum, si officia merè sæcularia invadantur ab Ecclesiasticis; Mamburnum deberi exercitui præfici, milites ducere; quorum cùm sint ipsi primi, se nequaquam debere latere sub quonam militaturi sint; hactenus interfuisse ejusmodi Interregis electioni; satis accisa sæcularium Privilegia; solos Ecclesiasticos omnia ad se pertrahere; suis non satisfieri argumentis.* Sic quidam è Capitulo responderunt, *Episcopum inconsultâ Nobilitate, Primoribusque Civitatis, creari solitum; quantò magis Mamburni designationem ad Capitulum spectare*; quasi idem sit administrare sacra, atque exercitum ducere, Episcopum agere atque Imperatorem: cùm ipsi intereà conantur non modò facultates, verùm vitam & sanguinem in bello profundere. Nihil tamen obtinuerunt, sed Blanckenheymius Præpositus Interregis auspicatur munus, dominationique stabiliendæ sibi Populum Leodiensem conciliat; & quasi subfuturi sint longè clementiori sub Ecclesiastico jugo, pertrahit in suas partes. Quod molestè ferentes Patricii, quartâ Augusti noctu armati in Foro coeunt Lanionumque officinas evertunt; quibus cohibendis cùm populus, qui advenerat, non sufficeret, Præpositus statûs quasi sui oblitus, in Ecclesia accensis facibus, illi auxilio venit cum armatorum manu, quam ex Canonicis illorumque famulitio, cui & Abbas Prumiensis, Præpositi frater, se junxerat, conflaverat; sed ad primum congressum, extinctis luminaribus, ac Waltero de Brunshove Canonico cæso, pugna-

vit infeliciter. Inter hæc populus pugnam instauraturus undiquaque affluebat ingenti copia : cui cùm Patricii & Nobiles se viderent impares, pedem referunt, & instructâ acie enituntur in S. Martini Montem ; quos dum Populus duce Præposito insequens, angustiorique viâ ingressos invadit, Præpositusque ferventiùs instat, cum pluribus prosternitur. Jamque in Montem invaserant, Portâ Ecclesiæ S. Martini evasuri : Joannes siquidem de Ponte Consul, eorum Confœderatus, id eis pollicitus erat se Portam illam reservaturum ; verùm Populi furentis perhorrescens multitudinem, Socios illo periculi imminentis articulo fefellit. Unde Rusticanis de Vothem Carbonumque Fossoribus per Portam S. Margaretæ in auxilium Populi advolantibus, qui in tesseram quòd pro Præposito & Canonicis starent, lineas vestes albas superinduerant (inde fortè vestitus ille vulgo mansit, quem *Sarot* vocant ;) Nobiles sancti Martini ceu tutum futurum asylum Ecclesiam occupant, foresque præcludunt. Populus, quantùm numero auctior, tantumdem ferocior, & quasi in furorem actus, undique circumponit materiam aridam, Ecclesiamque accendit : miserabilique & indigno Viris fortibus mortis genere, quotquot intraverant, cum ipso in cineres redacto Templo, perierunt. Fuere supra ducentos, pars alia per privatas domos elabitur : aiuntque quidam in unius matronæ, quam Mariam Foxiam vocant, domo servatos quinquaginta supra centum, delinitis præbito potu Civibus. Horrendum istud ac prorsus barbarum facinus : reliquam Nobilitatem, in primis Lossensem pessimè habuit Comitem. Nec tantam injuriam animo concoquere poterant ; sed singuli vindictam spirabant : miri tum totâ Patriâ fuêre motus, magnaque scelerum impunitas, ut fieri solet dum qui facinora cohibeat, sontesque plectat vix ullus extare creditur. Collecti grassatores vexare omnia rapinis, vias obsidere, deprædari quoslibet, nullo discrimine ; sed omnium maximè horrenda fuit illa recrudescens duarum nobilium Familiarum Warouciæ & Awantiæ dissentio, quæ occasione hâc iniquissimi temporis arreptâ, de alterutrius excidio quasi contendebant. Warouciarum partium erat Caput Henricus Hermallius, magnâ pollens authoritate apud Nobilitatem & Populum Hoyensem : illique se junxerunt Warfuzeii, hactenus quidem amicitiâ juncti Awantiis, sed recenti stimulati injuriâ, ab eis secesserant. Awantiorum nomen tuebatur Guilielmus Ha-

neffius Vice-Comes Waremiæ, potioremque partem Nobilitatis Hasbaniæ ad se pertraxerat; accedebant ipsius consanguinei ex Brabantia, Wesemalii & Lidekerkii; jamque veluti justo decertaturi prælio, utrimque in acie stabant. At quia Waroucis se Populus Hoyensis adjunxerat, altera pars numero inferior, levi dumtaxat velitatione commissâ, quâ Henricus Wesemalius, strenuus miles, & Joannes de Lobost interierunt, ad tutiora sese recipit. Non cessabatur intereà ab assiduis pugnis: alteri alteros adversariæ partis quocumque reperissent loco interimebant. Fuerunt Ditioni Leodiensi illa de Awans & Waroux nomina quasi fatalia, uti Hollandis Cabellanii & Hocsii; Italis Guelfi & Gibellini; Rosæ Albæ & Rubræ Anglis: triginta namque & septem, quibus hæc contentio duravit annis, interempta utrimque duo supra viginti millia. At demum anno 1335. per duodecim ab utraque parte delectos Judices decisa controversia, solidaque pax coaluit: mansitque ab eo tempore in Civitate Leodiensi munus duodecim Pacificatorum. Intereà Adolfus Marcanus, Præpositus Wormatiensis, Aurelìis in Gallia studiis operam dabat, qui à Philippo Pulchro Galliarum Rege per litteras commendatus Clementi V. summo Pontifici, cùm Avenionem illius salutandi causâ venisset, ab eodem, anno 1313. mense Aprili, Leodien. Episcopatum Ordinemque Subdiaconatûs obtinuit, moxque alios ab aliis consecutus Ordines sacros, etiam Episcopus inunctus. Quòd Ditio Leodiensis maximis exagitaretur turbis, summoque foret in discrimine, haud gravatè obtinuit à Pontifice, ut ad belli gerendi maleficosque compescendi impensas, Mechliniam Gullielmo Hannoniæ & Hollandiæ Comiti oppignoraret pro quindecim florenorum millibus, sed quæ intra quinquennium teneretur eluere. Promisit itaque Leodium, qui apparatus facerent bellicos, arma, commeatumque coemerent in proximam expeditionem; Populus imprimis Leodiensis, sibi malè conscius, se jungit Capitulo Leodiensi, & Awantiorum Antesignano Guilielmo Hanneffio, qui occisorum vindicibus infensissimi erant, eaque de causa Capitulum, primæ apud Episcopum authoritatis, ab eodem per Legatos obtinuit immanis istius criminis abolitionem, idque tantò procliviùs, quia favore operâque Populi Leodiensis ad stabilendum Dominatum indigebat: ne tamen nihil punivisse videretur, Civitati instaurationem Templi imperavit, atque hoc pacto ad se pertraxit Capitulum Populumque Leodiensem, to-

tamque Nobilitatem Domûs de Awans. Attamen quia Arnoldus Comes reliquaque Nobilitas Populusque Hoyensis cum Waroucìis potiores erant, novumque inter se fœdus icerant, Adolfus Episcopus, priùs quàm Leodii pridie Calen. Novemb. inaugu-raretur, sibi amicitiâ societateque copulavit Gulielmum Hannonium & Reynaldum Falcoburgium, maternâ licèt stirpe Lossensem, illosque tum super mensam rogavit, sibi ut adsint ad hostes contundendos, & quicumque pacem abnuerent. Neve Falcoburgius clientelari beneficio Arnoldo obstrictus Comiti, offenderet graviùs, Feudum quod ab eo tenebat, transtulit in filium suum Joannem, qui illud relevaret.

Hoc Comes cæterique consternati nuntio, Hannonium maluerunt controversiæ arbitrum quàm adversarium, deprecatorem apud Præsulem quàm hostem, illique significarunt: qui postulatis eorum benignè annuens, haud gravatè ab Episcopo obtinuit cessationem ab armis, saltem ad Calendas Februarii anni proximi, quo difficultates aliter quàm illatâ vi componi queant. Episcopus tamen ad arma propensior, induciis vix finitis, & tamquam jam certus victoriæ, educit exercitum, placuitque primum ex adversariis adoriri Lossensem; quo expugnato reductoque in ordinem, sibi videbatur facilis de reliquis victoria. At Comes in omnem paratus rei eventum, sub signis, præter selectam peditum phalangem, habebat mille sexcentos equites; quod ubi Episcopo certâ innotuit fide, distulit illum aggredi, nec ausus pugnæ jacere aleam. Hac opportunitate quidam à Canonicis utendum rati, tot tantarumque turbarum & contentionum pertæsi, ad mitiora propendebant consilia; quòd à neutra parte vinci posset absque ingenti totius Patriæ damno, & præcipuè Capituli, persuaseruntque Præsuli ut controversia cum Lossensi ceterisque Fœderatis transigeretur per Arbitros utrimque pari designandos numero. Placuit hæc quoque conditio Comiti cæterisque Fœderatis, nisi quòd Hoyenses obluctarentur. Designantur octo ab unaquaque parte: quatuor qui S. Trudonis ingressi Oppidum, se fidei sacramento obstrinxerunt, neminem horum octo Portâ elaturum pedem, nisi controversiam deciderint. Cùmque diù multùmque illos inter disceptatum fuisset, nec coire in unam possent sententiam, unus Deputatorum Principis Oppidum obambulans, pressusque vesicæ onere, excessit portam Oppidi sibi vicinam, quò magis ex decoro fieret

quod

quod natura urgebat. Hoc audito, alii adversæ partis acclamavêre illum violasse inspiratum, nec cum cæteris arbitrari posse; nec sufficere si duo è tribus secum sentiant: sed mera fuit isthæc cavillatio, quâ tamen Conventus Arbitrorum solutus, resumptaque utrimque arma, præcipuè à Hoyensibus & Warousiis, qui metu pœnæ rebellantes, dissipantur à Præsule redeuntque ad obsequium. Sed anno mox sequenti 1315. concitantur rursus à rebellibus quibusdam Hoyenses, quin & ipsi Leodienses adversus Principem, qui relicto Leodio, Curias Dionantum transfert, opemque Joannis III. Ducis Brabantiæ implorat obtinetque, assignatâ illi à Duce Læviâ Oppido, unde bellum Leodiensibus inferat. Sævitur utrimque cædibus & ignibus; donec sequenti anno inter partes mutuis damnis attritas pax fit tumultuariè, Fexana mox firmiùs stabilienda. Audiamus Mailliartium in Descriptione Abbatiæ Vlierbacensis, omnia isthac redigentem in compendium.

Obierat, inquit, *Theobaldus Episcopus Leodiensis die tertiâ Maii anno* 1312. *Successerat Adolfus Everardi Comitis à Marcha, & Emingardis Limburgensis filius. Sed quæ irrepserant, Sede vacante, toto Leodio & Patriâ Leodiensi mala, seditiones, latrocinia, homicidia, aliaque facinora, non cessebant; augebantur potiùs sic, ut nec in primariis Urbibus tutus quispiam ab iis esset. Medium ergo obviandi tantis malis Adolfus quærebat, sed frustrà; tentaverat jam id in spiritu lenitatis, sed malitiam hominum auxerat: unde saniùs judicans arma capescere, seditiosorum aliquot Capita è medio tolli jubet. At incurabili morbo nec hæc medicina profuit: confœderantur Leodiensibus Hoyenses atque Tungrenses anno* 1315, *rebellionisque suæ Præfectum creant, Ludovicum Comitem Chiniacensem, Arnoldi Lossensis Comitis primogenitum; armaque in suum vertentes Principem, ejus Oppida & Arces diruunt, & quotquot à parte ejus stabant, tanto persequuntur furore, ut ipse Princeps summè angustiatus, fugamque in Brabantiam capescens, Vlierbacense, Ordinis sancti Benedicti, Monasterium hospitium habuerit. Quæ ad Brabantiæ Ducis aures ubi pervenerunt, eòdem ipse advolavit, omnemque ei opem obtulit: & hoc ipso loco fœdus ineunt, quo etiam Franciæ & Angliæ Reges, necnon Comes Flandriæ comprehendebantur, ubi & Præfatus Joannes Dux hospitii gratiam retribuens, circa administrationem Justitiæ privilegia auxit Vlierbacensis Cœnobii.* In hunc modum ille. Fexanâ deinde Pace in primis comprehensi Arnoldus filiusque

ejus Ludovicus, Comites; posteriorque ibi suum edidit Diploma, quod utinam hîc interserere liceat.

Arnoldus cum aliis Imperii Principibus deducit Ludovicum Bavarum Aquisgranum, ibidem Diademate redimendum Imperiali.

EXtincto miserabili casu in Italia Henrico VII. Cæsare, fit schisma in Imperio: Archiepiscopi siquidem Moguntinus & Trevirensis, Joannes Rex Bohemiæ, Volcæmarus Marchio Brandeburgensis, puatuor ex septem Viris, aliique ipsis adhærentes Imperii Proceres, elegerunt mense Octobri anno 1314. Ludovicum Bavarum, reliqui tres ex septem Viris, Henricus Archiepiscopus Coloniensis, Rudolfus Dux Saxoniæ & Rudolfus Comes Palatinus, Bavari licèt frater, cum suis designarunt Fredericum Austriacum, Alberti Imperatoris filium. Hinc ingentes in Imperio turbæ summaque de Principatu contentio. His tamen nihil consternati, Gerardus Juliacensis, Reynaldus Gelrensis, Arnulfus Lossensis, Comites, Bavaroque faventes, illum salvum & incolumem perduxerunt Aquas in regiam Imperatorum Sedem, & ibidem Festo Epiphaniæ proximo redimitur ab Archiepiscopo Trevirensi Diademate regio, præsente etiam Joanne Duce Brabantiæ, qui impendio partes Bavari adjutabat. Nec cessabant intereà Principes adversæ factionis; sed Coloniensis Archipræsul, assistente sibi Adolfo Marcano Leodiensi Episcopo, eodem ferè temporis articulo, Frederico Austriaco regalia Imperii Insignia Bonnæ contulit: atque hinc Lossensem inter & Episcopum aucta simultas, quòd hic Austriaci, ille Bavari sequeretur partes, cujus metu Adolfus tamen non audebat Lossensem nimium lacessere.

Interest solemnitati nuptiali, & inaugurationi Joannis III. Ducis Brabantiæ.

JOannes III. Dux Brabantiæ magnâ frequentiâ & solemnitate celebratis Bruxellæ nuptiis cum Maria Ludovici Regis Francorum filii filia, Comitis de Evreux, cùm Lovanii inauguraretur, veteraque privilegia à præcessoribus Ordinibus Brabantiæ indulta, juxta consuetum confirmaret, novaque indulgeret, illorum tenorem suis firmarunt sigillis Ludovicus Comes de Evreux, Ducis socer, Gerardus Juliacensis, & Arnoldus Lossen-

sis, Comites, Reynaldus Dynasta Falcoburgius, Florentius Berthout Dominus Mechliniæ, Gerardus Diestæ Castellanus Antuerpiensis, Arnoldus Wesemale Mareschallus Brabantiæ, Philippus Bredæ & Ledekercæ Dominus, anno 1314. die Veneris post Octavam SS. Petri & Pauli.

Jus Advocatiæ Monasterii sancti Jacobi Leodiensis explicat.

ANno 1315, die S. Mathæi Apostoli & Evangelistæ, Arnoldus Comes Lossensis, & Margareta ejus uxor, interveniente consensu Ludovici Comitis de Chiney, Filii eorum primogeniti, declarant quòd ratione Advocatiæ Monasterii S. Jacobi Leodiensis, ad Comites Lossenses spectantis, de bonis ejusdem Abbas & Conventus solùm sibi teneantur annuatim in tribus marcis, sex solidis Leodiensibus, pelliceo & bottis. Ita Grieten ex Archiis ejusdem Monasterii. Anno sequenti, octavo Idus Martii, Margareta Comes, juxta nostrum Necrologium, obiit.

Hasselletum cudendæ Monetæ deputat, illiusque curam mandat Civibus.

JUs cudendæ Monetæ tam est regâle, ut illud ipse Cæsar Regesque sibi solis primitus diùque asseruerint, in signum supremæ potestatis & dominii: quòdque honoris illorum utilitatisque publicæ vel maximè interesset pecuniam cudi probam, ritè signatam, justæque qualitatis & ponderis; etiam in Aulis suis habere voluerunt Tabernam Monetariam, illique præficere homines experientes & bonos. Longioris tamen lapsu temporis & illud jus Cæsareo Regumque remanavit clientelari beneficio ad plures Principes, Duces, Comitesque, relevatumque ab iisdem cum Principatibus & Dynastiis, uti fusè Sixtinus J. C. probat in docto Opere de Regalibus: nec mirum igitur inter graviores Principum curas semper enituisse rationem rei monetariæ. Certè Arnoldus Comes Oppidi Hasseletensis Conditor, quo toti Patriæ consuleret, illique novum aliquod adjiceret decus, veterem Comitum Lossensium Basilicam Monetariam eò intulit: & quem admodùm Joannes Brabantiæ Dux ex Bruxellensibus quinquaginta, quadraginta ex Lovaniensibus selegerat pecuniæ signatores, assignatoque pari operæ pretio, eosdem anno 1291.

egregiis donaret prærogativis; ita & Arnoldus anno 1315. quadraginta nominavit ex suis Hasseletensibus, qui Lossensem adinstar Brabantinæ pecuniam cudant signentque, eodemque operæ pretio & privilegiis, quibus Brabantini, frui voluit, quæ deinde Theodoricus Comes rata habuit auxitque anno 1350. In primis ut Monetarii à jurisdictione suorum Officialium, præterquam in criminibus enormibus, exempti sint, correctionique proprii Præpositi & Juratorum subjaceant, ne Accisias, Gabellas, Precarias, &c. solvant, vigiliis servandis, aliisque Civium moribus ne sint obnoxii, gladiatis uti Aulæ principalis Ministris incedere liceat, multaque ejusmodi, quæ longum foret recensere. Easdem deinde immunitates Leodienses Episcopi & Principes, tanquam Comites Lossenses, ad modernum Maximilianum Henricum, comprobarunt ac renuntiarunt. Hoc eodem anno Venerabile Sacramentum Herkenrodæ miraculis celebrari incipit.

Immunitatem Nobilitatis Lossensis firmat.

ARnoldus ære alieno aliquando gravatus, ut ipse fatebatur, rogavit aliquod debitorum exsolvendorum subsidium pecuniarium à Comitatûs Lossensis Militibus & Armigeris: cùmque illi suâ sponte & liberè addixissent; Milites, id est Equestris Ordinis, decem solidos, veterum grossorum Turonensium; Armigeri, id est inferioris Nobilitatis, quinque: ipse & fratres ejus Ludovicus Chiniacensis, & Guilielmus Novi Castelli in Arduenna Dynasta, declararunt, istud nequaquam factum ex subjectionis debito, aut jure sibi competere, sed dumtaxat precario, & præstandæ fidelitatis causâ observantiæque erga suum Dominum. Neque secùs ejusmodi exactiones pecuniarias Militibus & Armigeris imponi posse vel à se vel à suis successoribus. Huic donationi, præter Arnoldum Comitem & fratres ejus, etiam sua appenderunt sigilla Gerardus Comes Juliacensis, eorum avunculus, Godefridus Dynasta Heinsbergius & Blanckenbergius, Arnoldi gener, Gerardus Dynasta Hornensis, & Gerardus Diestæ Dominus, similiter gener. Eadem deinde prærogativa in simili debitorum casu fuere renovata anno 1411. die 27. Aprils à Joanne Bavoro, designato Leodiensi Episcopo & Capitulo.

A tous ceux qui ces présentes lettres verront & oront, nous Ar-

noult Cuens de Los, Louis Cuens de Chiny, & Guillaume ses freres, Sire dans Neufchatel en Ardenne, salut & connoissance de verité. Connu soit à tous que comme les Chevaliers, les Escuyers, & le Pays entierrement de la Comté de Los, ayant regardé & consideré que grands dommages & grands costs adviennoient tous les jours sur nous pour grandes debtes que nous deviens & devons encore en plusieurs lieux, dont il leur poise grandement; lesdits Chevaliers & Ecuyers, pour le grand amour & loyauté qu'ils ont à nous, sont accordés & ont octroyé de leur bonne volonté, sans distinction de mutny & sans droicture nulle, que pour nous à aider aysser lesdites debtes que nous devons, nous ont donné & donnent de leur bonne volonté; chacun Chevalier dix, & chacun Escuyer cincque sols de vieux gros tournois, dont nous les regrations tres-grandement: car nous n'y avons point de droit, four de leur bonne volonté. Et pour amitié qu'ils nous ont fait, nous leurs avons entoneus, & permettons que lesdits Chevaliers & Escuyers de ladite Comté de Loz, de ce jour en avant, ny prierons ny requererons à cause priser d'argent nulle par droiture que nous y ayons ny autrement: & si nous y avismes droit que nous ne sçavons nous & nos hairs, les en quittons & clamons quitte bonement à toujours mais perpetuellement. En témoignage de laquelle chose nous Arnoult Cuens de Loz, & Louys Cuens de Chiny & Willaume ses freres devantdits avons pendus nos seaux à ces presentes lettres & avons prié & prions à haults hommes & nobles notre cher Seigneur & oncle Gerard Comte de Juliers, Godefroid Seigneur de Heinsbergh & de Blanckenberge, Gerard Seigneur de Horne, & Gerard Sire de Diest, qu'ils pendent leurs seaux à ces presentes lettres avec les notres. Et nous Gerard Comte de Juliers, Godefroid Sire de Heinsberge, Gerard Sire de Horne & Gerard Sire de Diest, à la priere & requeste de ces Comtes & Willaume Seigneur de Neufchastel avons pendus nos seaux à ces presente lettres avec les leurs, lesquelles lettres furent faites & données l'an de grace mille trois cens & vingt, le jour de Feste saint Gregoire. Etoit signé Stephan. de Horion. *Par copies des lettres saiellées cy-dessus copiées & deuement collationées à l'original.*

Par extrait d'une vieille lettre en parchemin escrite d'un vieux caractere & trouvé conforme. Ce que j'atteste, Lamb. Ogier *Nottaire public.*

Ex hisce Tabulis publicis inter cætera obſervo, Ludovicum Arnoldi fratrem reipſa fuiſſe Chinienſem Comitem, quamvis hujus filius præferret titulum, tam antiqua titulorum ejuſdem Familiæ communio.

Arnoldus ſignat Tabulas quibus Joannes III. Dux Brabantiæ privilegia Gerardo Domino de Dieſt confirmat.

U*Niverſis nos Joannes Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgii Dux, notum facimus, quòd nos nobili viro conſanguineo noſtro Gerardo de Dieſt, & Caſtellano Antuerpienſi, & ſuis poſt ipſum heredibus & ſucceſſoribus omnes chartas & privilegia à noſtris anteceſſoribus data approbamus & confirmamus, & rogamus fideles noſtros nobiles viros, Gerardum Comitem Juliacenſem, Arnoldum Comitem Loſſenſem, Joannem Dominum de Cuyck, Henricum primogenitum Domini de Cuyck, Joannem dictum Berthout de Mechlinia, & Danielem de Bochout Militem, ut præſentem paginam velint ſuis ſigillis roborare. Actum Bruxellæ anno 1323, in die ſancti Jacobi Apoſtoli.* Miræus producit Notit. Eccleſ. Belgii cap. 228. pag. 677, ſed in eo videtur lapſus in deſcribendo, quòd hæc referat ad annum 1333, cùm Gerardus & Arnoldus Comites obierunt præcisè anno 1328.

Fert ſuppetias Epiſcopo.

ANno 1325. Familiæ de Waroux & de Awans, non obſtantibus, quas pactæ erant, induciis, atrociſſimam inter ſe commiſerunt pugnam in campis juxta *Donmartin*, in qua Warouſii cum Warfuſeis ſuccubuerunt, cæſique ex illis Henricus Hermalius, Joannes Landris, Joannes de Cervo, & Helinus de Latines, omnes Equeſtris Ordinis, præter quadraginta nobiliores ſuæ factionis, cæteris fugâ elapſis. Nec Awantiis incruenta fuit victoria: ex parte nempe Guilielmi Haneffii Caſtellani Waremiæ, nuper Balteo Equeſtri donati, Joannes de Jehaing Miles, & Butorii fratres ejus, cum duodecim aliis Nobilibus occubuerunt. Et quas pactas violaverant inducias, Adolfus Epiſcopus, juxta Decreta Patriæ, contra utroſque jure egit. Victi, exolutâ mulctâ, obtinuerunt ipſius gratiam; victoribus Leodienſes, tum ſeditioſi ſi unquam, perſuaſerunt ne exſolve-

rint, polliciti facti impunitatem. Hos contra Episcopus copiosum conflavit exercitum, in quo fuit ipse Joannes Rex Bohemiæ, Comites Marcanus & Lossensis, aliique decem; sed Rege & plerisque ex Comitibus, Adolfo non satis faventibus, ingens ille re infectâ defluxit exercitus, Civitate Leodiensi Awantios protegente contra Episcopum. S. Lamberti Collegium transfertur Hoyum, paucis Canonicis Leodii remanentibus.

Arnoldus, uti à Pace Fexana fuerat Episcopo conjunctissimus, ita tum ipsius partes pro viribus adjutabat; sed desertus à Rege Bohemiæ, cæterisque Fœderatis, etiam ipse necessitati cedere coactus fuit.

Trudonines Dominis suis Episcopo & Abbati infesti, novorum tumultuum semina jaciebant, & præcipuè jure Abbatis conabantur accidere. Quod cùm Arnoldus, uti Advocatus, minùs posset compescere, quòd illi Leodiensibus adhærerent contra Adolfum, Adamus Abbas coactus fuit interpellare Ducem Brabantiæ, qui ejusmodi litteris publicis declaravit quòd sui foret muneris.

Nos Joannes Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ Dux. Notum facimus universis, quòd nobis placet & justum fore censemus, quòd quotiescumque injurias, violentias, gravamina, & impressiones inferri contigerit à quocumque, temporibus adfuturis, Religiosisque Viris, Abbati, & Conventui Monasterii S. Trudonis, Ordinis S. Benedicti, Leodiensis Diœceseos, quorum sumus superior Advocatus, in jurisdictione, juribus, & Dominiis, quam & quæ dicti Religiosi habent habereque dignoscuntur in Oppido S. Trudonis & Districtu, libertatis ejusdem, aut alibi, quòd nobilem virum Dominum Comitem Lossensem, vel ejus successores, tamquam Advocatum, in dicto Oppido S. Trudonis, ratione Advocatiæ hujusmodi, quam à nobis tenet in Feudum, legitimè requirant, ut eisdem Religiosis exhibeat vel exhibeant seu exhiberi faciat aut faciant, prout ex Advocatiæ tenentur officio, super suis querimoniis justitiæ complementum. Qui Comes aut successores ejusdem Advocatiæ, si prædictis Religiosis contradixerint, omiserint, vel neglexerint procurare fieri justitiam; nos extunc memoratis Religiosis faciemus fieri plenam justitiam cum effectu suo, & quando fuerimus super hoc requisiti, prout ratione Advocatiæ superioris dicti Oppidi ad hoc existimus obligati. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris est appensum. Datum Bruxellis anno Domini millesimo trecentesimo

vigesimo sexto in crastino beati Lamberti Martyris & Episcopi.

Ipsius mors & liberi.

ANnum & diem istius suprà adnotavimus. Post mortem illatus in Abbatiam Averbodiensem, Ordinis Præmonstratensis, à Majoribus ejus fundatam, ubi sibi vivens Monumentum posuerat, quod nuper, cùm vetus Ædes sacra æquaretur solo, videri desiit. At spero reverendissimus Antistes Servatius Vaes, pro sua in benefactores gratitudine, ubi Neobasilicam, quam maximo molitus sumptu, animoque longè majore, ad culmen perduxerit, Arnoldo Comiti cæterisque, & præcipuè Ludovico Fundatori, dignam illius statuet memoriam. Exemplo præluxerunt Antista Herkenrodana & Abbas S. Jacobi Leodiensis, qui Conditoribus Gerardo & Balderico, illa ex ære, hic ex nigro marmore in medio Odeo erexêre cœnotaphia.

Filios ex uxore habuit Ludovicum primogenitum, de quo paulò agemus post Joannem & Arnoldum; quorum non alia memoria, nisi quòd posterior anno 1304. sigillarit patris litteras, quibus benefecit Augustinianis Hasseletensibus, deinde Tabulas matrimoniales sororis suæ Margaretæ anno 1327. Videntur obiisse cælibes. Fuit prætereà Bastardus Martinus Dominus *vander Lamen*, qui virtute & prudentiâ si fratres non antecelluit, certè adæquavit, egregiisque factis natalium diluit. Masculam inseram posteritatem. Posteri ipsius illo Dominio fruiti, celebresque fuêre, sunt hodieque nobiles Familiæ quæ ad Martinum originem suam referunt. Fando audivi Dominum Burchgravium de Pepingen, juxta Quatemechelen habere fundationem Vanderlamen, aliaque eò spectantia Monumenta, quæ utinam aliquando videam.

Filiarum natu maxima Mechthildis nupsit Godefrido Theodorici filio, Dynastæ Heinsbergio, Blanckenbergio & Wassenburgio, illique in dotem attulit Arcem Vogelsanchiam cum Dominiis de Zwilre, Sonhoven, Hauthaels, indeque dicta Vogelsanchia; pluresque utriusque sexûs liberos peperit. De Theodorico primogenito agemus libro sequenti. Godefridus de Los Præpositus Aquensis, Joannes Dominus Dalembruckius stirpem Lossensem in plures illustres Familias diffudit. Obiit anno 1342. De Godefrido Alembrouckio ejus filio, dicentur plura ibidem.

Quartus

Quartus Godefridi & Mechtildis Wogelsanchiæ filius Dominus Henricus Lewenbergius. Margareta Abbatissa Thorensis vivebat annis 1346. & 1378. Altera filia Ida. Godefridus obiit anno 1333. Maria primum in matrimonium data Ægidio Berthout Mechliniæ Domino, qui nullâ suscitatâ prole anno 1310. moriens, patruum suum Florentium scripsit heredem. Nupsit deinde Gerardo Diestæ Domino & Castellario Antuerpiensi; sed cùm nec ex isto liberos haberet, Ludovicus frater Comes Lossensis & Chiniensis (nam pater Arnoldus se Imperio abdicaverat,) transegit cum ea maritoque quoad promissam dotem anno 1325, assignatique quadraginta modii siliginis, & triginta libras nigrorum Turonensium, paulòque post Maria obiit sepulta Diestæ apud Fratres Minores, ubi hodieque Monumentum ejus cernitur. Gerardus alteram etiam accepit conjugem, Isabellam de Flandria, Guilielmi dicti *sine Terra* filiam, qui anno 1328. fundant Carthusiam Zeelhemiensem in honorem S. Joannis Baptistæ, primo à Diesta lapide, in ultimo Comitatûs Lossensis limite, atque inter cæteras possessiones & prædia assignant Religiosis ibidem Deo famulantibus prædictam primæ uxoris dotem, quod ex publico Fundationis Instrumento patet. Item donant quadraginta modios siliginis mensuræ Diestensis, & triginta libras nigrorum Turonensium parvorum cum uno grosso Turonensi Regis Franciæ bono & legali, pro sexdecim denariis parvis computato, quos usque nunc habuerunt dicti conjuges jure hereditario in Harche ad Molendina & redditus nobilis viri Comitis Lossensis, prout in Litteris super hoc confectis, ipsis prioribus, ex parte dictorum Nobilium datis ad opus Claustri prædicti, pleniùs continetur. Piam hanc donationem deinde idem Ludovicus Comes anno 1335. ratam habuit, ipsis nempe fatis jam tum omnes possessiones bonaque Comitatûs Lossensis Ecclesiasticis destinantibus. Idem Gerardus curaverat anno 1297 Ecclesiam Parochialem S. Joannis Baptistæ Diestensem ab Hugone Leodiensi Antistite erigi in Collegiatam. Obiit anno 1337. absque liberis, sepultus apud Carthusianos Zeelhamienses. Successit illi Thomas frater, cujus posteà meminerimus. Joannam accepit conjugem Arnoldus Wesemalius, ex primæ Nobilitatis Brabantiæ Proceribus; utpote in cujus illustri Familia munus Mareschalli Brabantiæ fuit hereditarium, Dominus Bergarum ad Somam, de Woude & Quaetbecke, Gerardi Wesemalii, qui alibi scribitur

Dominus de Monte super Zomam & Haerselt filius, quique cum Joanne II. Duce Brabantiæ prælio Worongano anno 1288 magnâ fortitudinis bellicæ laude interfuit. Joanna Arnoldo peperit filiam Mechtildem, paternarum Ditionum heredem. Non videtur hic diù superfuisse supra annum 1312. Mechtildis anno 1325. nupsit Alberto de Voerne, habuitque ex eo filiam unicam Joannam de Voerne, Dominam Bergarum, &c. Hæc convenit in manus Joannis Dynastæ Falcoburgici; uxoreque assentiente, vendidit Bergas Henrico de Bautersem Domino. Altero Joanna matrimonio jungitur Guilielmo de Oreille, Teutonicè *de Urle*, per *V*. Germanicum auriculamque sonat, Armigero, ex prosapia de Awans, de qua suprà, opibus & clientelâ in Hasbania præpotente, duosque ex eo liberos habuit, Arnoldum & Mariam, quibus Ludovicus Avunculus impensè favebat: cùm enim nullas ex Margareta Blamontia è Domo Lotharingica conjuge procrearet proles, sororem suam Joannam filiumque ejus Arnoldum, præclaræ indolis maximæque expectationis puerum, quo se comitali dignitate tueri possent, munificâ & absolutâ, & quidem inter vivos donatione, transcripsit eisdem anno 1331, die Martis post Pentecosten, Dominium de Rummes hereditario possidendum jure, cum reditibus granorum, caponibus, molis, censibus, arvis, pascuis, tectorum stillicidiis, sylvis, volatu apum, jure aquæ & ignis, fluviorum decursibus, forefactis, alta bassaque justitia, aliisque omnibus quocumque nomine appellari solitis, prout, inquit in Diplomate, pater noster gloriosæ memoriæ illa possedit, nosque ipsi in hodiernam diem obtinemus: hac tamen restrictione, quâ sibi suisque in Comitatu Lossensi successoribus reservat homines feodales, bannalis campanæ pulsum, necnon Monasterium Sanctimonalium de Orientem, Ordinis Cisterciensis, curtimque ipsarum sub Districtu Rummensi sitam, in quantum hactenus Comiti Lossensi præstare solita. Pia laudandaque fratris in sororem nepotemque inferioris fortunæ dignatio. Rummeia siquidem id temporis habebat Arcem comitalem, agrorum divitem, nec minùs ædificiis splendidam, quatuorque turribus undiquaque conspicuam, qualis hodie cernitur Curingiana. Ut coram observavi, ex utriusque situ & alterius ruinis fundamentorumque vestigiis cingitur triplici fossâ & vallo, areaque omnium excedit mensuram septem jugerum: nec enim tot annorum vetustas abolere potuit quin hodie-

que videatur, quòd Rummeia Arx olim fuerit. Superſunt foſſæ latæ & altæ, piſcium altrices, aggeres quercubus conſiti, cuniculorum latibula, paſcuaque peramœna. Porta Arcis ſpectabat Orientem & quâ adibatur, pinguis gleba ſpatioſiſſimo agro, hodieque *Portuelt* nomen obtinet. Solum inſtar Hasbanici frugum omnis generis ferax, aër defecatus, venatio inſignis, ſylvinæ frequentes, toto pago limpidus piſcoſuſque fluvius Ceſindria, qui primò Trudonopolim interlabitur, Territorium Rummenſe alluit & ſecat. Sed jam aquarum ditior, commodamque Domino piſcationem præſtat, incolas agris, magno incolarum bono: ut natura ipſa nihil ad vitæ humanæ neceſſitatem, quin imò delicias, omiſiſſe videatur. Verique cenſeo ſimillimum, eandem Arcem olim Comites inhabitaſſe, cùm illorum Sala Oiſtercæ ſive Oſternæ, id eſt Wuſtercæ, celebraretur, idque ad Gerardi Conditoris Herkenrodani tempora, qui illam Curingiam tranſtulit: fuit enim Rummeia locus ſemper celebris & inſignis, comitalique habitatione dignus, ab Oppidis Bercka duobus, Trudonopoli, Haſſeleto tribus abjunctus milliaribus; intraque ſuos limites Monaſterium Orientem complectitur ſeſeque exporrigit ad quatuor circiter leucas: unde & in hodiernum diem Villa & Altitudo Rummenſis, *Ville & Hauteur de Rumminis* dicitur; Scabinique ſe ſcribunt *Comitalis Aulæ Adminiſtratores*. Divum Ambroſium loci Defenſorem præferunt, cum hac epigraphe, *Sigillum libertatis de Rummen*. Baronatûs titulo ab anno 1386. fuit illuſtris, quo Gerardus Hane illum relevat à novo Domino Arnoldo Horneo, Leodienſi Antiſtite & Loſſenſi Comite recenter inaugurato. Cujus occaſione elegantiſſima illa Arx excifa, ſoloque æquata, ſequenti libro narrabitur. Mortuo deinde abſque liberis Ludovico Comite, cùm Theodoricus Heinsbergius, Mechtildis Wogelſanchiæ filius, ab eodem ſcriptus hæres, Comitatum adiiſſet, ampliſſimiſque illius frueretur proventibus, Joanna ipſum cum filio conveniſſe fertur, ſuaſque depoſuiſſe querelas; quòd ipſa filiuſque omnibus excluſi forent fratris & avunculi poſſeſſionibus, totaque hereditas tranſierit ad unicum ex ſeniore ſorore nepotem; cui cùm filius ſuus in eodem ſit conſanguinitatis gradu; ſe quidem pridem donatos nobili Dynaſtiâ Rummenſi, pro qua gratiſſimas egerint gratias; ſed quota ſit illa pars totius ampliſſimi Comitatûs Loſſenſis, multòque in hanc rem plura: quorum obſequiis ut finem imponeret, atque ad ſe

pertraheret Theodoricus, semper perbenignè habuit, cumque spe obtinendorum plurium (si sibi bona sors faveret.) A se dimittens Joannam amitam suam, maritumque ejus Guilielmum, cum filio, eodem anno 1461, die 29. Octobris, donavit Dominiis de Sonhoven & Hamhaest, quæ jure materno hactenus obtinuerat, sibi reservatâ Arce Wogelsanchiâ, vicinoque Dominio de Zuilre. Litteræ hujus Donationis apud plures extant, rursusque illos inter coaluere animi, firmatusque ille nexus sanguinis. Neque enim ignorabant Heinsbergium adhuc imperare nisi precario, quantisque difficultatum involvendus esset fluctibus priusquam eluctari posset in tranquillam Comitatûs possessionem.

Arnoldus ubi adoluit à natura ad mores formatus aulicos, commendatione illustris sanguinis, facilè penetravit in Aulam Ducis Brabantiæ; ubi etiam rerum actibus admotus, solertis pariter atque prudentis Administri laudem obtinuit. Evasit ipsi Wenceslao Duci in paucis carus, usqueadeò, ut non raro pro Duce litteris subscriberet publicis, ipsiusque nomine sigillaret. Posteaquam munere Drossardi Brabantiæ functus priùs fuisset, felicissimè aliquando anno 1357. peregit negotium summi momenti Domini sui cum Legatis Ludovici Malani Flandriæ Comitis, sæpiùsque ad eum ablegatus adeò placuit, ut ipsius filiam naturalem Isabellam obtinuerit uxorem; Litteris deinde Pacificationis cum Urbe Lovaniensi anno 1361. die 29. Octobris datis, ab ipso honestatus fuit Duce titulo Cognati, quibus subscripsere Wenseslaus Dux, Ducissa, Guilielmus Dux Juliæ, Robertus Namurcensis, Dynasta Beaufortius, Joannes Comes Salmensis, Arnoldus Dominus Rummeus & Quaetbehe. Indigitantur hi omnes Cognatorum Ducis nomine. Deinde Reynaldus Dominus Schoonvorstius, Henricus de Beautersem, Dominus Bergarum ad Zomam. Non potuit in illa Ducis dignatione, quin & ampla divitiarum ad illum fieret accessio: ut non adeò temerè aspirasse quoque videatur ad comitalem dignitatem, nisi nimius Ducis obfuisset favor, invidiamque æmulorum mille obsequiorum genere vincere potuerit, uti dicetur libro sequenti.

Maria soror ejus nupsit Joanni Dinastæ Hamalio, juxta Tungrim, ubi in Odeo Ecclesiæ parochiali sepulta. Habuit ex eo geminam prolem, Guilielmum Hamalium, & Mariam. Ille cum avunculo decertavit aliquamdiù armis de Comitatu Lossensi,

licèt infelici successu. Filiam ejus, qui scuti symbolum præferebat quadripartitum ex Los & Hamale, matrimonio sibi copulavit Joannes Dominus de Dongelberge & Castri de Seraing, quod acquisierat. Illorum liberi, Ludovicus, Joannes & Margareta. Ludovicus Dominus de Dongelberge & Seraing obiit improlis anno 1470, instituitque suos ex sororibus nepotis heredes. Joanna nupsit Domino de Malayse, peperitque illi filium Joannam de Malayse, avunculi in Dominio de Dongelberge successorem. Margareta uxor Domini de Oumale ex eo filium habuit Amandum, qui avunculo successit in Dominio de Seraing, ut ille testamento suo præscripserat. Maria Hamalia, tori socia Joannis Domini de Alsteren, Equestris Ordinis, Mareschalli hereditarii Archiepiscopatûs Coloniensis, è quorum posteris aliqui se quoque Hamalios scripserunt, hodieque perseverat illa posteritas.

Redeo ad Joannam, quæ morte suâ prævertit excidium Arcis Rummensis, nec ingentem illam prolium suarum cladem vidit. Sepeliri cum marito voluit in Ecclesia Monasterii Orienten, cujus fuerat benefactrix, Religiosasque impensè amabat. Extat ipsius monumentum ex nigro marmore Inscriptionem oblevit vetustas, sed conservata est in membrana, & infrà dabimus.

Margaretam natu juniorem filiam Arnoldus Comes paulò ante mortem elocavit Guilielmo de Novo Castro, uti ex hisce liquet Tabulis Matrimonialibus: *Universis præsentes litteras inspecturis, Arnoldus olim Comes Lossensis & Ludovicus ejus filius primogenitus, Comes de Los & Chiney, sinceram in Domino salutem cum notitia veritatis. Ad universorum notitiam series perveniat litterarum, quòd nos, super hoc deliberatione præhabita, & consensu reverendi in Christo Patris ac Domini nostri Adolfi Dei gratiâ Episcopi Leodiensis, & dilectorum Arnoldi filii & posteri fratris Wilhelmi de Los, Domini de Novo Castro in Arduenna, Militis, matrimonium inivimus & fecimus cum dilecto & fideli nostro Wilielmo de Duras, dicto de Novo Castro, Armigero, & cum dilecta nostra filia legitima Margareta, cum qua damus in verum matrimonium Castrum nostrum de Duras cum suis pertinentiis, cum omni honore & jurisdictione, alta & bassa, mero & mixto Imperio &c. Datum anno* 1327. *feriâ sextâ post Octavam Epiphaniæ.* Dicit se Arnoldus olim Comitem, quòd ante aliquot annos Comitatum Lossensem, uti suprà quoque obser-

vavimus, cessisset Ludovico filio. Quòdque dicatur matrimonium illud initum consensu Episcopi, videtur intervenisse aliquod impedimentum ecclesiasticum, quod ille per dispensationem sustulerit Audio plura Documenta extare apud Dominos Doyemburghe de Duras, quos hactenus, quàmvis mihi notos, non licuit convenire. Asservo Insignia Joannis de Duras Militis, anno 1379. expressa sigillo in cera viridi, valdè illustria.

Ludovicus Comes Lossensis & Chineyensis, patre diù adhuc in vivis, Imperio assuetus, illud naturâ lenis, valdè mite exercuit, domi moderatus, militiæ fortis & imperterritus, in suos beneficus & liberalis, in exteros fidus, justi rectique sempér tenax; hoc uno toti tamen infaustus Patriæ, quòd Margaretam Lotharingiam nactus conjugem infœcundam, posteritatem propagare non potuit. Optimè meretur de Hasseletensibus, quos in primis in amore & pretio habuit, incomparabilique effecit beneficio æternâ memoriâ dignissimo. Ex Codicillis Donationis lector intelliget. *Universis præsentes litteras inspecturis, Ludovicus Comes de Los & Chiney, salutem & cognoscere veritatem. Noverint universi & singuli, quòd propter utilitatem publicæ rei Oppidi nostri de Hasselt & Habitantium in eodem, plura & grata servitia nobis à Sculteto, Scabinis, Juratis totaque Communitate ejusdem Oppidi de Hasselt impenso damus & concedimus pro nobis & nostris heredibus sive successoribus eisdem Sculteto, Scabinis, Juratis & toti Communitati dicti Oppidi de Hasselt, fossata nostra omnia, magna & parva, quibus dictum Oppidum de Hasselt pro munitione ejusdem est circumvallatum; volentes quòd dicti Scultetus, Scabini, Jurati & Communitas eisdem fossatis ædificatis, satis, & plantatis in eisdem cum ipsorum aquis & circummeatu ad opus publicæ rei dicti Oppidi de Hasselt, uti, frui possint & valeant liberè, pacificè, & de eisdem ad opus publicæ rei prædictæ ordinari ac disponere, prout ipsis, vel majori & saniori parti ipsorum melius visum fuerit expedire. Præterea damus & concedimus in perpetuum & irrevocabiliter prædictis Sculteto, Scabinis, Juratis, totique Communitati prædicti Oppidi de Hasselt, communitates nostras seu pascua nostra communia, in Territorio de Hasselt seu ejus confinio jacentes seu jacentia, usque ad loca seu terminos ubi de Quechuyde pecora dictorum hominum nostrorum de Hasselt hactenus pasci communiter consueverunt; volentes, & in hoc expressè & irrevocabiliter consentientes, quòd dicti Scultetus, Scabini, Jurati & Communitas eisdem pascuis communibus utantur com-*

munibus utantur communiter & fruantur in perpetuum pacificè & quietè, nostra vel cujuscumque contradictione nonobstante. Præterea nos laudamus, approbamus & per præsentes in perpetuum confirmamus omnes Franchisias, Indulgentias, Litteras, Instrumenta, Privilegia, Immunitates prædictis Sculteto, Scabinis, Juratis & Communitati à nostris præcessoribus concessas & indultas, non obstante quòd ipsorum tenor de verbo ad verbum præsentibus non sit incertus. Laudamus etiam, approbamus & confirmamus omnes Consuetudines & Statuta ab eisdem Sculteto, Scabinis, Juratis & Communitate hactenus ordinata, introducta, & observari solita; promittentes fide à nobis super hæc præstitâ corporali, loco juramenti, quòd nos contra præmissa, vel aliqua præmissorum non veniemus, venire faciemus seu patiemur ullo tempore per nos, alium vel alios, in futurum. Et ad majorem securitatem omnium præmissorum, rogamus dilectum nostrum nepotem seu consanguineum Dominum Theodoricum primogenitum Domini Godefridi de Heinsbergh & Blanckenberch, quatenus sigillum suum præsentibus litteris, unà cum nostro sigillo apponat in signum promissionis, confirmationis, & testimonium omnium præmissorum. In quorum omnium testimonium & munimen nos Ludovicus Comes prædictus sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Et nos Theodoricus primogenitus Domini Godefridi Domini de Heinsbergo & de Blanckenberch Miles, ad rogatum nobilis viri & potentis Domini & avunculi nostri carissimi Domini Ludovici Comitis prædicti, sigillum præsentibus litteris, unà cum sigillo ipsius apposuimus in signum promissionis & testimonium omnium præmissorum. Datum anno Domini 1330. in vigilia sancti Bartholomæi Apostoli.

Pacem init cum Trudonensibus.

TRudonenses, excusso Dominorum jugo, Communitatem erexerant, id est democraticè Rem administrabant publicam: duraveratque hæc rebellio aliquot annis; donec armis ab Adulfo Episcopo & Adamo Abbate domiti, seu potiùs extrema veriti, pacem ineunt *Novæ Curiæ*, ita dictam à loco in quo conclusa, Dominisque anno 1329. fiunt supplices. Quòdque in illa populi secessione plures cæsi sint ex Lossensibus, licentiâque usi fuissent plusquam militari, etiam cum Ludovico Comite, uti Advocato, paciscuntur. Quo omnes deinceps inquietis

novarumque turbarum radices amputent, publico firmant Instrumento in hunc modum:

Ludovicus Comes, Advocatus Oppidi S. Trudonis, necnon Scabini, Jurati & Universitas, notificant omnibus, quòd inter se concluserunt bonam pacem de omnibus injuriis quas Trudonenses & eorum Auxiliatores intulerunt in Terris & Patria dicti Comitis, durante bello inter Dominum Adolfum Episcopum & eundem Comitem, qui jurat per fidem suam quòd in futurum ipsis erit fidelis, uti bonus Advocatus, & quòd jus & justitiam eatenus, quatenus ad officium Advocati spectat, administrari curabit. Cui Trudonenses promittunt reciprocam fidem & auxilium in defendendis juribus suæ Advocatiæ. Actum anno 1330. *die quarta Februarii, id est stylo Romano, sub initium anni tricesimi primi.*

Eodem tempore donat Joannam de Los sororem suam filiumque ejus Arnoldum Toparchiâ Rummensi.

Fœderatur Principibus adversus Ducem Brabantiæ conspirantibus; atque hinc illata magna clades toti Comitatui.

SUb hæc tempora Robertus de Glimes, vir nobilis, ob offensam quâ Joannem III. Brabantiæ Ducem læserat, præsidii causâ venit Trudonopolim, donatusque jure Civium. Adeò placuit ut suum designarint Capitaneum. Cùm alter Brabantus, graviùs offenso Principe, eò quoque perfugisset, misit Dux secretò ad Robertum petiitque ut eum sibi vinctum traderet; præmium fore impunitatem delicti à se commissi, insuper habendum è numero amicorum Principi suo fidelium: quod ille intelligens, præ nimio Patriæ desiderio, contra fas jusque Gentium, socium comprehendit mittitque in Brabantiam, quem Dux illico capite imminui jubet. Id Trudonenses nimis quàm graviter ferentes, Robertum proditorum inclamant; fuissetque furore discerptus populari, nisi tempore corripuisset fugam. Interim à Magistratu, veluti fidei jurisque Gentium violator, proscribitur, domusque ejus expilatur. Hoc Duci conquestus (tantum eo scelere apud eum gratiæ obtinuit) gravissimas ille exsurgit in iras, Trudonensesque moneri jubet latam in Robertum ut sententiam recidant, aut publicè contra se arma expectent. Nec intereà Robertus, nixus Ducis potentiâ, cessebat cum suis familiaribus, quos spes prædæ allexerat, sed quoscumque poterat con-

constringebat vinculis bonaque diripiebat ; donec tandem ad cædes veniens, adeò Populum irritavit, ut cum armis Oppidum egressi, propulerint Leviam usque : versâque in Levienses irâ, quòd tutum prædonibus præberent receptaculum, ipsis quæ valuerunt, intulerunt damna. Quo perlato in Brabantiam, Dux istius Conventionis inter vicinos illos memor, ut qui priùs violarent pacem, mulctam quinque millium marcarum incurrerent ; Trudonenses illam persolvere debere contendebat, quod ni faciant, se armis extorsurum. Pressi consilii inopiâ, ad Adolfum Antistitem adeunt, ipsiusque & totius Patriæ opem implorant : causaque eorum in Comitiis Leodii suscipitur communibus viribus defendenda ; priùs tamen Legatos suos, quos inter Hocsemius, misit ad Ducem, qui facti Trudonensium æquitatem ipsi approbarent inflecterentque ad pacem. Sed apud irâ æstuantem non potuêre impetrari, nisi aliquot mensium induciæ, quas se cum cæteris Ditionis Leodiensis Incolis servaturum asseruit, minimè cum Trudonensibus. Iis tamen Adolfus obtinuit, ut sibi totique Patriæ in tempore contra tam potentem Adversarium prospiceret ; qui haud ignarus, plerosque vicinos Principes à Brabanto dissidere, quòd se ab eo læsos parteque possessionum exutos quererentur. Hanc opportunitatem haud negligendam ratus, omnes secretâ sollicitatione incitavit in Brabantum. Fœderantur itaque, applaudente Philippo Valesio Rege Franciæ, Joannes Luxemburgius Rex Bohemiæ, Waleramus Juliacensis Archipræsul Coloniensis, Adolfus Marcanus Leodiensis Antistes, Guilielmus Comes Hannoniæ & Hollandiæ, Reynaldus Comes Gelriæ & Zutfaniæ, Guilielmus Comes Juliacensis, Ludovicus Comes Lossensis & Chyniensis, Rudolfus Comes de Eu & Aquitaniæ, Comes Stabuli Franciæ, Joannes Comes Namurcensis, Joannes Hannonius Dynasta Beaumontius & Comes Suessionensis, Guido Namurcensis Comitis frater. His accesserunt Balduinus Archiepiscopus Trevirensis, Theodoricus Comes Cliviæ, Reynaldus Dynasta Falcoburgius fraterque ejus Joannes Dominus Bornensis, Theodoricus Dynasta Falcoburgius, Gerardus Dominus de Voerne, præter Comites Scynensem, Spanhemensem & Catzenellebogensem. Singulique bellum Brabanto indicunt, quemadmodùm & Eduardus Barrensis Comes, qui Ducis consanguineus ; id magis ex metu faciebat Regis Franciæ, quàm quòd Fœderatis faveret. Fit à singulis quantus potest belli ap-

paratus, coeuntque ex condicto anno 1332. die 23. Aprilis in villa Fexhe, agri Leodiensis; missisque aliquot in Brabantiam copiis, Hannutum Oppidum vicinosque aliquot vicos tradunt flammis. Contentique hoc quasi pugnæ præludio, intersunt Leodii Dominicâ Palmarum, inaugurationi Adolfi Episcopi, qui assiduis distentus bellis, id hactenus haud fecerat. Inde die 6. Maii digressi, vires jungunt, redeuntque copioso cum exercitu in Brabantiam. Horum adventu Dux nihil perterritus, cum lectissimis copiis prodit obviàm, & castra metatur juxta Helesemium, Ordinis Præmonstratensis Cœnobium; sed jam tum incipiebat exercitus Fœderatorum, ab nimiam multitudinem, commeatûs, & præcipuè pabuli equorum, laborare inopiâ; nec tot diversi idiomatis & genii Nationibus bene inter se conveniebat. Dux animo quàm viribus fortior, subiturus videbatur belli aleam: atque his aliisque de causis haud difficile fuit Guilielmo Comiti Hannonio ab utrisque obtinere vel saltem sex septimanarum inducias, quibus aliâ ratione controversia decidi posset, hocque pacto discessum ab armis. Intereà Brabantus ad opportuna se tuendi contra adversarios præsidia circumspicit: in primis mittit Avenionem ad summum Pontificem pro obtinendo Brabantio Episcopo, ut à Leodiensi eximi posset; sed quia *Roma*, ut acutè observat Ægidius Aureavallensis in Hugone Petra-Pontio cap. 97. *gaudet assueta pasci & impleri mercimoniis dissentionum & conventionum Ecclesiæ Leodiensis*, Dux nihil istius obtinuit quo sperabat præcidi posse ansam veteris inimicitiæ & bellorum; novâ deinde oblatione servitiorum delinivit Francum avulsitque à Confœderatis, quem graviter offenderat; tum quòd filiam suam primogenitam, præterito Regis filio, spopondisset Guilielmo Hannonio; tum quòd hactenus dedisset perfugii locum protexissetque Robertum de Artesia, Comitem Beaumontium, Regis licèt affinem, hostem capitalem. Hunc in gratiam Regis jussit finibus sui Imperii excedere, in filiamque prioribus rescissis sponsalibus, ipsius reliquit arbitrio. Quibus Rex placatus, pacem inter Ducem & Fœderatos, missis Legatis, reducere nititur, validissimumque ad dissecandos horum animos adhibet cuneum; pecuniam Archiepiscopo Coloniensi & fratri ejus Juliacensi Comiti, necnon Reynaldo Gelro pollicitus singulis centum aureorum regalium millia, partim ut à Fœdere divelleret, partim ut sibi per Germanos Prin-

cipes aperiret viam ad Imperium, quòd Ludovicus Bavarus fuisset electus in schismate, dirisque devotus à Papa.

Hinc animum Adolfi Episcopi, uti & plurium Antecessorum isthæc pulsavit cogitatio, ut Mechliniam, Leodiensibus semper refractariam & infidam, & è qua plus molestiæ quàm questûs perciperent, tandem aliquando divendere, si modò, præter Brabantum, potens foret emptor; obtulit se Ludovicus Malanus, Flandriæ potentissimus Comes, Mechliniamque ingenti pecuniæ summâ ab Episcopo & Capitulo Leodiensi obtinuit in feudum anno 1333. Quod Brabantus impotenti ferens animo, Mechlinienses concitavit adversus Flandrum, novumque cum iis pepigit Fœdus, unde nova belli seges: Flander namque hac irritatus injuriâ, cum Guilielmo Hannoniæ Comite, cui Dux fefellerat fidem quoad filiæ suæ sponsalia, se jungunt Valencenis Episcopo cæterisque Fœderatis, jure jurato, non se recessuros à Fœdere, nisi cæteris volentibus; nec diù post classicum insonuit. Et quo Brabantum distinerent magis, eodem pene tempore variis adoriuntur locis: Gelrus in Velavia bellum movet, cepitque Thiest Oppidum; Conrardus Marcanus frater Episcopi cum Trudonensibus Oppidum Landen tradunt flammis; Joannes Luxemburgius Archiepiscopus Coloniensis, cum fratre Juliacensi Comite, Namurcensis & Lossensis, aliique Rodensem Arcem, citra Mosam, obsident; Flander Brabantiam invadit, sed infeliciter pugnans, multis è suis primæ Nobilitatis desideratis, à Brabanto retrocedere compellitur. Qui hoc defunctus periculo, victoriâque animosior, concito itinere per Hasbaniam tendit cum copiis Trajectum ad Mosam, indeque se in conspectum hostium Arcem obsidentium dedit, provocavitque ad pugnam; illi, sed se castris continentes, responderunt sibi esse in animo Arcem capere, non armis confligere: spe itaque frustratus, reduxit exercitum infestisque armis intravit in Comitatum Lossensem, Ludovico Comite in castris ad Roden agente; omniaque fœdavit incendiis, rapinis & cædibus: nec unquam antehac Lossensibus illata tanta clades, à qua nobilis Comitatus, ac in redditibus & proventibus opulentus (ut eum Benedictus Papa Epistolâ ad Adolfum Episcopum vocat) splendorem pristinum nunquam recuperare potuit.

Non cessabat intereà Rex Franciæ, per Legatos suos Aquisgrani præsentes, Fœderatos urgere ad æquas pacis conditiones

offerebatque se omnium controversiarum supremum Diribitorem sive Arbitrum. In quem posteaquam utraque pars tandem compromisisset, singulique suas scripto enarrassent sibi illatas injurias, suaque exposuissent gravamina; ille post plures celebresque conventus habitos, sententiâ definitivâ omnes decidit, finiitque controversias. Inter cætera decreta, anno 1334. die 26. Augusti, statuit in primis, ut omnis dictorum Principum dissolvatur Confœdaratio; Brabantus Joanni Luxemburgio Regi Bohemiæ persolvat summam centum & sexeginta millium aureorum regalium; Archiepiscopo Coloniensi viginti quinque; Episcopo Leodiensi triginta; Comiti Juliacensi alia triginta; Ludovico Lossensi Comiti octodecim millia; Theodoricus Heinsbergius, quoad vixerit, Dynastiam Wassenbergensem; Joannes Falcoburgius, Reynaldi frater, Dominium de Herpen hereditario jure obtineant; heredibus Reynaldi Falcoburgii, qui obsessus à Joanne Duce, in Arce sua Monjoia in Eyfflia, sagittâ caput trajectus perierat anno 1332, Princeps verè magnanimus, melioreque fortunâ dignus, restituatur Ditio Falcoburgia, cæteræque possessiones, quibus Reynaldum Brabantus exucrat.

Ut nova Hasseleti condatur Capella in honorem Deiparæ Virginis, pium præbuit assensum.

PRæter Ædem Curialem gloriosissimo Martyri S. Quintino sacram, Templumque Augustinianorum dicatum S. Annæ, non extabat toto Oppido alia aliqua Capella vel Ecclesia: hinc crescente in dies Civium numero, pius admodùm Sacerdos Reynerus Bayntsoyn de Hasselt, singulari promovendi cultûs Deiparæ Virginis zelo flagrans, obtentâ facultate ab Adolfo Episcopo, Perchevallo Archidiacono, agente de Guighoven Antista Herkenrodana, Ecclesiæ Parochialis Patrona, necnon Ludovico Comite, loci directo Domino, mediâ quasi viâ inter Templa Parochiale & Augustinianum, in suo fundo proprio, & de bonis propriis cœpit anno 1334. noviter extruere, fundare & dotare Capellam in honorem beatæ & gloriosæ Virginis Mariæ. Quia verò illa ædificata ex Tassandrico russeo lapide, eleganti satis normâ & amplitudine, visa nonnullis vetustior; sed qui non observarunt qualiter antiquitus

ædificari solitæ Ædes sacræ illud facilè deprehensuri, si Templa, Collegiatum Lossense, Zeelhemiense, Parochiale S. Gangulfi Martyris Trudonopoli videre placuerit, propter molem operis, & fortassis tenuiorem Fundatoris fortunam, ad culmen perduci non potuit, nisi anno demum 1350, quo Theodoricus Gybilacensis, Episcopi Leodiensis Suffraganeus, Capellam dicavit. Adeò tamen illa optimi Sacerdotis pietas munificentiaque visa placere Superis, ut Imago Deiparæ Virginis ibidem collocata multis claruerit miraculis, inque hodiernum diem sit celebris. In eadem perseverat præclara utriusque sexûs Sodalitas Mariana ex honestioribus quibusque aliquid, præter capita in censu.

Testamentum condit ac moritur.

PAucis ante obitum diebus, ut vitâ totâ in familiares & subditos fuerat munificus, Sculteturn suum Thomam Thomicellum donat Braxiniâ cerevisiariâ bannali in pago suo de Gencke, quâ solâ coqui, etiam aliunde advecta cerevisia divendi poterat, sub exiguo censu annuo; indulgetque ut ligna ad extructionem officinæ ejusmodi è sylvis comitalibus de Leede necessaria excidat suoque ære ædificet. Cùmque lento teneretur morbo, adversaque ingravesceret valetudo, legitimis destitutus liberis, seriò de condendo testamento cum animo suo deliberare cœpit. Obversabatur in primis Joannes Agimontius, suus ex Joanne patruo, sed non uterino, nepos eratque opulentissimus in Gallo-Brabantia Dynasta, affinitate potens, magnæ in Aula Ducis authoritatis, belli pacisque studiis clarissimus, atque hinc illi jure proximioris sanguinis sexûsque masculini, successio debebatur, nisi avia ejus Isabella Condati Domina, paterque Joannes, Agimontii quàm Lossenses esse maluissent, ut superiùs diximus certæque spei, sed longæviori, prætulissent aliquot Toparchiarum præsentem possessionem, atque hoc pacto euxissent se jure successionis, abdicato etiam Lossensi nomine. Supererant igitur duo ex duabus sororibus nepotes, ex Mechtilde Wogelsanchia alter, alter ex Joanna Ruminei. In horum priorem Theodoricum Heinsbergium, quòd senioris foret filius, propensior, etiam aliis de causis Codicillis ultimæ suæ voluntatis scripsit heredem. Habebat is tori sociam Mechtildem Marcanam, Adolfi Leodiensis Antistitis sororem, atque ex ea sustulerat Go-

defridum filium, excellentis indolis Principem, quique amplio-re fortunâ dignissimus censebatur. Observabatur quidem animo difficultas à Leodiensi Capitulo, sed quam dispellebat certa quasi spes, Episcopum haud adversarium sororio, cui nec opes nec amici ad jus persequendum deerant, animusque in eo masculus consiliumque vigebat; quod itaque optimè præconceptum, non posteà bene vertebat: atque ita condito testamento, perceptisque christianâ pietate sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, Ludovicus demigrat è vitæ conturbernio ad serum diei sancto Sebastiano sacræ anno 1336, etiam stylo Romano, quia Leodiensis Ecclesia à triennio annum auspicari cœperat à Natali Domini, non ampliùs à Paschate.

Liberi ejus naturales.

GEnealogici illi adscripserunt Ludovicum & Elisabetham Bastardos, præter quos reperi ab eo elocatam filiam suam Mariam de Voecht, Domino de Peer, quam Theodoricus Ludovici successor vocat suam cognatam, cùm anno 1338. terminos Dominii Perensis à terminis Toparchiæ Haleghtrensis discerneret, firmaretque donationem Ludovici filiæ & marito factam, quos Dominio Perensi donaverat.

Eodem quo Ludovicus obiit anno 1336. Henricus Castellanus de Duras subscripsit Tabulis quibus Fullones Oppidi Trudonensis promittunt se singulis septimanis exoluturos in omnem posteritatem Custodi Ecclesiæ S. Trudonis denarium monetæ Trudonensis, itidem Rasores Pannorum obolum Trudonensem, piis certis quibusdam conditionibus. Ecce ut Domini Oppidi Trudonensis etiam regale illud cudendi monetam habeant, & aliquando exercuerint.



LIBER NONUS.

Theodoricus Heinsbergius ultimus Comes Lossensis secularis.
De Dynastia Heinsbergia.

VIsum mihi præcipua Domûs Heinsbergiæ altiùs retrorepetere, quòd ad notitiam Historiæ Lossensis non parum faciant. Illa nomen obtinuit ab Arce Oppidoque primario Hasberga dicto; Teutonicè Montem Caballinum, vel Heinonis, id est Henrici Montem, sonat. Prætérque adjectum agrum amplissimæ jurisdictionis; complectitur Milleniam, Gengultum, sic dictum à S. Gengulfo Martyre Oppidi Heinsbergii Divo Tutelari. Waldtfuchtum eo conditum loco, cui diductus humor excisaque sylva, unde hodieque Fuhctenses pro insignibus satirum præferunt; deinde Gelinckerchiam ad fluvium Wormium celebre Municipium, quod Guilielmus Juliæ Dux, ex Familia Los-Heinsbergia oriundus, jure Civitatis donavit anno 1484, nundinisque hebdomadariis in Quadragesima nobilitavit, omniaque istis subjecta loca ad Heinsbergios quoque spectant. Heinsbergium porro Oppidum in extremis Ducatûs Juliacensis propemodùm situm, Ruremundâ duabus ciciter leucis abjungitur, Dynastarum suorum gloria, quòd solum Imperatorem agnoscant directum Dominum, Civium prærogativis, aëris temperie, sitûsque amœnitate nulli Urbium Juliacensium postponendum. Amplitudo ejus itineris horarii ab Oriente ad Septentrionalem, formâ ovali non nihil oblongius leniter inclinat. Templum S. Gangulfo sacrum exurgit in clivo, cui Arx in altero latere ex adverso respondet, utraque eminenti & valdè conspicuâ decorata turri. Castrum insigni Canonicorum Collegio ab Oda Heinsbergia anno 1140. condito plurimùm illustratur. In umbilico Oppidi Goswinus, hujus nominis secundus Dynasta, uxorque ejus Aleydis Palatina Somborsgensis nobilibus Virginibus Ordinis Præmonstratensis Monasterium anno 1150. excitarunt, quod ad Caroli V. Cæsaris usque tempora mœnibus haud claudebatur; bello verò quod cum dicto Cæsare Guilielmus Juliæ, Cliviæ & Montium Dux,

ob Ducatum gessit Gelriæ, cùm Heinsbergium mœnibus, fossis, portis, & propugnaculis muniret, iisdem conclusum fuit adeò validè, ut Urbs à Cæsarianis anno 1542. die 13. Octobris intercepta, vix unius anni spatio à Juliacensibus expugnari potuerit. Quâ ratione nobilissima hæc Dynastia ad Duces Juliæ pervenerit, suo dicetur loco. Heinsbergii pro symbolo præferunt leonem assurgentem ex argento in coccineo exaratum scuto.

Heinsbergii è quibus oriundi, eorumque progenies ad Theodericum usque Lossensem Comitem.

HEinsbergii originem suam ad Falcoburgios referunt: Oda siquidem Cabellani Montis Domina, Goswini Falcoburgii soror, maritum habuit Goswinum, hujus nominis primum, Dynastam Heinsbergensem, eique peperit duos filios, Goswinum & Gerardum. Oda obiit circiter annum 1161.

Goswinus II. Dynasta Heinsbergius denascitur anno 1182.	Uxor Aleydis, Palatina Sombergensis.


Philippus primogenitus, Archiepiscopus Coloniensis anno 1167. Præfuit annis 24. mortuus in Apulia anno 1141.	Godefridus I. uxorem habuit matri cognominem Aleydem, stirpemque propagavit. In fata concessit anno 1193.

Agnes Sanctimonialis Heinsbergensis.	Theodoricus I. Uxor Salda. Fueruntque iis liberi. Obiit anno 1228.	N. . . . . . . nupta nobilissimo Viro à Stenhauz.

Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis, præcessor sancti Engelberti, quem alii perperàm scribunt Comitem Montium.	Henricus. Uxor ejus Agnes circiter annum 1257. Canonicos è Castro ad Ecclesiam transferunt Parochialem, ac dotant. Obiit ille anno 1246.	N. . . . . . filius Patri præmortuus. Vestalis Heinsbergensis.

Henri-

Henricus summæ Ædis Coloniensis Canonicus ac Thesaurarius.	Theodoricus II. ex Joanna Godefridia Lovania Henrici II. filia, fratris Ducis Brabantiæ, sustulit quinque liberos. Canonicos Heinsbergenses ab omnibus oneribus Civilibus & exactionibus eximit anno 1290. eorumque Domos pronuntiat liberas & immunes. Moritur anno Domini 1300.	Aleydis nupta Theodorico VII. Montium Comiti.
Theodoricus Canonicus summæ Ædis Coloniensis. Margareta Vestalis Heinsbergensis.	Godefridus II. matrimonio sibi junxit Mechtildem Wogelsanchiam, Arnoldi Comitis Lossensis filiam primogenitam, pluresque ex ea habuit proles. Obiit anno Domini 1333.	Henricus mortuus anno 1287. Illum brevi post secutus ad alteram vitam Valeramus.
Theodoricus primogenitus hujus nominis III. Dynasta Heinsbergius anno 1230. accepit conjugem Cunegundam Marcanam, Adolfi Antistitis Leodiensis sororem.	Joannes Dalembroukius, fratri Theodorico præmortuus, post se reliquit Godefridum filium patrui sine liberis mortui successorem, quique jus in Comitatum Lossensem vendidit Arnoldo Rumineo patris consobrino, ut infrà dicetur; relicto tamen Alembrochii nomine, Lossensis dici maluit.	Godefridus Præpositus Aquensis. Margareta Abbatissa Thorensis vivebat annis 1346. & 1348.



Theodoricum inter & Capitulum Leodiense de Comitatu Lossensi contentio.

THeodoricus scriptus ab avunculo heres, parabat Comitatum adire. Obsistebat Leodiense Capitulum; Episcopus dissimulabat in gratiam sororii, qui erat summæ expectationis filius, sperabatque per eum Domum Marcanam ex ista augendam possessione amplissima. Allegabant inprimis sancti Lamberti Canonici, mortuo olim Arnulfo Comite absque liberis, dono datum ab Henrico III. Cæsare Nithario Episcopo Ecclesiæque Leodiensi anno Partûs Virginei 1040 supremum Jus Dominatumque Hasbaniæ; cùmque Feuda Imperii sint masculina, negabant Theodorici patruum testari potuisse de possessione extra suam libertatem posita, at supremum illius Dominium devolutum ad directum Dominum, quem repræsentabat Leodiensis Ecclesia, adhæc alterum Ludovicum Lossensem Comitem anno 1203. obtulisse Comitatum cum ramo & cespite ad Altare S. Lamberti, bonaque etiam alodialia, quæ deinde ab Hugone Petra-Pontio receperit in clientelare beneficium. Quæ argumenta pro sua disertitudine dilatat Hocsemius. A contrario, Theodoricus asserebat quòd licèt Imperator Leodiensi Ecclesiæ transcripsisset Hasbaniæ Dominatum, illiusque partem obtinerent Lossenses; non tamen inde esse consequens ea à Cæsare donata Ecclesiæ, quæ non beneficio, sed jure alodiali possiderent Lossenses; multòque minùs illâ donatione comprehendi posse latifundia, possessionesque quas Comites non modò in Hasbania, sed longè majorem partem possideant in Taxandria: & ut Ecclesia ab Imperatore directum Comitatûs Dominium obtinuerit, non subesse tamen causam, cur feminæ Feudo excidant; cum constet plerisque totius Imperii locis, illas succedere maribus, Investituramque accipere. Ludovicum quod attinet, illum quidem obtulisse Comitatum Ecclesiæ bonaque alodialia in Hasbania sita, signanter Arces suas Montenacken & Hallut exerta; sed hoc factum conditione, ut legitimi sui heredes, nequaquam sequiore excluso sexu, succedant seseque Ecclesiæ profiteantur Clientes; Principes Ecclesiasticos nihil potioris habere juris quàm sæculares, qui feminas à Feudis non arceant; adhæc Hugonem Antistitem transegisse cum Ludovico illique vicissim donasse quidquid haberet juris in Comitatum & Arcem Durassiam, quam tum Bra-

bantus invaserat, pactumque intercessisse mutuum, à quo alterutra pars, aliâ dissidente, resilire non valeat; nec Lossenses amplius teneri quàm se obstrinxissent.

Defuncto illo Ludovico, ex ordine quatuor successisse Comites, Arnoldum, Joannem, alterum Arnoldum, ac demum Ludovicum suum avunculum, Comitatumque ab Ecclesia accepisse in beneficium; se paratum paria facere, spondereque fidem, cùm & sanguinis gradu sit proximus atque ab avunculo designatus heres; atque, si altiora velit repetere, non potuisse Ludovicum, inconsulto & non annuente Cæsare, directo Domino Imperiale, suum Feudum transferre in alium, in notabile damnum ipsius, Domûsque Lossensis, quam nullo suo demerito tam graviter mulctare potuisset: adeòque videri tantùm obtulisse aliqua alodialia, de Montenacken, Hallut, Tessenderloz, & Castrum de Lumene, quod in beneficium ab eo tenebat Ludovicus Advocatus Hasbaniæ, prout Diploma donationis illa expertis verbis exprimit. Elevabant hæc aliaque plura Canonici, authore præcipuè Hocsemio, controversiamque aliis atque aliis involvebant difficultatibus Jurisque nexibus. Sed his prætermissis, pergamus ad rei gestæ enarrandam seriem.

Theodoricus haud vanè bellum sibi inferendum anxius, hujusque nervum esse pecuniam, Dynastiam suam Heinsbergiam oppignorat viginti quatuor veterum Scultorum Reynaldo Duci Gelriæ, aliaque conflandi æris præsidia in tempore prospicit.

Comitatum præoccupat.

INtereà, dum Canonici nectunt moras, tardioresque sunt in consultando; ille oblatâ sibi opportunitate utendum ratus (quòd adita possessio magnam ad principalem causam prærogativam adferat,) insigni Amicorum & Clientum conflatâ manu, nullo usquam obnitente, totum Comitatum in suam redigit potestatem. Magistratus Oppidorum, & præcipuè Lossensis, eaque frequens Nobilitas, sæcularem Principem præ Ecclesiastico longè malebant; signanter cùm ejus præclaram indolem virtutesque hoc fastigio dignas jam pridem perspectas habebant: metuebantque sibi à Præfectis, qui suarum rerum sæpiùs quàm Dominorum communisque Populi satagunt; nec improbabatur factum Adolfo Antistiti, dissidebatque vultus ab animo. Verùm Canonici totis obnitebantur viribus: cùmque sæpiùs frustrà admonuissent Epis-

copum summisque ursissent precibus, ne jura Ecclesiæ imminui, tantamque ad Mensæ Episcopalis accessionem è manibus elabi sinat; scribunt ad Decanum suum Berthrardum Cardinalem, aliosque in Aula præsentes Pontificis, quo Episcopus cogatur arma corripere, Comitatumque asserere Ecclesiæ. Paret ille in speciem imperio summi Pontificis, militemque colligit, quasi Comitatum armis subacturus; sed reverà ut Canonicorum sisteret murmura. Theodorico nec vires nec animus deerant, spectareque videbatur rei exitus ad pugnam, nisi intercessisset Reynaldus Dux Gelriæ, impetrassetque ab utraque parte inducias; convetumque in has conditiones: *Episcopus Comitatum adeunto; retinunto; Magistratus Oppidorum, Arcium Præfecti cæterique Officiales in muniis suis perseveranto, donec legitimus deciderit controversiam Judex.* Hanc transactionem Capitulum ratam habere noluit, cùm longè secùs atque conventum fuerat eveniret.

Officiales namque in Heinsbergium quàm Canonicos propensiores, detrectabant parere Joanni de Landris Equiti, quem Episcopus Comitatui præfecerat, suasque demandaverat vices; vicini quoque Principes occultè Heinsbergio favebant, ejusque adjutabant partes. Maturè itaque perpenso quod imminebat periculo, si ad Pares Ecclesiæ, maximam in partem sæculares, vel etiam Imperii Proceres, devolvatur controversiæ decisio, ne fortè causâ cadant Canonici, clanculum oblegant Nuntium Avenionem ad Papæ Curiam, qui ab ipso avocationem litis impetret. Illo perbenignè à Benedicto XII. audito, & ad postulata annuente, Theodoricus solitis intervallis citatur Avenionem, ut per se vel Procuratorem compareat. Cui Curiali Mandato adeò non paruit, ut totis etiam obniteretur viribus, asserens se in temporalibus, non Pontificis, sed Cæsaris beneficiarium, circa quæ si oriatur controversia, illius determinationem ad hujus spectare Tribunal ad quod appellet.

Bello adversus Leodienses suppetias fert Brabanto atque à lectis utrimque Arbitris adjudicatur ei Comitatus Lossensis.

ADolfus Episcopus & Capitulum Leodiense anno 1333. Mechliniam vendiderant Ludovico Malano Flandriæ Comiti; hisce inter cæteras conditionibus, ut illa uniatur reliquo totius Flandriæ Corpori, nec dismembrari ab ea possit;

deinde ut Comites illam obtineant ab Ecclesia Leodiensi in beneficium, sintque perpetui Clientes. Mechlinienses in Brabantos, sibi undiquaque assidentes, genio, moribus, idiomatisque dialecto simillimos benevolentiâ proniores; quos Ludovicus Præfectum Urbis, cæterosque Officiales miserat capiendæ possessioni, excedere Urbe cogunt, fœdereque se jungunt Joanni Duci Brabantiæ: hinc illum inter & Comitem acre exarsit bellum, varioque eventu sæpiùs pugnatam est; donec utrimque calamitatum Patriæ pertæsi, pacem anno 1336 ineunt hac lege, ut indivisim Mechliniam obtineant æquali jure, Brabantus Flandrum, Flander Episcopum agnoscat Feudi Dominum. Iniqua hæc, & contra jus & æquum juramentumque, quod Flander præstiterat, conventio non mediocriter animum exacerbavit Episcopi, qui litteris die undecimâ mensis Junii sequentis anni datis Mechlinienses monet, videant ne Brabantum admittant, aut pravis ejus suggestionibus obaudiant, plurimaque illis pollicitus est; sed surdis canebatur fabula: unde cùm diù non bene convenisset inter illos, parum abfuit quin arma ea de causa corriperent. Sed & alia istius faciendi obtulit se occasio.

Reynaldus Dominus de Argenteau, Seneschallus Ducatûs Limburgii, iniquis exactionibus Possessiones Ecclesiæ S. Dionysii gravaverat, pergebatque immunitatem violare ecclesiasticam, à quo ut revocaretur scelere, Episcopus Limburgium sacris interdixerat. Id quoque Brabantus animo cônquoquere non poterat: missos namque à Præsule mense Augusto duos Apparitores ut Domini sui mandata peragant, Dux capite imminui jubet, tanquam violatæ Jurisdictionis suæ & authoritatis reos. Hinc tandem in publicum erupit dissidii fomes. Episcopus Ducem ferit anathemate; hic bona Ecclesiasticorum Leodiensium per Brabantiam arrestat, magnaque rerum oritur perturbatio, fitque ingens utrimque belli apparatus. Heinsbergius, quo sibi Brabantum arctius conciliet, Patentibus Litteris die Veneris ante Festum S. Thomæ Lovanii datis declarat, illum ab antiquo habere cum exercitu vel sine eo liberum per Comitatum Lossensem transitum; hujusque testes fuerunt, Guilielmus Dominus de Pietersheim, & Arnoldus de Oreille, Ruminiensis Dominus; hac tamen lege, ut quàm minimum damni & molestiæ Incolis adferant. Episcopus primo vere, die Aprilis tertiâ, cum exercitu in Brabantiam movet, auxilioque venit Joannes Rex Bohe-

miæ cum mille octingentis equitibus. Dux haud segnior, lectissimas undiquaque contrahit copias : illum sequebantur Reynaldus Comes Gelriæ, Theodoricus Lossensis Comes, Godefridus Heinsbergius ejus filius, Theodoricus Falcoburgius, fraterque ejus Joannes Dominus Bergarum ad Somam, copiosaque alia Nobilitas; digressusque ad ultimæ suæ Ditionis limites hosti obviàm, parabat prior illius fines invadere. Intervenerunt Waleramus Archiepiscopus Coloniensis, frater ejus Comes Juliæ, Hannoniusque Ducis gener : obtentisque utrimque ab armis induciis, obtulere se totius controversiæ Arbitros; eâdemque operâ decidendam litem inter Heinsbergium & Episcopum; qui benignè auditi ab utraque parte, sententiâ arbitrali pronuntiarunt, ut Dux arrestata relaxet, illataque præstet damna ad summam viginti millium florenorum. Fidejussores fuêre Comites Gelriæ & Hannoniæ, necnon Joannes Dynasta Beaumontius; Episcopus per omnes Ducis Ditiones Ecclesiasticum sustollat Interdictum sacrisque restituat. Cæteræ ipsos inter controversiæ, & illa Heinsbergii cum Episcopo, assignatæ fuêre ex parte Ducis Waleramo Archipræsuli & Guilielmo Hannoniæ Comiti; à parte Episcopi Joanni Regi Bohemiæ & Theodorico de Walcourt Dynastæ Rupefortio, qui die 26. Aprilis anno 1338. Oppidum Hasselense ingressi, se jurejurando obstrinxerunt, non elaturos inde pedem, nisi controversiam deciderint; ratumque futurum quidquid tres ex illis pari definierint sententiâ. Non poterat latere Episcopum, quin lecti illi Principes multùm in Heinsbergium quàm Ecclesiasticum Ordinem futuri forent propensiores; sed quia aliud dissimulans, sororio favebat, malebat illi ex compromisso & Arbitrorum - sententia specioso æquitatis titulo adjudicari Comitatum, quàm si suâ unius conniventiâ illum obtinere videretur. Die itaque Jovis ante Ascensionem Domini, pronuntiatum pro Heinsbergio, *jureque hereditario ac legitimo ad illum spectare Comitatum; cujus tamen Investituram ipse successoresque accipere teneantur ab Ecclesia Leodiensi; deinde huic cedat Castrum Castellaniamque Montenacensem cum Advocatia Leodiensi, quæ Comites Lossenses hactenus obtinuerint, redditumque annuum ducentorum modiorum siliginis, pro quibus Ecclesia Theodorico persolvat triginta quatuor regalium millia ex divendita Mechlinia.* At huic Arbitrorum sententiæ plures è Canonicis stare noluerunt palàmque contrà protestabantur, *Episcopum causam prodidisse Capituli; nul-*

lius illud arbitrium roboris, pendente lite coram Papali Curia, quæ inhibuerit sub pœna anathematis, ne quis de ea cognoscat, nedum definitivè statuat; ad solam Apostolicam spectare Sedem illius decisionem; quam sibi reservaverit Castellaniam Montenacensem, Leodiensem Advocatiam redditumque ducentorum modiorum siliginis, nequaquam emi posse ab Ecclesia, ut quæ sint partes Comitatûs, qui integer ad eam pertineat; stultum esse si quis quidpiam à seipso emat, multò minùs pecuniam desumi posse ex divendita Mechlinia; illam impendi debere in emptionem possessionum, quas Capitulum hactenus non obtinuerit.

Theodoricus contrà, Arbitrorum sententiam habebat validam ac legitimam, *eò quòd tam ipse, quàm Episcopus, repræsentans Capitulum, in illos compromiserint; pro nihilo ducendum, si pauci aliquot Canonici obtrectent & obnitantur; Sedem Apostolicam perperàm ab altera dumtaxat parte informatam, quòque litem rerum merè temporalium avocare non possit à legitimo Judice, nempe Imperatore, aut quos utrimque collitigantes elegerint Arbitros.* Interim perseverabat in assignata possessione, demerebaturque subditos, atque se propalàm Comitem indigitabat, habebaturque à vicinis Principibus.

Prænotato anno 1337. die sancti Thomæ Apostoli sacrâ, heredes Gerardi Domini Diestensis & Castellani Antuerpiensis, Conditoris Carthusianorum Zeelhemiensium, non ita pridem defuncti, partiuntur illius possessiones & bona, Joannes nempe Episcopus Ultrajectinus, qui obiit anno 1341, Thomas Dominus de Zeelheim ejus fratres, & Isabella cum marito suo Hugone de Ailly, Domino de Rumines, Arnoldi tertii fratris filia, Lovanii coram Joanne III. Duce Brabantiæ & Theodorico Comite Lossensi, præsentibus suis consanguineis Henrico Bertholdo Domino de Dussle, Guilielmo Domino de Boecxte, & Ludovico Domino de Diepenbeck. Theodoricus tum se scribebat Comitem Lossensem & Chineyensem, Dynastam Heinsbergium ac Blanckenbergium. Est verò Dynastia Blanckenbergia, ut & hoc per transennam dicam, inter septemdecim Ducatûs Montensis Præfecturas prima, ampla, & opulenta. Ejus Ditio plurimos pagos, Monasteria Toparchiasque intra se complectens. Oppidum Blanckenbergium ab Arcis in monte sitæ splendore nomen obtinet, ad cujus radices Sigena fluvius decurrit infraque Siburgum se in Rhenum exonerat.

Celeberrimo Principum inferioris Germaniæ Conventui Hercæ Oppidulo Lossensi celebrato interest.

EDuardus Angliæ Rex, qui se quoque jure materno primitus scripsit Franciæ Regem, inimicabatur, siquis unquam alius, cum Philippo Valesio Rege Franciæ, anno 1338 venit in Belgium. Humanissimè excipitur à Duce Brabantiæ, qui bene acceptis Angli Legatis, fœderatos Principes, Gelrum cæterosque, Hallas Oppidum Hannoniæ evocari curat, ubi propiùs collocuti, Anglo ut Imperatoris simul fœdus expeteret, authores fuere, quòd eo impetrato, justiorem in Galliam belli gerendi causam haberent, tamquam jussu Cæsaris; nec id difficile fore, præsertim cùm Franci Cameracum, Imperii antiquissimam Urbem, occupassent tenerentque. Quod ubi placuisset, *missus in Germaniam Guilielmus Juliacensis, omnia pro voto retulit; ac mox Hercæ Conventu celebrato, publicatæ Imperatoris Ludovici Bavari litteræ, quibus Eduardo Vicariatus Imperii & auri insuper nomine Imperatoris signandi potestas concessa; jussique omnes Imperii Principes Vicario tanquam Imperatori obedire.* Chronicon Trudonense de Gestis Amelii Abbatis, qui cœpit præesse ex anno 1330 sic habet cap. 2. *Circa idem tempus præfatus Rex Eduardus, tamquam Vicarius Imperii, sedit pro Tribunali apud Villam Herchæ, intra domum Bladorum, ubi Joannes Dux Brabantiæ inter cæteros Principes gladium evaginatum desuper verticem Regis tenuit, tamquam Marchio Imperii; cui & honoris causâ Theodoricus cum splendida Nobilium turba tum adfuit, & firmiter adhæsit.*

Ipse igitur Dominus Vicarius (inquit Dintherus) *attendens occucupationes injuriosas & usurpationes ac detentiones indebitas super locis, bonis & juribus ipsius Imperii, tam in Flandria & Comitatu Cameracensi & in Burgundia, quàm alibi, per Philipum de Valesio, qui se dicit Regem Franciæ, firmavit esse personaliter cum exercitu valido inter Villas de Monte & Bins in Hannonia, die Veneris tunc proximâ ante Festum B. Thomæ Apostoli, exinde directè contra dictos occupatores progressurus.*

Hinc ad arma & manus itum; nam anno sequenti, peractis omnibus quæ ad pacta conventa pertinebant, Eduardus Anglicanus copias in unum omnes coegit: institutâque adversus Francos expeditione, Cameracum obsedit. Comitati sunt eum Joannes

nes III. Brabantiæ, Reynaldus Gelriæ, Duces, Guilielmus Hannoniæ Hollandiæque Comes, ejusque patruus Guilielmus Bellomontius, Guilielmus Juliacensis, Adolfus Montensis, Theodoricus Lossensis, Reynaldus Falcoburgius, aliique Comites ac Proceres; sed desperatâ expugnatione, cæteris domum reversis, Eduardus Antuerpiam rediit, qua in Urbe Philippa ejus uxor, Guilielmi Hannoniæ filia, peperit Leonellum Ducem Clarentiæ, cognomento Antuerpianum. Ludovicus Imperator eodem anno Bergensem, Tractûs Rhenani Provinciam, itemque Gelriam Ducatûs titulo, Juliacensem verò Ditionem Marchionatûs dignitate nobilitat.

Advocatiam Leodiensem cedit Brabanto.

LEodiensis Civitatis Advocatiam Comites Lossenses hactenus, uti proprium Alodium, possidebant; illam prænotato anno die 29. mensis Aprilis, sancto Marco Evangelistæ sacro, firmandæ amicitiæ causâ, Theodoricus proprio instinctu, liberâque & deliberatâ voluntate, pari jure possidendam Tabulis publicis transcribit Joanni III. Duci Brabantiæ ejusque successoribus, quo tempore filius quoque Godefridus de Los Dominus de Mile & de Eyche, per litteras Herkenrodano Monasterio dat facultatem construendi forestarium pro sylva illarum *Indondersflooz*, quasi dicas, Daudinaria sylva: Loo enim antiquâ nostrâ linguâ sylva est. Villa enim locuples, quæ juxta Dandenarium lacum nomen idem præfert *Dondersflach*, spectavit jam à quadringentis annis ad Abbatiam Herkenrodanam, ut patet ex hoc Diplomate: *Engelbertus Dei gratiâ Coloniensis Archiepiscopus, omnibus in perpetuum. Cùm propter communem utilitatem Ecclesiæ sancti Servatii bona de Meuwen & sylvam de Donserla, cum suis appendiciis, Domini de Herkenrode, ad censum perpetuum (centum videlicet solidorum Leodiensis Diœcesis) dederit, sicut ex scripto utriusque Ecclesiæ patet; nos utilitatem hujus contractûs intelligentes, & commodum Ecclesiæ sancti Servatii, quæ nobis authoritate regiâ est commissa, perpendentes, prænominato contractui assensum præbemus authoritate regiâ, ipsum confirmantes authoritate etiam nostrâ; sub pœna excommunicationis statuentes, nequis ausu temerario præfatam Domum de Herkenrode in dictis bonis de cætero molestare præsumat. Datum anno Domini* 1215. *&c.*

Godefridus filius ejus unicus moritur.

REynaldus Comes, deinde primus Dux Gelriæ, uxorem suam ante patris anno 1326. mortui excessum sibi duxerat Sophiam, viri illustris Florentii Bertholdi Domini Mechliniæ, ejus Gentis ultimi, filiam, idque Adolfi præsertim Marcani Leodiensium Antistitis, aliorumque Amicorum & Procerum suasu consilioque: cùm enim illi Comitatum utrumque Gelriæ Zutphaniæque exhaustum quodam modo varièque obæratum infelici illo quod erat exortum patrem inter & filium dissidio, aliisque incommodis, animadverterent ejusmodi connubium rebus Reynaldi peropportunum existimarunt, quòd Florentius ex Bertholdorum Grimbergana Familia nobilissima, tum & clientis atque affinitatis præpotenti, per summum otium maximas congessisse opes credebatur. His igitur potitus nuptiis, reditibus ac opibus uxoris, quæ ingentes erant, confestim quæ jam antè oppignorata fuerant Castella, Vectigalia aliaque Comitatuum suorum Privilegia, prædiaque præsenti pecuniâ, quantum in ipso erat, liberare in dies ac redimere curæ habuit: *& additiam idcirco* (inquit Pontanus initio libri 7. Historiæ Gelriæ) *in sponsalibus Sophiæ conditionem haud frustrâneam reperio, roboratam sigillis, tum ipsius Comitis, tum & Ordinum Gelriæ, quâ cavebatur ne Gelriæ hereditas ad alios devolveretur quàm ad natos ex Sophia.* Liberi autem qui ex ea suscepti fuerunt, plures enumerantur, sed omnes sexûs sequioris. Margareta virgo obiit anno 1344. Mechtildis primùm nupta Godefrido nostro Lossensi, Theodorici filio, Adolfi Marcani Episcopi Leodiensis, ex sorore nepoti; deinde Joanni Cliviensi, demum Joanni Blesensi Comitibus: at ex nullo illorum suscepit liberos, obiitque anno 1380. Isabella desponsata Duci Austriæ, sed non ducta, quòd pater ejus sequeretur Ludovicum Bavarum; deinde Monasticen amplexa, Abbatissa obiit 1376. Maria convenit in manus Guilielmi Ducis Juliacensis, peperitque illi Guilielmum & Reynaldum Gelriæ & Juliaci ex ordine Duces, qui & avunculis suis in Ducatu successere Gelriæ. Vitam protraxit ad annum 1400. Reynaldus siquidem, mortuâ Sophiâ, sibi matrimonio copulavit Leonoram Eduardi III. Anglorum Regis sororem, habuitque ex ea Reynaldum & Eduardum, sibi in Ducatu successores mortuos absque liberis, quibus Mariæ filii suffecti sunt.

Atque his prænotatis, cùm Adulfus Marcanus singulari amplificandæ familiæ teneretur desiderio, magnaque necessitudo illi cum Gelro intercederet, haud gravatè ab eo obtinuit ut filiam suam Godefrido cederet uxorem, cui jam certissima Comitatûs Lossensis possessio addicta erat: eratque Adolfo longè præ omnibus Marcanæ familiæ Proceribus carissimus, & ingenti juvenis ille Princeps potiundi etiam Ducatûs tam felici senioris filiæ connubio alebatur spe; at in flore ætatis, annum vitæ agens alterum supra vigesimum, rebus humanis eximitur, maximo totius Patriæ incommodo, & luctu suorum, præsertim patris avunculique, decoratus lachrymis. Chronicon Trudonense scribit illum occubuisse in pugna adversus infideles; sed quinam illi, aut ubi, res incerta. Excessit ex hac vita anno 1342.

Hinc Canonici Leodienses, qui in gratiam filii hactenus cum patre simulaverant, huic anno sequenti dum rursus diem dicunt in Curia Pontificis Avenione, litemque intermissam reassumunt, quòd etiam ipsius Episcopi favor erga sororium refrixisse videretur, quàmvis reverà parum aut nihil hoc in negotio Capitulo opitularetur, lite adhuc pendente, tamen obtinuerunt Canonici Theodoricum excommunicari authoritate Apostolicâ, Comitatumque Lossensem interdici sacris; qui se ipsum haud deserens, circumspiciebat quæcumque sui tuendi causâ poterat præsidia. Brabantus, cujus Ditionibus, Brabantica & Limburgensi, Tractus Lossensis includitur, illi, quàmvis illud dissimulans, tacitus inhiabat suæque optabat potestatis fieri. Huic Theodoricus arcto jungebatur fœdere: quem juribus tam arctis sibi ut faventiorem reddat, quandoquidem jam omni spe posteritatis sit destitutus, Feudumque suum ab Ecclesia Leodiensi fortè velit in alium transcribere, inductus à Brabanto, expeditis desuper Codicillis illi spondet, se Comitatum Lossensem nulli alicui venditurum nisi cui Brabantus voluerit. Facile videre erat quònam illa urgeret Transactio: Hoienses diffidebant ab Episcopo, quos cùm pararet armis subigere, illi refugerunt ad Joannem Ducem Brabantiæ, pactique Castri deditionem, obtinuerunt ab eo quæ voluerunt omnia. Episcopus, indicto Ordinum Conventu, petit subsidia, præcipuè ut tota Nobilitas in armis compareat militetque contra Brabantum; respondetur, illam istud facturam quampromptissimè, si Episcopus Theodoricum Comitatu Lossensi investiat (secretò siquidem plerique illi etiam scripto polliciti

superioribus bellis fuerant, se non militaturos, nisi declararetur Comes, quod & Episcopus, licèt obnitentibus quibusdam Canonicorum, Nobilitati pollicitus, sperans se factum suum approbaturum Pontifici. Quod cùm Nobilitatis præcipui grandi cum lætitia nuntiarent Heinsbergio, eundemque juxta priora pacta urgerent in belli societatem, utque Dux esse velit; respondit, se recenter novo obstrictum fœdere Brabanto, sibi modò nefas esse illum deserere, perfidiæque incurrere maculam.

Inter hæc ipso Pentecostes die Guilielmus Comes Hannoniæ Hollandiæque à Nobilitate evocatus venit Leodium obtinuitque à Brabanto & Episcopo cessationem aliquot septimanarum ab armis, quo controversiæ ex æquo & decenti componi possint: petiitque à Canonicis sibi committi arbitrium de Comitatu Lossensi, cui cùm plures assentirentur, pronuntiavit pro Heinsbergio, nonnullis reclamantibus. Joannes Rex Bohemiæ & Joannes Bellomontius, Hannonii avunculus, ut & ipsi assentirentur, etiam intentatis minis, persuadere conati sunt. Paulò post Adolfus Antistes die tertiâ Novembris anno 1344. æger animi ob Hoyensium præsertim motus, moritur Claromonte à se elagantissimè extructo. Anno proximo in ejus surrogatur locum à Pontifice Engelbertus Marcanus S. Lamberti Præpositus, defuncti nepos.

Theodoricus investitur Comitatu Lossensi.

M*Ense Junio anno* 1346, inquit Hocsemius cap. 32. *Abbas S. Nicasii venit Leodium cum Litteris Apostolicis, quibus illi Papa mandabat, quòd si de consensu Capituli præcederet facta concordia inter Ecclesiam Leodiensem & Dominum de Heinsberg, ipsum posset ab anathemate absolvere & interdictum latum relaxare: & cùm id Abbas diutiùs tractasset cum Capitulo, tandem obtinuit quinque Canonicos eligi ad tractandum cum parte adversa unà cum Abbate; ita tamen quòd non haberent potestatem negotium terminandi sine Capitulo & Patria, per quam (sed quo jure & authoritate) sasinia Comitatûs Episcopo fuerat adjudicata: ipsi tamen, nullâ relatione facta Capitulo, Dominica ante festum S. Joannis Baptistæ consenserunt in Heinsbergii investitionem, Episcopusque adversarium Ecclesiæ de Comitatu investivit. Capitulum appellavit ad Sedem Apostolicam.* In hunc modum ille. Atque ex eo tempore Theodoricus strenuam militiæ fidelemque Episcopo navavit operam, præcipuè anno 1347, quando Leo-

dienses Antistiti rebellantes, captâ & dirutâ Argenteâ ad Turrinas, per Episcopum & Brabantum aliosque Principes fœderatos ingenti clade fracti, pacem supplices petere coacti sunt. Butkens lib. 4. fol. 437. scribit Joannem Ducem Brabantiæ Ditionem Leodiensem ingressum, habuisse in Comitatu filium suum primogenitum Ducem Limburgium, Reynaldum Juniorem Ducem Gelriæ, necnon Theodoricum Comitem Lossensem, singulos cum suis militum turmis. Anno 1349. cum Engelberto Episcopo cæterisque Principibus Coronationi Caroli IV. Cæsaris Aquisgrani interest.

Magno contracto ære alieno Comitatûs adipiscendi causâ, quamplurima jugera ex Erycetis Geilenkerkensi ac Bronsrardiensi, subditis assistentibus, anno 1350. Arnoldo ab Hegen ejusque uxori magnò vendidit.

Wenceslaum & Joannam Duces anno 1356. totâ plenè Brabantiâ à Ludovico Flandriæ Comite exactos, Mosæque Trajectum refugos, egregiè adjuvit Patriæque reddidit. Cùmque melior jam ipsis affulgeret fortuna, polliciti illi fuêre dare supra sexdecim aureorum millia.

Anno 1357. Carolus IV. celebrans Natalem Domini Metis in Lotharingia, Dynastiam Falcoburgiam erigit in Comitatum, idque in gratiam Guilielmi Ducis Juliacensis, qui illam permutatione cum Oppido suo Casterensi acquisiverat, illoque eundem investit, quod Waleramum Falcoburgium Dynastam de Borne, Sittaert, Herssen, Ravestein, &c. male habuit, qui se jure masculino asserebat proximum Falcoburgii heredem, ac suum quacumque ratione jus tueri conabatur: ideo tam ille quàm Juliæ Dux magnum faciebant apparatum; sed Gerardus Montium Comes, Ducis primogenitus, ac Theodoricus noster intercesserunt, hisque conditionibus discessum ad armis, ut *Wenceslaus Dux Brabantiæ Arcem Falcoburgiam totamque Ditionem tamdiù detineat, donec Imperator directus Dominus controversiam inter Waleramum & Philippotam Dominam Ninhoviensem cognatam ejus decidat.*

Eodem anno officium Scolastici in Ecclesia Heinsbergensi ab Engelberto Leodiensi Episcopo institui, & incorporatione Ecclesiæ Millensis dotari procurat. Altero anno Altare sancti Laurentii de suo peculio fundat, moxque dignitatem Cantoratûs ab Henrico Brunsradiensi Canonico institutam, assensu suo approbat, & ab Engelberto Episcopo confirmari obtinet.

Mm 3

Erat quoque in cultu & veneratione Deiparæ Virginis Hallensis eximiè deditus, nomenque suum inter multos & dignitate ac potentiâ Europæ primos, Sodalitati Marianæ, ibidem antiquitus institutæ, dedit. Scribuntur primò;

Cæsar cum uxore & liberis, & facile est conjicere illum fuisse Maximilianum Austriacum.

Rex Angliæ cum uxore & liberis; Henricum scilicet octavum, eidem Cæsari amicum.

Est deinde Dux Brabantiæ, Lotharingiæ, Limburgi, cum uxore & liberis.

Item Dux Gelriæ & Juliaci.

Et jam nominatim Guilielmus senior, Comes Hannoniæ & uxor.

Alius Guilielmus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, cum uxore & liberis.

Albertus Comes Palatinus Rheni.

Dux Bavariæ.

Comes Hollandiæ & Frisiæ, cum uxore & liberis.

Ludovicus Comes Flandriæ, & uxor Margareta.

Fredericus Dux Bavariæ.

Theodoricus Comes Lossensis.

Guilielmus Flander; Comes Namurcensis, Bethuniæ Dominus, cum Joanna uxore.

Multi alii Principes, Antistites Nobiles, privati plebeii, quos sine fructu aut oblatatione nominemus. *Ita Lipsius cap.* 34.

Mors ejus & sepultura.

THeodoricus tandem vitæ ærumnarumque satur, diem clausit extremum Stochemii in Arce, anno 1361, die 19. mensis Januarii, postquam variâ fortunâ Comitatum, aliasque hereditarias Ditiones magnâ prudentiæ, tolerantiæ, fortitudinisque laude administrasset, facilis, & in subditos admodùm benignus Princeps. Extrema hac ægritudine adfuit Reynerus Probus, Augustinianorum Hasselensium Prior, quo antehac fuerat usus conscientiæ suæ arcanorumque arbitrio, omniaque illi christianæ caritatis impendit obsequia. Cùmque inde efferretur Herkenrodam ad Amicorum suorum Mausoleum, Sanctimoniales non fuère ausæ ad sepeliendum admittere, quòd obiisset in excommu-

nicatione, pro more illius ævi inflicta ob non solutum æs alienum, quod olim pro Comitatu consequendo contraxerat; vir alioquin probus & integer. Excellentissimi Principis tam iniquam sortem Reynerus noster miseratus, optimi Benefactoris exuvias ad suum advehi curavit Monasterium, ac tantisper, loco quidem decente, sed profano, deponi, donec & in foro fori absolveretur ab anathemate: tum verò cadaver pro dignitate in loculo depositum, sepelitur in medio Chori, sub insigni sacrophago marmoreo, longo circiter pedes undecim, sex lato, cui incidi nuper curavimus hanc Memoriam:

D. O. M.

Monumentum illustrissimi Principis

D. THEODERICI AB HEINSBERG,

ultimi sæcularis Comitis Lossensis, &c.

Obiit anno Domini 1361. die 19na Januarii.

R. I. P.

Sic enim Necrologium nostrum, antiquitate suppar, in membrana scriptum habet: *Anno Domini 1361. obiit Dominus Theodoricus Comes Lossensis, qui sepultus est in Conventu nostro in medio Chori.*

Optimi dixi Benefactoris, quia ille inter cætera nobis contulit jus piscationis in Tamera fluvio, sub Hasseleto & Curingia, usque ad Mosam, quale ipsi Comites habere soliti, ut publicis Tabulis anno 1362. asseruit Godefridus, Teutonicè *Godard*, ipsius successor. Quam donationem deinde duo alii Comites, Erardus à Marcha, Leodiensis Episcopus, anno 1515, & Ernestus Bavarus anno 1594. renovarunt, approbarunt, & confirmarunt.

Godefridus Dalembrouchius conatur Comitatum invadere.

GOdefridus Dalembrouchius à patruo institutus ex asse heres, uti sanguine proximus, (erat siquidem Joannes Domini Dalembrouchii Theodorici fratris senioris filius primogenitus) Dynastias Heynsbergiam, Leuwenbergiam, Blanckenbergiam, aliaque inferioris notæ Dominia illico adiit; *Comitatuique inhians, quàm primùm*, inquit Rodulfus à Rivo cap. 5. *in Stochemiensem, totius Comitatûs primariam Arcem* (Heinsberga haud longè abjacet) *aliaque vicina Oppida quantociùs se ingerit, fidelitatisque sacramentum ab Incolis exigit.* Quod ad Engelbertum Leodiensem ut defertur Episcopum, Conventum totius Patriæ indicit ad diem 25. Aprilis; quòdque Ecclesia sua in Comitatum jus habeat, dissertè exponit, omniumque promovet animos. Bellum extemplo adversus Dalembrouchium decernitur, fitque ingens apparatus, quàmvis haud defuerint qui illius partes clàm foverent, quos inter Guilielmus de Cornu, Leodiensis Consul, qui nescio quibus tergiversationibus verborumque ambage Civium animos avertere conabatur. Prævaluit tamen causæ æquitas flagransque Episcopi ac Populi studium. Quod igitur prosperè vertit, ille copioso splendidoque Leodiensium, Dionantensium, Trudonensium, Fossensium, Tudinensium, Bulloniensium, & Hogardiensium, ad quadraginta, ut ferebatur, millia, conflato exercitu, primò Hasseletum, Bilisiam, vicinaque illis munita loca, nemine uspiam resistente, capit, præsidioque militari, ac rebus ad defensionem necessariis munit; moxque die 27. mensis Maii, diu noctuque profectus cum exercitu, arctâ Stochemium obsidione cingit.

Primarii exercitus Duces erant, Theodoricus Cliviæ, & Adolfus Marchiæ, Comites, Everardo Marcano Episcopi fratre præferente Vexillum S. Lamberti; item Dominus Joannes de Flemalle, & Dominus Ludovicus de Marcha, Civium Magistri. Copiis Dalembrouchii præerant plures strenui Milites Patriæ Cliviensis, qui magnâ priùs celeritate captâ Arce Stochemiensi, agrum Masekanum, Breensem, Hornensem, vicinaque loca, veluti sibi infesta & rebellantia, depopulabantur, ac octoginta milites, quos Episcopus ad castra metandum præmiserat, indignâ cæde obtruncaverant. Quo ille tam atroci accepto nuntio, exulce-

exulceratisque totius exercitûs animis, nihil omnino intermittit quod ad accelerandam deditionem faceret: intercluduntur itinera, murorum fossas magnâ undiquaque congestarum arborum copiâ milites replent, fiuntque assidui in Arcem assultus, quòd nonnulli ex vicinis agris captivi certis argumentis spem facerent non diù tolerandæ ab obsessis oppugnationis; neque enim eos inter conveniebat. Hinc novâ rursus exortâ dissensione, vigesimâ septimâ ab obsidione die Arcem Episcopo dedunt, nonnisi corporum pacti incolumitatem. Infertur illico Vexillum S. Lamberti fortissimi Martyris, summâque exponitur Arce; ingrediuntur deinde Episcopus, cæterique Principes copioso numero. Fertur eâ nocte Dalembrouchius cessisse victori Antistiti quidquid juris in Comitatum haberet, fideque juratâ spopondisse se nunquam comitali usurum titulo; sed sponsioni nequaquam stetisse: perrexit siquidem, relicto Dalembrouchii nomine, non tantùm Lossensem, sed & Comitem scribere, prout vidi in ipsius Diplomatibus, quorum aliqua in nostro extant Tabulario. Ipse totaque ejus posteritas assumpsere nomen insigniaque Lossensia, inanique in seram posteritatem oblectarunt se schemate suo; tamen, sive de jure, sive de viribus diffidens, quàmvis Philippinam Guilielmi Ducis Juliacensis filiam haberet conjugem, quidquid sibi superesset juris in Comitatum, anno 1363. Arnoldo de Oreille, Dynastæ Rumineo, patris sui consobrino, pecuniâ, sed nunquam exsolutâ, vendidit; quòd fortè speraret, illum ausurum resistere Episcopo, nec defuturas vires: erat siquidem & ipse è Domo Lossensi oriundus, avunculumque Ludovicum & maternum avum Arnoldum Comites habuerat, quàmvis ex parte patris Guilielmi de Oreille Armigeri tantùm non parum declinare videbatur; tamen plus æquo animosior, quòd originem traheret ex nobili prosapia de Awans in Hasbania, opum & clientum ditissima; deinde quòd Satrapa foret Brabantiæ militiæque imperans, magnâ in Aula Wenceslai Ducis authoritate floreret pecuniisque abundaret. Uxor prætereà illi obtigerat Isabella, Ludovici Malani Flandriæ Comitis filia, mulier magnanima, quæque insatiabili flagrans ambitione, eò etiam maritum propellebat: quodque caput rei, illi in Brabantia & Flandria, quin & in Ditione Leodiensi, amici haud deerant, qui ejusmodi faverent conatibus: atque his aliisque de causis emptionem illam aggressus, lætiorem rerum suarum augurabatur exitum.

Et fortè evenisset, nisi nimisquàm præproperè usurpasset Comitis titulum, quod illi summam, & præcipuè in Aula Brabantia, cui jam pridem veluti exterus odio erat ob nimiam potentiam, conciliavit invidiam: quanti enim ipsum Dux Wenceslaus faceret, vel inde liquet, quòd eo Administro, etiam in gravissimis negotiis, uteretur; non raro litteras publicas ipsius Ducis signabat nomine; inter Delegatos ut plurimùm primus; transegit negotium summi momenti anno 1357. cum Legatis Comitis Flandriæ: & quidni illo rerum articulo Flandram obtinuerit conjugem, conjectura à vero haud abludit, eò quòd Flandro quàm Domino suo illo in Contractu fuerat addictior; Litteris deinde Pacificationis cum Urbe Lovaniensi, anno 1361. die 19. Octobris datis, honoratur titulo Cognati ipsius Ducis, quibus subscripsere Wenceslaus Dux, Ducissa, Guilielmus Dux Juliæ, Robertus Namurcensis, Dynasta Baufortius, Joannes Comes Salmensis, Arnoldus Dominus de Ruminen & Quaetbeck, vocanturque Cognati Ducis. Deinde Reynaldus Dominus de Schonvorst, Henricus de Bautersem, Dominus Bergarum, aliique plures, ut non omnino vanè tanti favore Principis & auspiciis ad comitalem dignitatem aspirare potuisse videatur. Nimia tamen illa Ducis in eum propensio plurimùm obfuit invidiæque vel maximè reddidit obnoxium. Vulgo tum ferebatur, Flandrum sibi nuntiantibus Arnoldum quoque evasisse in Comitem, respondisse, dicit Dousa, *se minimè credere tam facilè fieri Cimites*, atque Comites cum suis lasciviunt amasiis.

Arnoldus Rumineus, nepofque ejus Guilielmus Hamalius postremi de Comitatu decertant.

INiquissima igitur Ruminei emptio ubi innotuit, Engelbertus Episcopus Ordines Patriæ convocat, reique indignitatem verbis quantùm potest exagerat: facillimumque illi fuit persuadere oratione iis qui jam tum in arma propendebant atque ad illa conclamabant. Rumineus verò, quo à se amoliretur facti invidiam, jure potiùs quàm armis agendum censuit, eaque de causa mittit suum ex Maria sorore nepotem Guilielmum Hamalium ad Cæsarem, conquestum de Episcopi iniqua violentia, rogatumque ut dignetur utrumque coram suo æquissimo Tribunali Cæsareo sistere.

Engelbertus eòdem ablegat suo nomine Abbatem novi Monasterii, juxta Hoyum, J. U. consultissimum; sed Hamalius præverterat, auroque Consiliariorum animos adeò demulserat, ut Carolus. IV. Imperator decreverit Episcopum non per Procuratorem, sed debere comparere in propria persona, qui illico Pragam pergit, splendido sexaginta Equitum comitatu; atque in itinere primùm à Coloniensibus, deinde Moguntinis, aliisque, ac demum ab ipso honorificè suscipitur Cæsare: atque sic auditâ, discussâque causâ, decernit Episcopum in possessione Comitatûs debere persistere, donec ipse ad Tractum Rheni veniens, definitivam proferat sententiam. Pendente intereà lite indecisâ, Adolfus Adolfi quinti Marchiæ Comitis filius, Coloniensis Archipræsul, abdicatâ dignitate, transit ad Margaretæ Comitis Montanæ nuptias, Gerardi Julio-Montani filiæ; auspicatoque hoc connubio fit Cliviensis, Marcanusque Comes, Provinciasque illas unit. In cujus locum patruus ejus Engelbertus à summo Pontifice sufficitur, ætate licèt jam præcipiti, multisque bellorum & molestiarum fractus laboribus. Anno 1364. Coloniam, magno sui relicto Leodiensibus desiderio, proficiscitur: atque hoc pacto vacante Cathedrâ Leodiensi, Rumineus sibi opportunitatem dari ratus, Comitatum non ampliùs viâ juris, sed armorum invadere cogitat. Herkam oppidum in Brabantiæ confinibus non exiguâ militum stipatus manu ingressus, Cives ad fidei sacramentum adigit, imperataque cogit facere, Magistratum creat, variaque edit Diplomata; missisque in vicinos vicos fecialibus, ea mandari executioni vult, tamquam absolutus Dominus, & cui, cum arrogato Comitis titulo, jura omnia competant. Quod ubi auditum Leodii, quatuor ex Canonicis ad id designati (erat adhuc interregnum) militem in Hasbania cogunt, atque in primis, ne Rummeus altiùs in Comitatûs viscera penetret, Hasseleto imponunt præsidium, indeque cùm copiis digressi, Herkam obsidione cingunt, murosque ac portas tormentis quatiunt. Quibus ille perterritus, clam Sociis corripit fugam; ejusque exemplo, quos prior deseruerat, & ipsi fugientem deserunt, seseque clementiæ Canonicorum dediderunt. Duo ex primariis factionis Ducibus imminuti capite; reliqui circiter octoginta abducti in carcerem. Summo tum in discrimine versabatur Rummeus, & ferè erat, ad contundendam ejus pervicaciam, ut ipsius in vicinia Arx Rummensis excideretur, quod Ordines Pa-

triæ decreverant, nisi præsidio fuisset Wenceslai Ducis authoritas; qui pro veteri amicitia, quæ ipsi cum Adolfo defuncto Leodiensi Episcopo intercesserat, censebat illo extremo imminentis periculi articulo Rummeum haud omnino deserendum, uti quem hactenus plurimi fecerat: ideoque missis extemplo suis ad Oppidum Herkense & Hasselense Legatis, à Leodiensis exercitûs Ducibus tandem obtinet, ut ab ulteriore armorum illatione abscedant, eoque in statu controversia maneat quo Cæsar jusserat, donec definitivè decidatur ex bono utriusque partis & æquo. Leodienses nihilominus domum quâ venerant, scilicet per agrum Hasselensem & Tungrensem, revertentes, Hamalii Castro circa Tungrim ignem subjiciunt, flammisque devorandum tradunt.

Agebat Avenione Joannes ab Arckel, Ultrajectinus Episcopus, quò eum difficultates cum suo Canonicorum Collegio evocaverant, ibidemque etiam ipsi summo Pontifici Urbano V. innotuerat ab integritate vitæ, prudentia, agendi dexteritate, magnanimitate, cæterisque Episcopo dignis virtutibus, jubeturque ab eodem ex Ultrajectina in Leodiensem Cathedram scandere. Dumque præcipiti mense Julio Leodii inauguratur, Rumineus nepósque ejus Hamalius, quos adipiscendi Comitatûs cura adhuc coquebat, ingentem circa Grevembrociam in Campinia militum manum contrahunt: Beringiæque circumfusi, in illam crebros faciunt insultus, scalisque pertentant in mœnia evadere; verùm excipiuntur ab Incolis tantâ animositate & viribus, ut desertâ obsidione, conjecerint se in fugam.

Quod cùm celerrimè hinc nuntiatum esset Leodii, inde à Trudonensibus indicaretur Ordinibus, quendam ex suis Lanionem in opificio letaliter vulneratum ab Apparitore Rummensi, alii ab Arcis Custodibus scribunt, pluresque frustrà fuissent initi contractus pacis, quod ut fieret Wenceslaus Dux obtinuerat, ulteriùs omnis moræ impatientissimi, decernunt accelerandum Arcis Ruminensis excidium. Evocati illico undiquaque milites, parantur obsidioni faciendæ necessaria: Lambertus Doupeie, experiens & [illegible]us Miles, donatur ab Episcopo Vexillo sancti Lamberti, in Æde ipsius primaria, prodeuntemque armati sequuntur primi ipsi Leodienses, deinde Hoyenses, Dionantenses, Trudonenses, Fossenses, aliorumque Oppidorum & Villarum Cives, omni telorum genere instructissimi, die sancto

Laurentio sacrâ, Rumineiam veniunt Arcemque obsident, magnisque adoriuntur animis. Præsidiarii, spe submittendarum à Wenceslao suppetiarum fidentiores, pari conatu Arcem tuentur, nihilque intermittunt submovendis à mœnibus hostibus. At cùm illas nequidquam longo septimanarum septem expectassent tempore, Episcopalisque exercitus, tandem oppletis fossis, areâque complanatâ Arcis, portam turriumque fundamenta assiduo arietum impulsu quaterent, minitarenturque ruinam, gravissimo consternuntur metu, omnisque consilii inopes, absque ulla pactione, se victorum præmisêre arbitrio. Antesignanus, in aliorum terrorem, plectitur capite; reliqui supra centum abducti ad Arcem Mohanam, deinde se lytro redemerunt. Expilatis mox ædibus, turres murique in circuitu æquantur solo: quodque direptioni superfuit militum, traditur flammis. Id pridie Idus Octobris anno 1365. contigit.

Compilator Chronici Trudonensis, illo ævo suppar, enucleatiùs obsidionem hanc exequitur in hunc modum. *Prænotato anno, die undecimâ Augusti, Castrum de Ruminis obsidetur per Joannem Episcopum cum tota Patria & Militia, ubi inter cæteros Mangolales, machina Oppidanorum sancti Trudonis jaciebat tam grandes lapides ut obsessi ab illius Jaculatione maximè formidarent: quia Castri structura inde concutiebatur. Præterea cùm in vigilia sancti Dionysii Episcopus fecisset aptari quandam machiniam, quam aprum vocant, illâ concussa est porta Castri & una ex turribus tam impetuosè, ut omnis structura dissolveretur. Tum Custodes ad planitiem in summitate Castri ordinatam accedentes, nervosè rebellabant, sulphureosque globos cum ardentibus tignis & tonitrualibus globis plombeis super apri machinam projicientes, plures ex obsidentibus mutilabant & inflammabant.* An tum ibi usus sclopetorum? Lipsius Lovanii sui lib. 2. c. 5. adnotat illo anno 1365. visa in Belgica & quamdiù Arnoldus à Duce obtinuerit, qui tamen nimiam vim patientes, ad deditionem Castri compulsi sunt, salvis corporibus. Numerus illorum erat centum viginti quatuor, exceptis sex mortuis. Ducti sunt ad prisonem Castri de Musal: disjestis deinde turribus & parietibus, cæterisque combustis, locus ille Castrensis proscriptus & adjudicatus fuit à sui restructione ad centum annos.

Manetque Arx illa, Comitum olim domicilium, suis in hodiernum diem insepulta ruinis, nec nisi veterem Arcis amplitudinem extinctique decoris servat vestigia: quam enim Baro Ru-

minienſis ſatis elegantem & ſplendidam, ad majorem venuſtatem & commodum ex nupero reſuſcitatam incendio inhabitat à diruta ſexcentis circiter paſſibus remotam, poſteà ædificari cœpta à Dominis de Horion, juxta ſuam feudalem Curiam, immigravitque cum filia herede in Familiam de Hoen. Felix Joanna de Los, Arnoldi mater, quæ hanc ſuæ cladem Domûs maturâ morte præverterat, nec funeſtæ iſti tragediæ adfuit, ſepulta ſub marmoreo cippo in Eccleſia de Orienten, Ordinis Ciſtercienſis, in quam munifica fuerat, Ordinique apprimè addicta, cum hoc epigraphio :

Hier liggen begraven heer Willem van Urle, heer van Rummen, ende wrauwe Jenne van Quaetbeck ſyn wettige wrauwe wylen, die was wettige dochter Greve Aerdt van Loen, ende Gravinne Margarite, Heer Aerdt haer beyder ſoen deweerke, Heer van Rummen was.

Iſabella Flandra, audito tam triſti & acerbo nuntio, conceſſit ad patrem ſuum in Flandriam, ubi non multò poſt mœrore contabuit : unde & Rummeus in graves cum ſocero incidit controverſias ratione dotis uxoriæ, adeòque ſummis ille intricatus moleſtiis, quibus haud erat perferendis, præſertim deſerentibus eum undiquaque amicis ; quòdque ſe facultatibus exhauſtum cerneret, cum animo ſuo ſtatuit potiùs quàm aliò ad clementiam Epiſcopi & Capituli confugere : quod multò feciſſet citiùs, niſi uxor, mulier ambitionis plena, viriliſque prorſus animi, eum ſtuduiſſet avertere, quòd nimiſquam patris & Wenceſlai potentiæ fideret. Illâ igitur præmortuâ, Rummeus & Hamalius anno proximo Oratores mittunt Leodium, qui rem ab ovo diſcutiendam, jureque determinandam offerunt. Excepti auditique perbenignè & humaniter, habitæque cum eiſdem à deſignatis ab Epiſcopo juris utriuſque conſultiſſimis conferentiæ, quibus tandem in has perennis pacis & concordiæ pac-

tiones conventum est. *Ut Episcopus Rummeo & Hamalio vitâ superstite, exolvat quotannis tria florenorum millia; ipsique vice versa, omni actioni, juri & prætentioni in Comitatum in perpetuum cedant ac renuntient, litterasque ac monumenta, si quæ ad illum spectantia habeant, integerrimâ consignent fide.* Atque hæc læta istiùs tragediæ catastrophe, manetque deinceps Comitatus Principatui Leodiensi annexus: quem Deus optimus, maximus semper florentem servet ubertate soli, studio pacis, ac cum vicinis commercio, constantique & avitâ professione fidei catholicæ.

Catalogum Comitum Ecclesiasticorum edidi in meo Hasseleto. Ex Schemate demum genealogico lucebit in quas familias perquam illustres Sanguis Los-Heinsbergius defierit.

STEMMA MECHTILDIS WOGELSANQUIÆ, ARNOLDI COMITIS LOSSENSIS FILIÆ.

Theodoricus Dynasta Heinsbergius & Blanckenbergius obiit anno 1300.
Uxor Joanna.

- Henricus Heinsbergius obiit improlis anno 1287.
- Waleramus, patri quoque præmortuus, sepelitur in Monasterio veteris Montis, Ordinis Cistercienfis, in Ducatu Montensi.
- Godefridus Dynasta Heinsbergius & Blanckenbergius, necnon per oppignorationem Wassenburgius, tori obtinuit sociam Mechtildem Wogelsanquiam, Arnoldi Comitis Lossensis filiam natu maximam. In fata concessit anno 1333.
- Theodoricus Canonicus Metropolitanus & Cathedralis Leodii.
- Margareta Sanctimonialis, Heinsbergensis, Ordinis Præmonstratensis.

Theodoricus Dynasta Heinsbergius & Blanckenbergius ex testamento avunculi sui Ludovici Comitis Lossensis. Uxorem habuit Mechtildem Eberhardi Comitis Marcani ex Iringarde Montana filiam, Adolfi à Marcka Leodiensis Episcopi sororem; obiit Stokhemii in Arce anno 1361 sepultus in medio chori apud Augustinianos Hasseleti.

Godefridus de Los Præpositus Aquensis.

Joannes Dominus Dalembrochius. Uxor Joãna de Voerne, quæ marito præmortuo anno 1342. deinde nupsit Joanni Falcoburgio, Domino Sittardiensi. Ille stirpem Lossensem propagavit.

Henricus Dominus Leuwenbergius.

Margareta Abbatissa Thorensis vivebat annis 1346. & 1378.

Ida.

Godefridus de Los, Dynasta Heinsbergius, spes unica transmittendi Comitatûs Lossensis ad posteros, ductâ Mechtilde Reynaldi primi Gelriæ Ducis filiâ, in flore ætatis absque liberis obiit anno 1342. Illa deinde nupsit Joanni Cliviensi Comiti anno 1363, mortuo tertio Joanni Blesensi; sed semper improlis.

Godefridus, Teutonicè Godard, Dominus Dalembrouchius, patrui sui Theodorici in Dynastiis Heinsbergia & Blackenbergia successor, scriptusque ab eodem Comitatûs Lossensis heres, duxit anno 1362. Philippinam Guilielmi Ducis Juliacensis filiam, ex Philippina Eduardi Angliæ Regis filia, relictoque Dalembrouchii nomine, Lossensis dici voluit, nomenque recassum transmisit ad posteros. Aliquandiu armis decertavit de Comitatu Lossensi contra Engelbertum Marcanum Leodiensem Antistitem; sed de suo jure seu viribus diffidens, vendidit jus suum Arnoldo Rūmeo, patris consobrino, anno 1363. Uxor obiit Festo sancti Bartholomæi anno 1390, quam ille ad alteram vitam secutus anno 1395.

Henricus Lossensis.

Joannes de Los Dynasta Heinsbergius, Blanckenbergius, Leuwenbergius, Millenius & Steynensis, uxorem habuit primò Margaretam Genapii ad Mosam & alibi Dominam, atque ex ea utriusque sexûs liberos sustulit.

Mater eodem anno quo Joannes filius renuntiatur Leodiensis Episcopus, moritur, nempe anno 1419. 4. die Octobris; pater cum Adolfo Cliviæ Ducis filiam Leodium splendido comitatu deducit; transiit deinde ad secundas nuptias cum Anna Comitissa de Salme, Ottonis & Agnetis de Mitzenberg filia; obiit anno 1439. 24. Januarii.

Godefridus Trajectensis Præpositus ad Mosam.

Joanna uxor Comitis Hornani.

Philippinam sibi matrimonio junxit Comes Nuenariensis.

Catharina conjux Gisberti de Beveren, qui obiit anno 1397.

Ex

Ex priore conjuge Joannes senior de Los, patris successor & heres matrimonio sibi junxit Joannam Diestensem & Sichemiensem Dominam, quæ illa Dominia, mortuo Thoma avo, marito in dotem attulit. Visuntur utriusque insignia in fenestris vitreis in Choro sancti Petri Lovanii. Ille obiit anno 1439. in vigilia Conversionis sancti Pauli.

Joannes Lossensis junior anno 1419. fit Leodiensis Episcopus, anno 1455. abdicat in favorem Ludovici Borbonii. Ipse aliquot annis superstes, Bruxella domum revertens, Diestemii in Arce corripitur viscerum dolore, & Festo sancti Lucæ Evangelistæ moritur anno 1459, sepultus in Heinsberg cum patribus suis.

Guilielmus dictus Juliacensis, Comes Blanckenhemius, ductâ uxore Margaretâ Nivertiâ, moritur anno 1438.

Jacoba Lossensis de Heinsberg, Abbatissa Thorensis, obiit 1454.

Philippa Weidano Comiti copulata ex posteriore conjuge.

Maria Domina de Wucht, Gangelt, Mille, Herstal, Stenvort &c. juncta nuptiis Joanni Comiti Nassovio & Viandensi Domino, Grimbergensi, Breidano, S. Viti, Ludekenbach & Daesbrouch, atque ita sanguis Lossensis junctus Nassovio. Joannes obiit anno 1475.

Isabella nupta Arnoldo Hornano, Domino de Kessenich & Branshorne.

N.... Sanctimonialis Heinsbergensis.

Joanna Lossensis, Domina Heinsbergia, Diestemiensis, Sichemiensis, &c.

Maritus ejus Joannes Nassovius Saripentanus obiit anno 1472. Illa sub Joanne patruo suo Leodiensi Episcopo educata, nupsit anno 1454. Obiit anno 1456. Joannes Nassovius Elisabetham, Ludovici Wittembergii filiam superinduxit.

Guilielmus Comes Blanckenbergius, ductâ uxore Mariâ Croyacâ, liberorum expers moritur in vigilia Epiphaniæ anno 1468.

Isabellam Lossensem, Dominam Heinsbergiam, &c. uxorem habuit Guilielmus Dux Juliacensis, obiitque in primo puerperio anno 1479.

Joanna Lossensis, Domina Diestemiensis & Sichemiensis, conjugem habuit Joannem Comitem Palatinum, Ducem in Bavaria, qui illa uxoris suæ Dominia vendidit affini suo Guilielmo Duci Juliacensi, cùm Heinsberga priùs cum suis appendentibus per matrimonium Isabellæ transiisset in Domum Juliacensem, cujus incorporationem Dux impetravit à Frederico Cæsare anno 1489.

Engelbertus Nassovius &c. acquisivit Dominia Oppidorum Diestensis & Sichemiensis à Duce Juliacensi, illique in permutationem dedit Dominia de Wucht, Gangelt, Mille, in Ditione Juliacensi sita.

Joannes Comes Nassovius Dallenburgensis, ductâ uxore Isabellâ Lantgravia Hessiæ, obiit 1516. Ille avus fuit Guilielmi Principis Auriaci, &c. cujus liberi Engelberto patruo successerunt.

LIBER DECIMUS.

Quinam è Domo Lossensi assumpti ad Cathedram Tungrensem sive Leodiensem.

I. Divus Eucharius anno 519. decimus septimus Tungrensis Episcopus, Comitis Diostiensis, id est Lossensis, fuit filius matremque habuit, ex Placentio placet Comitis Namurcensis filiam.

II. Illique successit frater germanus D. Fulco, secundus è Domo Lossensi Antistes.

III. Divus quoque Monulfus, Dynastæ Dionantensis filius, qui Episcopatum Tungrensem in ordine XXI. adiit anno 558, matre Lossensi, id est Comitis Diostiensis filia, oriundus. Prædixit Legiam fore Urbem, Sacellumque in honorem sanctorum Cosmæ & Damiani ædificavit. Obiit anno 597.

IV. Iis qui sanctum Lambertum, gloriosissimum Martyrem, totiusque Patriæ Protectorem, anno 636. Episcopum Tungrensem XXIX. Lossensibus adnumerant, haud refragabor: ut enim pater ejus Aper non fuerit propriè Lossensis Comes, sed sancti Petri juxta Trajectum Dominus; fratrem tamen habuit Plaudum, Oistercæ Comitem, qui Lossensem cum laude Comitatum administravit. Martyrium ille subiit anno 696.

V. Baldricus, hujus nominis secundus, ex Comitis Lossensis filio, renuntiatur anno 1008. Leodiensis Episcopus XLVII. Obiit anno 1018. tumulatus ad S. Jacobi Leodii, ubi grata posteritas illi erexit in medio Chori elegans & splendidum Monumentum ex nigro marmore.

VI. Adolfus Marcanus, anno 1313. à Clemente V. summo Pontifice designatus Leodiensis Præsul LXXV. patrem habuit Adolfum Comitem de Altena & Marcka; matrem N. Comitis Lossensis filiam, uti scribit Petrus Bertius, Commentarii sui Rerum Germanicarum fol. 386. Decessit ex hac vita Claromonte anno 1344.

VII. Successit Engelbertus Marcanus, Adolfi nepos ex fratre Engelberto Comite de Altena & Marcka, aviamque Lossensem

habuit. Hic ex Episcopo LXXVI. Leodiensi, Coloniensis anno 1364. creatur Archiepiscopus.

VIII. Joannes ab Arckel, immediatus successor, genus pariter suum deducebat à Domo Lossensi per Gertrudem Henrici de Los, Domini in Steivort filiam, Joannis V. Dynastæ Arckelii conjugem: visunturque in hodiernum diem Gorchomii in Batavia, Lossensia Insignia in Mausoleo Dominorum ab Arckel. Emigravit è vitæ contubernio anno 1378, sepultus Ultrajecti, ubi & Episcopum egerat.

IX. Godefridus Dalembrouchius, qui se deinde Lossensem cum tota posteritate scripsit, deque Comitatu armis decertavit ubi dictum suprà, avus fuit Joannis Heinsbergii LXXXI. Leodiensis Episcopi; pater verò ejus Joannes de Los, Dynasta Heinsbergius, de quo ita Suffridus Petri: *Eodem anno* 1419. *quo præcessor in fata concesserat, mense Junio, concordibus Capitularium votis, electus fuit in Episcopum Leodiensem D. Joannes Heinsbergius, Archidiaconus Hasbaniæ, filius excellentissimi Principis Domini Joannis Heinsbergii & Leuwenbergii, adolescens annorum viginti trium, qui Florentiæ à Martino V. Pontifice confirmatus, quarto Idus Septembris Leodium cum ingenti Principum, Baronum, Equitum, ac Nobilium comitatu, inter Parentem suum & Cliviæ Ducem medius advenit, ubi ingenti lætitiâ inauguratur, tum Cleri, tum Populi, in Episcopalem Cathedram collocatus, proximo Decembri Ordinem sacerdotalem accepit, quæ res Leodiensibus magnæ voluptati fuit; anno* 1420. *in Quadragesima consecratur Episcopus; anno* 1455. *abdicat, & privatus Diestæ in Arce anno* 1459. *moritur è dolore viscerum, tumulatus Heinsbergæ in sepulchro Majorum.*

X. Erardus à Marcka LXXXIV. Leodiensis Antistes anno 1506, ac deinde S. R. E. Cardinalis, ex familia quoque Lossensi ortum habuit. Everardus siquidem Marckanus, Heinsbergæ jure materno Dominus, ex Maria Guilielmi de Los Dynastæ Novi Castri in Arduenna (qui Joannem Comitem Lossensem patrem habuit) filia unca & herede Everardum sustulit Arensbergæ & Marchiæ Comitem, patrem Joannis, qui post se reliquit tres filios, trium illustrium familiarum Capita; Everardum Arensbergæ Comitem, unde Arensbergenses; Robertum Marcanorum, Sedanensium propagatorem; & Guilielmum Lumei Dominum, Marckanorum Lumeorum satorem. Roberti verò Sedanensis filius extitit Erardus à Marcka, Roberti secundi frater, patruus

tertii. Dignitates cum vita posuit anno 1538, summo bonorum omnium dolore.

LOCA SACRA QUANDO A LOSSENSIBUS VEL DE NOVO FUNDATA VEL DOTATA.

Collegiata B. Virginis Mariæ, Ecclesia Tungrensis, circiter annum 799.

Collegium S. Amoris, nobilium Virginum Monasterium, Bilisiæ, ante annum 880.

Cathedralis Ecclesia Leodiensis annis 1014. & 1203.

Monasterium S. Jacobi Leodiensis, Ordinis sancti Benedicti, anno 1014.

Collegiata sanctorum Petri & Odulfi, Ecclesia Lossensis, 1042.

Averbodium, Monasterium Canonicorum Regularium, Ordinis Præmonstratensis, 1131. & sequentibus.

Monasterium S. Trudonis, Ordinis sancti Benedicti, 1150.

Villarium Monasterium, Ordinis Cisterciensis, 1160.

Herckenroda, Parthenon, Ordinis Cisterciensis, 1182.

Vallis sancti Lamberti, Ordinis Cisterciensis, post annum 1188.

Monasterium sancti Remigii, juxta Rupefortium, circa idem tempus.

Vallis Nostræ-Dominæ, juxta Hoyum, Parthenon Ordinis Cisterciensis, 1202.

Milenium, Monasterium Sanctimonalium, Ordinis sancti Benedicti, 1219.

Commendataria Ordinis Teutonici ad Junxas, 1220.

Monasterium Suicciacense Crucigerorum, anno 1286.

Monasterium Ordinis Eremitarum sancti Augustini Hasseleti, annis 1296. & 1304.

Orienten, Monasterium Sanctimonalium, Ordinis Cisterciensis, 1331.

Aurea-Vallis, Ordinis Cisterciensis, circiter annum 1372.

UBINAM COMITES EORUMQUE LIBERI
MAXIMAM PARTEM SEPULTI.

MAusoleum juxta elegans ac celeberrimum Herkenrodæ, ante summum Altare visitur; deinde Loscastri, in Ecclesiis Parochiali & Beginagii; necnon ad sancti Jacobi Leodii, in medio Chori; apud Augustinianos Hasseleti. Inferioris notæ cippi, cum epitaphiis extant in Monasteriis Bilisiæ, Averbodii, ad S. Trudonis, Gorchomii in Batavia, Hamaliæ in Ecclesia Parochiali, juxta Tungrim, in Odeo Monasterii de Orienten, in Aurea-Valle, in Capella S. Materni Leodii, juxta S. Lamberti Ecclesiam. Plura ad meam non pervenerunt notitiam.

COMITATUS LOSSENSIS FEUDA DOMINICALIA,
VULGO HEERLYCK HEDEN.

A

Advocatia de Sclessin.
Advocatia de Urle.
Aelst.
Avesne Waelre & Weerde.

B

Baillenville.
Berlo.
Beverlo.
Beverst.
Binrevelt.
Biron.
Boen.
Boerle & Meer.
Vice-Comitatus vulgo Borch Graeffchap Coelmont.
Vice-Comitatus, vulgo Borch Graeffchap Loon.
Vice-Comitatus, vulgo Borch Graeffchap Montenacken.
Borne.
Boucholt.
Bouchoven.
Brust.

C

Caffer.
Craenwich.
Coswarem.
Corterssem.

D

Doerne.
Duras.

E

Elderen.
Emael & Ebeine.

G

Gerdingen sive Oerdigen.
Gestelt.
Goortslievw.
Gorssem.

Graesen & Wilre.
Greven Broeck.
Guigoven.
Gutscoven.

H

HAmme.
Haren.
Heere.
Heilaer.
Herne.
Herten.
Hoelbeck.
Holey.
Horpmael.
Horn.
Comitatus de Horne, vulgo Graeffchap van Horn.
Houthalen.

I

JEsseren.
Jonck Holt.

K

KErmpt.

L

LImborch.
Loyers.
Lummen.

M

MEldert
Millen.

O

OPlieuw.
Orey, Teutonicè Urle.

P

PEer.
Pietersheim.

Q

QUaet-Mechelen.

R

RUmmen.

S

SAssembroeck.
Schalck-Koven.
Schleffin. *Vide suprà litt.* A
Sonhoven.
Spalbeck.
Spauwen.
Steyn.
Swirle.

T

TIlle sive Ties.

V

VIna Leffue.
Advocatia vulgo Vochdye de Fresin, sive groot Vorssen.
Advocatia vulgo Vochdye de Romershoven.
Vogelsanc.
Vrolinghen.
Vroeckhem.

W

WAroux.
Warsulere.
Wauteringhen.
Wier & Cosen.

Z

ZEelem.
Zichen & Salsen.

OPPIDA, MUNICIPIA ET COMITUM ARCES.

Oppida recensentur omnino decem. Loscastrum, ab antiquitate commendabile. Hasseletum, copiosè & eleganter satis, ni fallor; quia ex decore & vero descripsimus, idem facturi aliis oppidis, nisi ætas in senium præceps, revocaret ad magis seria mihique necessaria: cum eo quòd ejuscemodi operæ nullum, vel exiguum, sit pretium; quin potius è contrario grande invidiæ odiique à popularibus redhostimentum. Faciat, cui videbitur, mihi tamquam piscatori icto sapiendum.

Beringia.	Bræa.
Maseca.	Hercka.
Stockhemium.	Bilisia.

Quæ octo hoc enumerantur ordine in Bulla Pauli II. summi Pontificis apud Suffridum Petri anni 1465. 10. Januarii in Ludovico Borbonio, in qua sententiâ definitivâ abjudicat supremum Patriæ Leodiensis Comitatûsque Lossensis Dominium Episcopis: atque ex eo tempore palam & promiscuè dicti scriptique non tantùm Episcopi sed & Leodienses Principes.

Pera.

Hamontium, quæ tum necdum videntur donata jure civium.

PRÆCIPUA MUNICIPIA.

Brustemium, Curingia, Durassium, Montenackum, Rummeum, Tessenderloa &c. Arces antiquissimæ ab ipsis aliquando inhabitatæ Comitibus, Lossensis, Coelmontia, Durassia, Hellutia, Rummea, Montenacensis, Stockhemia, Vogelsanquia, Curingiana, Grevenbrouchia.

De frequentibus splendidisque Procerum Lossensium Arcibus copiosa quidem suppetit materia; sed lampadam trado alteri, mihi nullius conducto stipendiis, hîc terminus esto.



STEMMA COMITUM LOSSENSIUM,

TOTIUS HISTORIÆ LOSSENSIS BASIS.

AD NOBILISSIMAM, ET ILLUSTRISSIMAM SALAM CURINGIANAM.



Uandoquidem ad usque Caroli magni tempora Ducatus, Marchionatus, Comitatus non fuerint nisi Præfecturæ, officii potiùs quàm dignitatis nomina: Duces censebantur qui exercitus ducerent; Marchiones qui limites tutarentur Imperii; Comites qui Reges comitari soliti, illorum vice jus publicè in aliquo Districtu dicerent; Castellani, sive Burghgravii, quorum curæ creditæ Arces. Nemo mirabitur, si Districtûs Lossensis Comites etiam aliquando Diostienses, vel Hasbanienses, vel Osterkanos dictos invenerit: quia nempe illum Comitatum aliquando administrarunt. Unde nec Monumenta publica fallunt, dum sanctos Eucharium & Fulconem fratres, Episcopos Tongrenses, Comitis Diostensis, id est Lossensis, scribunt filios; S. Monulphum matre, S. Perpetuum patre Lossensium Comitibus progenitos; Plaudum sancti Lamberti Martyris fratrem, Osternensem, sive Osterkanum, id est Lossensem Comitem. Quod non incommodè de quibusdam

dam Comitibus Hasbanienſibus aſſeri poteſt, prout toto Libro primo Rerum Loſſenſium iſtud exequimur. Adeò ut priorum iſtorum Loſſenſium Comitum nulla aliqua certa Genealogiæ ratio iniri poſſit, quæ non pluribus gravibuſque involvatur difficultatibus: ideoque longè duximus ſatius (recenſitis iis quæ de prioribus illis & antiquiſſimis Comitibus dici poterant) poſteriorum tantùm Stemma derivare ab Ogero Dano, quem nemo creatum à Carolo Magno Loſſenſem, ſive Lonæum Comitem, dubitat, comitalemque dignitatem longiſſimâ ſerie tranſiiſſe jure hereditario ad poſteros.

Haſſeleti.

F. JOANNES MANTELIUS, Auguſtinianus,
Doctor Theologus.

STEMMA COMITUM LOSSENSIUM, &c.

CAROLUS Magnus anno 801. Aquiſgrani, ut ex Iſacii Pontani lib. 4. Rerum Danicarum eruitur, Ogerum Danum ex ſuis Palatinis, ob res bello præclarè geſtas, in præmium laborum & bellicæ fortitudinis, creat Comitem Loſſenſem, heroem victorioſum, cujus hodieque fama claret. Poſt annum 826. adhuc, in vivis agebat.

OGERO ſucceſſit anno 850, aut etiam citiùs, Odulfus Comes de Los. Is cum Hilda uxore ſua Trajecto tranſtulit corpus ſancti Amoris Biliſiam, nobilem Parthenonem, quod huic Deus revelarat. Ibidem ambo ſepulti, anniverſariaque recolitur memoria 14. calendas Octobris. Aliqui Clodulfum ſcribunt, ob præpoſitam Odulfo litteram *C*, quæ Comitem ſignat.

BERENGERUS Comes de Los, & uxor ejus Bertha, ſimiliter Biliſiæ ſepulchro conditi, expectant immutationem univerſæ carnis, habeturque eorum memoria 17. calend. Novembris: quod non fieret, niſi egregii illius loci fuiſſent benefactores.

ANGILRAMNUS Comes anno 899 exeunte Dioſtæ ſive Dieſtæ obtinet à Zuentebolcho Rege Lotharingiæ tria mancipia donari libertate, & ingenuis natalibus reſtitui: quem in Regnum ſecutus, illius adverſæ fortunæ aleam ſubiit.

Extinctâ demum horum Comitum ſtirpe maſculâ, Rudolfus Ragineri ſecundi Comitis Hannoniæ ſecundogenitus, Lamberti Lovanienſis & Giſleberti Capræmontis, juxta Leodium, Comitum nepos, Comitatum Loſſenſem adiit, tranſmiſitque ad poſteros. Ac veluti Rudolfus primus Imperator Auguſtam Domum Auſtriacam inſtauravit; haud ſecus ille noſter Domûs Loſſenſis alter quaſi Conditor extitit. An verò illi Giſlebertus patruus Capræmontis Comes, itemque primus Lotharingiæ ab Henrico aucupe creatus Dux beneficiarius, Comitatum Loſſenſem, à morte Angilramni vacantem, utpote partem antiquæ Lotharingiæ, dono dederit, qui anno 939. Rheno ſubmerſus periit: an verò illum (quod veroſimilius) jure uxorio ſit adeptus, copulatâ ſibi Angilramni filiâ matrimonio, haud liquet. Ipſius verò poſteritas diutiſſimè Loſſiam obtinuit magnanimiterque adminiſtravit ſub Cæſaris auſpiciis, cujus Loſſenſes Comites ab exordio immediati Clientes.

Wintershovium portio fuit poſſeſſionum ſancti Bavonis, nobiliſſimi pariter ac ditiſſimi pagi Hasbanienſis Comitis, quam ille poſteà tranſcripſit Monaſterio Gandavenſi, ab ipſo deinde S. Bavonis dicto. Illud tamen ſancta Virgo Adelardis, filia ejus, quoad vixit obtinuit: divuſque Landoaldus cum Sociis ſolitus eò ad ipſam ſeceſsûs causâ à curis divertere, ubi & S. Lambertum Martyrem diſcipulum habuit. Cùmque Monachis Gandavenſibus partim cæſis, partim fugâ dilapſis perſecutione Normannicâ, Flandriæ Comites Monaſterium occupaſſent, plures ipſius poſſeſſiones Nobilibus & familiaribus ſuis poſt repulſionem Normannicam ad Thiliam fluvium anno 891, dederunt in clientelare beneficium: has inter Wintershovium Balduinus Calvus Theitfrido cuidam contulit. Cui in eodem Dominio ſucceſſit Adelgangus filius; huic Aper filius, ætati Notgeri Leodienſis Epiſcopi viciniſſimus: qui & duas proles maſculas ſuſtulit, Lantzonem & Wibertum, ex ordine beneficiarios Wintershovii Dominos. Donec Monachi Bavoniani ſuas ante annum 980. Abbatiæ diſpertitas poſſeſſiones recuperare cœperunt, atque in primis Wintershovium. Quod adeò pleno jure ad eos rediit, ut Lantzone defuncto, vivente adhuc Siburge conjuge, etiam ſanctorum Landoaldi & Sociorum ſacra Pignora ad ſuum Bavonianum Monaſterium, annuente ſummo Pontifice & Ottone Cæſare, tranſtulerint anno 994. Et quàmvis hos temporarios Win-

tershovii Dominos probare posse videat fuisse è Domo Lossensi oriundos; nemo tamen satis inde fecerit consequens, Wintershovium unquam Comitatûs fuisse caput.

Rudolfi Hannonii liberi ex uxore N. hi sequentes;

ARNULFUS, hujus nominis primus, Comes de Los & Valenchines in Hannonia, duas uxores habuit. Prior N. Altera Lutgardis Comitissa Waremiæ, ex qua liberos non sustulit.

CATHARINA, uxor Ludovici Comitis Chinensis.

LUDOVICUS de Los. Illi duæ uxores; prior Aleydis de Lembourch, id est filia Comitis Limburgii; posterior Lutgardis, filia Comitis de Thoux, atque ex utraque liberos habuit.

HERLINDIS Comes Durassia, ex Domo Lossensi, adhuc vivebat anno 1024. sed marito orbata, cujus nomen nullâ hactenus industriâ, studio nullo eruere potui. Liberorum utriusque Chronicon Trudonense exertis verbis meminit.

Ex priore Conjuge.

ARNULFUS secundus, Comes Lossensis, tori habuit sociam LUTGARDEM Flandrensem, Wicmanni Gandavensis Comitis filiam, ex Lutgarde posteriore uxore, filia Arnulfi Magni Flandriæ Comitis. Fuit illa improlis; sed virtutibus fecunda, Mariti (quæ prima mulieris dos) amans, piaque in Superos. Gessit ille bellum anno 987. contra Balduinum Comitem Flandriæ, ac tandem anno 1014. sine prole suscepta moriens, Baldricum, Patruelem suum, Episcopum Leodiensem, Comitatûs Lossensis scripsit heredem.

Ex ALEIDE Limburgia nati.

BALDRICUS, hujus nominis secundus, Episcopus Leodiensis, Fundator Monasterii sancti Jacobi. Obiit anno 1018.

GISLEBERTUS de Los, Patricius Romanus, Advocatus Monasterii sancti Jacobi. Vivebat adhuc anno 1022.

Ex LUTGARDE.

ARNULFUS tertius, Comes Lossensis, cui Baldericus, ut scribit Stabelaus, Comitatum dederat in Feudum, Ecclesiæ Leodiensis beneficio, & ipse Patricius Romanus. Moritur anno 1021, tumulatus in Crypta S. Andreæ apud fratrem Baldricum, ad S. Jacobi.

OTTO fratri in Comitatu successit. Uxorem habuit Lutgardem, aliàs Emmam, Alberti secundi Comitis Namurcensis & Ermengardis è Domo Francica filiam.

HERMANNUS de Los, Canonicus & Archidiaconus Leodien-

sis, Ecclesiam Lossensem instauravit atque in eadem septem Canonicos instituit anno 1044. Sepultus in medio chori. Vivebat adhuc anno 1066.

Adelbero primogenitus, Metensis Ecclesiæ Primicerius, matri Herlindi anno 1024. adhuc viduæ pridem præmortuus, sepelitur in Templo sancti Trudonis, eodem quo deinde mater tumulo.

Godefridus Comes Durassius obiit improlis.

Gislebertus, fratris in Comitatu successor, & certis in negotiis tantùm lectus à Monachis Advocatus Trudonensis, stirpem propagavit per filiam Odam nomine, uti erui ex Chronico Trudonensi.

Emmo Comes Lossensis. Illius meminit Chronicon Trudonense ad annos 1047. & 1060. Superstes adhuc erat anno 1067. Obiit 16. Calendas Februarii.

Margareta uxor Wichardi octavi, Gelriæ Præfecti, qui obiit anno 1061. Horum filia unica Adelheida nupsit Ottoni Nassovio, qui jure uxorio factus primus Gelriæ Comes.

Otto.

Oda nupsit Ottoni Lossensi, Emmonis Comitis fratri, qui jure uxorio fit Comes Durassius, prolesque ex illa sustulit. Præmortua marito, sepelitur ad sancti Trudonis. Ille quoque beneficio clientelari creatur Subadvocatus perpetuus Trudonensis anno 1060. à Frederico Lotharingiæ inferioris Duce, Advocato majore. Vitam protraxit ad annum 1090.

Arnulfus quartus Comes Lossensis. Hujus meminit Chronicon Trudonense ad annos 1086. 1094. 1099. & 1101. Quo verò obierit non liquet : dies autem obitûs incidit in undecim. Calendas Octobris.

Gerardus.

Theodoricus.

Gertrudis juncta matrimonio Guilielmo, filio natu minimo Eustachii secundi Comitis Boloniæ & Idæ Ducissæ Lotharingiæ, fratri Godefridi Bullionii & Balduini Regum Jerusalem.

Gislebertus, Comes Durassius & Subadvocatus Trudonensis, uxorem habuit Gertrudem, Cononis Comitis Montis-Acuti & Clari-Montis filiam, ex Ida sorore Godefridi Bullionii, quæ Lamberto fratre suo sine liberis decedente, intulit in Domum Durassiam utrumque Comitatum paternum. Gislebertus agebat adhuc in superis anno 1128.

Cono de Duras, Dominus de Repe, aliàs Otrepe, Diepenbeeck & Schans, factus deinde ad S. Lamberti Leodii Canonicus, signavit tabulas Manassis, Domini de Hierge, profecturi in Syriam anno 1140.

Arnulfus V. Comes Lossensis. Fit illius memoria in Chronico Trudonensi ad annos 1121 & 1139. Ipse & uxor ejus Agnes, filia Ducis Bavariæ, Ottonis soror, anno 1146. adhuc vivebat. Obiit tertio Idus Aprilis.

Gerardus.

Reynaldus, Canonicus Leodien. & Præpositus Fossen. 1131.

Sophia Ducissa in Hungaria.

Henricus de Los Dominus de Steyvort ex legitimo matrimonio duas post se reliquit filias.

Otto, hujus nominis secundus, jure paterno Comes Durassius & Subadvocatus Trudonensis; materno, Comes Montis-Acuti & Clari-Montis. Uxor Bertha, filia Godefridi de Buchain, Domini de Ribemont & Ostervant; necnon Jolendis à Gelria. Ille obiit 1146.

Gislebertus.

Gerardus, Abbas S. Trudonis. Pedum abdicat anno 1150.

Theodoricus Canonicus ad S. Lamberti.

Bruno Archidiaconus Leodiensis.

Juliana conjux Godefridi Comitis.

N. nupta Domino de Corteshem.

Ludovicus primus, Comes Lossensis, uxorem habuit Agnetem Gerardi Comitis de Ryneck, Hadewigis & de Castel filiam factusque jure uxorio Comes quoque Ryneccius in Franconia. Obiit anno 1171. pridie Idus Augusti, sepultus Loscastri in Ecclesia Hospitalis, quod deinde versum in Beguinagium. Agnes supervixit vidua.

Otto.

Philippus de Los annum circiter 1164 moritur.

Gertrudis, uxor Joannis V. Domini de Arckel in Batavia, qui hac excessit vitâ 1176.

Elisabetha, uxor Theodorici secundi, Domini de Renesse, qui vixit ad annum 1207.

Ægidius Comes Durassius possidebat Claromontem, Rupefortium, Geldoniam, Advocatiam Trudonensem & Dionantensem. Uxorem habuit Aleydem, sororem Gerardi Lossensis Comi-

tis: verùm elephantiasi laborans, ex ea prolem non sustulit. Obiit anno 1174.

Bertha juncta matrimonio Walderico Walcurio, ad quos perillustres aliquot Familiæ originem suam referunt, inprimis Comites Claromontani & Rupefortii.

Conon & Petrus, Ægidii successores, cùm liberis quoque destituerentur, vendiderunt Durassiam & Advocatiam Trudonensem Gerardo Lossensi Comiti; Claromontem, Rupefortium & Advocatiam Dionantensem Waldrico Walcurio, sororio suo, quæ ipsis vitâ functis possiderent.

Petrus obiit improlis 1185.

Conon anno 1188. profectus in Syriam.

Juliana nupsit Balduino Castellano de Borburch in Flandria.

Aleidis uxor Gerardi de Mombeech, Domini de Villary. Illorum filia Elisabetha secunda Abbatissa Lintrensis obiit 1244.

Ludovicus natu maximus patri præmoritur anno 1167.

Gerardus Comes Lossensis & Rineccius conjugem obtinuit Mariam Henrici tertii Gelriæ Comitis, & Seinaræ Brabantæ filiam, ex qua numerosam prolem sustulit. Conditor Salæ Curingianæ, anno 1182. fundat Abbatiam Kerckenrodanam. Bis Syriam adiit, mortuus in obsidione Ptolomaidis anno 1191. 4. Nonas Novembris.

Hugo de Los cum uxore sua obiit 1172.

Imaina uxor Godefridi III. Ducis Lotharingiæ & Banbantiæ, noverca S. Alberti Martyris. Orbata viro, facta Abbatissa Biliensis. Vivebat adhuc anno 1206. & 1213.

Aleiden duxit Ægidius Comes Durassius. Gertrudis conjux Alberti de Lovanio, Comitis Dasburgensis & Mohani filius.

Agnes convenit in manus Ottonis Comitis Palatini de Scheyrn & Wittelsbach.

Laureta uxor Theobaldi Comitis Barensis.

Sophia uxor Waltheri Bertout, Domini sive Advocati Mechliniæ. Obiit in Syria anno 1209. Sepelitur in Accaron.

Ludovicus secundus, Comes Lossensis & Durassius, uxorem habuit Adam, filiam Theodorici septimi, Comitis Hollandiæ, ipsiusque heredem anno 1203. Sed Hollandiæ Comitatu exuti fuerunt à Guilielmo patruo, vixitque illa ad annum 1213. Ipse obiit improlis anno 1218.

Gerardus Comes Ryneccius stirpem propagavit.

Joannes sepultus Herkenrodæ.

Henricus, primò Canonicus Leodiensis & Præpositus B. M. Trajectensis, deinde Comes Durassius, duxit Mechtildem de Vianen, viduam Lotharii Comitis de Hostade, nonnisi triduo supervixit Ludovico fratri. Obiit anno 1218. quarto Nonas Augusti.

Arnulfus Dominus in Zuylre, licèt natu minimus, fratribus omnibus sine prole extinctis, succedit in Comitatus Lossensem & Durassium. Uxor Aleidis, Henrici primi Ducis Brabantiæ filia. Obierunt sine liberis: magnique Parthenonis Herckenrodani benefactores, ibidem sepulti.

Wilhelmus sive Villanus, Theodorici fratris sui in Græcia optio, fortiter pugnans contra Valachros, juxta Rusium Oppidum occubuit anno 1206.

Theodoricus de Los, Senechallus Imperii Constantinopolitani, ac Dominus Nicodemiæ in Bythinia, sub Balduino Flandiæ Comite & Imperatore Constantinopolitano, qui dum egregiè se defendit, & hostibus obsistit, à Theodoro Lascari raptus est anno 1207, dimissusque redit in Patriam eodem annno.

Ludovicus circiter annum 1223. moritur improlis.

Arnulfus fratris & patruorum ex asse heres, Comes Lossensis & Durassius, sibi nuptiis copulavit Joannam Ludovici Chiniacensis in Ditione Luxemburgensi Comitis filiam heredem. Ille Novesii ad Rhenum in ludo equestri periit anno 1256.

Gerardus de Los moritur 1257. sepultus in Walciodoro.

Imaina de Los, Abbatissa de Salesinnes, deinde de Flinis, educavit beatam Julianam, Ordinis Præmonstratensis in Cornelio-Monte, juxta Leodium, promotricem Festi Venerabilis Sacramenti.

Aleydis de Los Antistita Montis S. Walburgis, prope Brulam.

Joannes, paterno jure Lossensis Comes, duas uxores habuit; priorem Guilielmi Comitis Juliacensis Aquisgrani cæsi 1278. filiam; posteriorem Isabellam Jacobo Condati Domino progenitam, Nicolai sororem, atque ex utraque liberos sustulit. Concessit in fata 1279.

Ludovicus jure materno Comes Chiniacensis, ductâ uxore Sibillâ de Bar, Theobaldi Barrensis Comitis sorore, vidua Henrici de Salmes, obiit improlis.

Henricus de Los Clericali adscriptus Militiæ, in adolescentia extinguitur.

Arnulfus de Los Episcopus Catalaunensis, Præpositus Coloniensis & Canonicus Leodiensis, vitali adhuc fruebatur aurâ 1309.

Gerardus de Los, Dominus de Chavency, in Comitatu Chiniacensi Miles.

Aleydis, uxor Theodorici Domini Falcoburgici.

Ex Juliacensi matre.

Arnulfus, qui se sæpiùs Arnoldum pro more ævi scribebat, Comes Lossensis jure paterno; patrui verò etiam Comes Chiniacensis, Dominus de Agimont, Givet, Warck, Imbise, &c. Auspicatissimis nuptiis anno 1280. jungitur Margaretæ Philippi Comitis Viandæ & Mariæ Dominæ Pervisii, &c. filiæ. Anno 1282. urbavit Hasseletum. Obiit 1328.

Ex posteriore Isabella Condatana.

Joannes & Jacobus, quibus, agente Nicolao Condati, Moriamez &c. Domino, Arnoldus cedere coactus fuit Dominia de Agimont, Givet & Warck. Quâ transactione cesserunt & ipsi titulo & juri in Comitatum Lossensem, posterisque suis masculis præcluserunt viam, quæ, mortuo anno 1336. Ludovico Lossensi Comite, illis alioquin patebat. Et hinc *vulgaris nata fabula de castrato à fratribus Comitis Lossensis filio; magnæ tamen ex Joanne ortæ Familiæ.*

Ludovicus tertius, Comes Lossensis & Chiniacensis, habuit tori sociam Joannam Blamontiam Comitem, è Domo Lotharingica. Cùmque ex illa non haberet nisi Margaretam filiolam, Comitatusque Lossensis foret Feudum masculinum, anno 1336. moriens hujus scripsit heredem Theodoricum Heinsbergiùm, ex sorore nepotem.

Joannes.

Arnoldus vivebat 1304.

Martin de Los bastardus D. Vanderlamen.

Mechtildis Vogelsanquia nupsit Godefrido Dynastæ Heinsbergio & Blanckenbergio, qui obiit 1333.

Maria primis nuptiis juncta Ægidio Berthout, Domino Mechliniæ; secundis Gerardo Domino de Diest. Neutri peperit. Sepulta Diestæ apud FF. Minores. Gerardus ex dote ipsius in Ditione Lossensi sita, anno 1328. fundat Carthusianos Selehemienses: fraterque Ludovicus deinde Fundationem ratam habuit.

JOANNA de Los duos quoque maritos nacta, Arnoldum de Wesemale, Bergarum ad Zomam Dominum, & Guilielmum de Oreille, ex prosapia de Awans, Armigerum. Utrique peperit. Sepelitur in choro Monasterii Orienten, Ordinis Cisterciensis, sub cippo marmoreo.

ARNOLDUS de Oreille, ex posteriore marito, & Joanna mater ejus, donantur Toparchiâ Rummensi anno 1331. Inde & ille dictus Rummaeus. Uxor Isabella, Ludovici Malani Comitis Flandriae filia, obiit improlis 1365.

ISABELLA de Oreille, uxor Joannis Domini de Hamal, stirpem Lossensem propagavit.

GUILIELMUS Hamalius, Maria uxor Joannis Domini de Alstern, Militis, Mareschalli hereditarii Archiepiscopatûs Coloniensis, qui & se jure uxorio scripsit Dominum de Hamale. Ad hos Barones Rummenses genus suum referunt.

MARGARETA, filia unica, ob sexum exclusa Comitatu Lossensi, Comitatum tantummodò Chiniacensem adiit; juncta deinde matrimonio Duci Lotharingiae, qui Parisiis extinctus est veneno anno 1382. Illum praecessit ad alteram vitam improlis anno 1372. sepulta in Aurea-Valle; Comitatusque Chyniacensis jure Feudi devolvitur ad Wenceslaum, Ducem Luxemburgensem, &c.

LUDOVICUS & Elisabetha, bastardi.

THEODORICUS Heinsbergius, ex testamento avunculi sui Ludovici, ultimus saecularis Comes Lossensis. Uxor Cunegundis, Eberhardi Comitis Marçani filia, Adolfi à Marcka Leodiensis Episcopi soror: ille obiit in Arce Stochemiensi 1361. sepultus in medio chori apud Augustinianos Hasseleti.

GODEFRIDUS de Los Praepositus Aquensis.

JOANNES Dominus Dalembrouchius stirpem Lossensem propagavit anno 1342.

HENRICUS Dominus Leuwenburgius.

MARGARETA Abbatissa Thorensis vivebat annis 1346 & 1378.

GODEFRIDUS de Los, spes unica transmittendi Comitatûs Lossensis ad posteros, ductâ Mechtilde Reynaldi primi Ducis Gelriae filiâ, in flore aetatis absque liberis obiit 1342.

GODEFRIDUS, Teutonicè Godard, heres & successor patrui Theodorici, fit Dynasta Heinsbergius & Blanckenbergius; relictoque nomine Dalembrouchii, Lossensis dici maluit transmisitque ad posteros. Ab eodem scriptus quoque heres Comitatûs Lossensis, ali-

quamdiù de eo certavit contra Engelbertum Leodiensem Episcopum : sed de jure suo, vel de viribus diffidens, vendidit jus suum Arnoldo Rumæo, patris sui consobrino, anno 1363, qui pariter cum nepote suo Guilielmo Hamalio arma pro Comitatu sumpsit; viribusque impar, illum certis conditionibus cessit Leodiensi Ecclesiæ anno 1367, eidemque hactenus manet unitus. Uxor Godefridi Philippina Guilhelmi Ducis Juliæ filia. Horum stemma dedimus p. 288. Ille avus fuit Joannis Heinsbergii Leodiensis Episcopi.

Finis primæ Partis.





INDEX ALPHABETICUS

Præcipuarum rerum in hoc volumine contentarum.

A

D

E



CENSURA ORDINARII.

IN hoc Libro, cujus prima pars Hiſtoriam Comitatûs Loſſenſis è tenebris in lucem ab Authore patrio datam, & altera ejuſdem Comitatûs Comitumque Diplomata, tanquam certa præſtantiæ & nobilitatis Monumenta complectitur. Nihil animadverti quod fidei aut bonis moribus adverſetur; ſed econtrà tum ad accendendam poſterorum fidem, tum ad mores emendandos, longa ſanctarum Perſonarum ſeries, piarumque enumeratio fundationum, plurimum conferre poteſt. Datum Leodii 24. Aprilis 1717.

LAMBERTUS DE BEECKMAN,
Soc. Jeſu & Examinator Synod.

PERMISSIO.

VIſâ hâc Approbatione, permiſimus ut Liber imprimatur. Datum Leodii 24. Aprilis 1717.

F. P. L. Epiſcopus Porphyrienſis,
Vicarius Generalis Leodienſis.



DIPLOMATA LOSSENSIA,

SIVE

PRIVILEGIA, PACES, PACTA,

Donationes, Infeudationes, &c. concernentia tam Comites, quàm Comitatum de Looz.


Cum summo labore & studio recollecta à clarissimo, consultissimoque Domino LAURENTIO ROBYNS, *Juris utriusque Doctore, & Curiæ Leodiensis Advocato.*

PARS SECUNDA.



LEODII,
Typis F. ALEXANDRI BARCHON. 1717.

INDEX DIPLOMATUM.





DIPLOMATA LOSSENSIA,

SEU

PRIVILEGIA, PACES, PACTA, Donationes & Infeudationes, &c. concernentia tam Comites, quàm Comitatum de Loz.

DIPLOMATA ABBATIALIS ECCLESIÆ BILISIENSIS, Numero 1. asservata in membrana à Trinobili ortu & dignitate Eleonora Maria, nata Comitissa de Apremont, Lynden, Reckem, &c. Abbatissa Bilisiensi.

IN nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis. Gertrudis, Dei gratiâ Abbatissa in Ecclesia beati Amoris de Bilisia, simulque universus Conventus; omnibus Christi Fidelibus in perpetuum. Ex debito justitiæ suum unicuique jus debemus observare, & siquid à nobis actum rationabiliter, ad posterorum notitiam deduci necessarium fuerit, scripto illud perpetuare humana nos docet industria: præsentis ergo paginæ testamento notum facimus, tam futuris quàm præsentibus, quòd quædam mulier Margareta, liberis orta natalibus, titulum suæ ingenuitatis in liberiore Dei

redigens servitute, Ecclesiæ beati Amoris condidit, hocque conditionis tenore, quòd tam ipsas, quàm omnes posteritatis suæ soboles, singulis annis ibidem ad Altare prædicti Patroni sui duos persolvent denarios; mulieres liberè nubentes in orbitu suo XII. denarios pro coremede darent; viri verò alienas ducentes, XII. denarios ad licentiam solvent, totidemque in orbitu suo darent, nullumque Advocatum habentes præter Altare suum, nullis placitis, nullisque exactionibus tenerentur obnoxii; sed ab omni penitus servitutis jugo soluto censu permaneant liberi. Cùmque hæc per decursum temporis oblivioni tradita pene vacillarent; ita quoque ut quidam irritare conarentur, & se liberos Ministeriales, non censuales confirmarent petitione cujusdam bonæ memoriæ viri Richardi Seststen de Seoludone, qui de eadem fuit Familia, veritatem ejusdem recognoscentes, communi consilio, scripto diligenter annotavimus. Et ut ea deinceps rata & inconcussa permaneant, sigilli nostri authoritate confirmavimus, anathematis eos sententiâ damnantes, si qui præfatam donationem ulteriùs violare præsumant. Testes hujus rei sunt Gertrudis Custos, Godefridus Decanus, Hugo Canonicus, Hillebertus, Hermannus, Henricus Custos, Hilbertus de Spalden, Hubertus frater ejus. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini millesimo, centesimo, octuagesimo primo, Indictione decimâ quartâ, Romæ præsidente Alexandro, imperante Frederico, Leodii præsidente Rodulpho, Comite Lossensi Gerardo. Signatum erat MICHAEL TIT, Notarius Apostolicus. *Per copiam subscripsit.*

Numerò. 2.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus, tam posteris quàm præsentibus, qualiter ego Regenera, tam pro remedio animæ quàm pro defensione totius posteritatis meæ, cum essem libera, tradidi me in ancillam sancto Amori in Bilisia, sub censu ceræ quatuor denariorum; eâ conditione, ut omnis mea posteritas eundem censum solvat in festo sancti Amoris: nullus autem solvat, nisi priùs in conjugio fuerit, per diem & annum. Si quis verò de longinquo venerit, & opus prandio, propter inopiam, habuerit, detur ei denarius ab eo qui censum

recepit; potestatem habeat masculus uxorem ducendi; femina verò nubendi, uterque sine licentia, ubi, & cuicumpue voluerit. Placitum Advocati nullus quærat, neque obsideat. Quòd si aliquis ex hac cognatione aliquâ querimoniâ pulsatur, nulli nisi Abbatissæ respondeat, & nusquam nisi coram illa judicio parium suarum conquerenti satisfaciat, nisi fortè de violata pace, jure duelli impetatur, vel de immunitate. Si verò aliquis aliquem de parentela ista occiderit, homicida ille solvat Abbatissæ aureum, unum denarium & duas libras; Advocato verò unam. Tota autem illa cognatio post mortem suam de capite suo, pro jure quod vulgo attulit, sive corimede dicitur, tantùm duodecim denarios, & nihil ampliùs solvat. Si quis verò contra hoc statutum jus aliquod pertinaciâ vel negligentiâ rebellare nititur, anathematis sententiâ restringatur, quousque Ecclesiæ satisfaciat, & debitum persolvat. Quicumque autem hanc chartam voluerit infringere, & huic cognationi nocere, pereat ipse & omnis ejus posteritas malâ morte, insuper æternâ maledictione separetur à christiana societate. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo, quadragesimo, Indictione octavâ, imperante Henrico Romanorum Imperatore tertio, Richardo Leodiensi Episcopo, tempore Goderonis Marchionis, sub testimonio Adelgeri Advocati, Rudolfi, Herelonis, Tiboldi, liberorum hominum. Interfuit etiam Ysecho & Hadego Presbiter, de Familia Ecclesiæ Vestechen, Arnoldt Adelbertus. Et erat impressum magnum in cera sigillum. Deinde subscriptum, CAROLUS HENON, Notarius Apostolicus. *Per copiam conformem originali in pargameno in fidem subscripsit.*

Numero 3.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quia Ecclesiarum Familiæ solent Advocatorum oppressione, à jure suo cedere; inde est quòd nos tres Sorores, Mersuendis, Liburgis, Imeza, de Familia Ecclesiæ sancti Amoris existentes in Bilisia, jus nostrum, quod longo tempore scripto antiquæ chartæ legitimè possedimus, renovari nobis & confirmari fecimus: non quasi de jure nostro diffidentes, quod justè obtinuimus; sed quia duplex bonum uno multò est melius: notitiæ ergo fidelium, tam poste-

rorum quàm præsentium, tradere curamus, qualiter ex consensu Dominæ Gudæ Abbatissæ, totiusque Ecclesiæ sancti Amoris, tam Sororum quàm Fratrum Lodevici Comitis Advocati, servitio nostro ad opus Ecclesiæ tradito nobis comparavimus, quatenus antiquam juris nostri chartam hujus scedulæ una contineret pagina, chartam renovationis, confirmationisque juris nostri contineret : atque ea juris nostri perpetua stabilitate continens antiquum jus nostrum, quod antiqua charta nostra continet, nobis, omnibusque posteris nostris firmum, inconvulsum in perpetuum permaneret, nec ampliùs hanc renovationem, confirmationem juris nostri, diuturnitas temporis oblivioni tradere, aut alicujus violentia nobis infringere posset utramque igitur chartam nova scripta conscribi fecimus novoque sigillo Ecclesiæ veteri sublato, utramque chartam utriusque paginæ insigniri decrevimus ut nulla in perpetuum esset dictio de ambabus. Acta est hæc renovatio, juris nostri confirmatio, anno Dominicæ Incarnationis millesimo, centesimo, sexagesimo tertio, Indictione undecimâ, imperante Frederico Romanorum Imperatore, Henrico Leodiensi Episcopo, Gudâ Abbatissâ Lodevico Advocato. Hujus rei testes fuerunt Sorores Ecclesiæ Helewidis Mabilia, Gertrudis Lubergis; Fratres etiam, Godefridus, Hugo, Hermannus; Ministeriales similiter, Gislebertus, Reinerus, Gislebertus Villicus de Welem, Godefridus Gislebertus, Fulbertus de Spalden. Et erat impressum magnum in cera sigillum; deinde subscriptum, CAROLUS HENON, Notarius Apostolicus admissus. *Per copiam conformem originali in pergameno in fidem subscripsit.*

Numero 4. *De anno* 1230.

ARnoldus Comes de Los & de Chiney. Universis præsentem paginam inspecturis, diligere veritatem. Gestis mortalium plerumque suboriri solet calumnia, nisi sigillatis apicibus fuerint perennata. Vestræ igitur notum facio Universitati quòd cùm Ecclesia sancti Amoris in Bilisia sylvam quamdam propriam, cujus fueram Advocatus, juxta villam Welne, habuisset eadem Ecclesia ad instantiam precum mearum sylvam illam vendidit, medietatem pretii de sylva eadem perceptam, spe recompensationis mihi liberaliter conferendo, cùm tantùm ratione Advoca-

tiæ partem tertiam percipere debuissem : quam scripto præsenti recognosco, firmiter statuens observandum, quòd nec ego, nec mei posteà in fundo dictæ sylvæ aliquid juris habebimus; sed hoc solummodò, quòd Advocati ejus erimus, sicuti & aliorum ejusdem Ecclesiæ bonorum; unde illa fundum præmemoratum pro sua voluntate locabit & coli faciet, ac in usus proprios, tamquam alodium suum, convertet. Ne autem facto huic aliqua in posterum calumnia oriatur, præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Datum mense Februario anno Domini M. CC. XXX. Indictione tertiâ. J. LIBERT Notarius. *Per copiam in fid. subscripsit.*

Numero. 5. De anno 1231.

ARnoldus Dei gratiâ Comes de Los & de Chiney. Omnibus hoc scriptum inspecturis in perpetuum. Quæ geruntur sub tempore, nisi litterarum testimonio æternentur, oblivioni sæpè traduntur. Universitati vestræ notum sit, quòd ex fidelium meorum manifesta assensione veraciter didici quòd omnes prædecessores mei Comites de Los omnes Officiatos Ecclesiæ Bilisiensis, in quibuscumque officiis fuissent constituti, liberos & ab omni exactione & petitione manere permiserunt immunes. Ego verò prædecessorum meorum vestigiis inherens, & Privilegiis prætatæ Ecclesiæ à prædecessoribus meis bonæ memoriæ indultis & observatis, maximè ob dilectionem & reverentiam consanguineæ meæ, ejusdem Ecclesiæ Abbatissæ Mechildis, filiæ quondam Comitis de Los, de Ara, nolens contraire, de consilio omnium Fidelium meorum, privilegia à prędecessoribus meis prętatæ Ecclesiæ data innovo, approbo & confirmo, sicut prędictum est, omnes Officiati memoratæ Ecclesiæ & Abbatissæ ab omni exactione & petitione in perpetuum, tam antè quàm à successoribus meis liberi permaneant & immunes; & hoc fideliter observaturum coram Fidelibus meis repromisi. Ut autem hoc ratum & inconcussum permaneat in æternum, sigilli mei testimonio pręsens scriptum decrevi roborare. Datum anno gratiæ M. CC. XXXI, mense Julio, Feriâ sextâ post Octavam Petri & Pauli.

Numero 6. De anno 1235.

IN nomine Domini. Amen. Ego Arnoldus Comes de Los & Chineo. Notum facio universis pręsentibus pariter ac futuris, quòd cùm Ecclesiam Bilisiensem speciali amplectens dilectione, ipsamque ratione Advocatiæ tenear defendere ac promovere modis omnibus, suo nitendo honori, commodo & utilitati: quare indulsi Officiatis ejusdem Ecclesiæ, ubicumque locorum commorantibus, à petitionibus & exactionibus, & ab expeditionibus in perpetùum liberi permaneant & immunes; sylvamque ipsius Ecclesiæ apud villam Welne sitam, sicuti teneor, illęsam conservabo & integram: ita ut siquis arborem aliquam in ea succiderit, vel quoquo modo contra jus ipsam violaverit, pœnam eidem debitam infligam. Pręterea omnem violentiam, quam Libertus Miles de Gotheim, vel aliquis heredum suorum, intulerit eidem Ecelesiæ in Molendino Welne sito, omnemque violentiam quam vir nobilis Godefridus de Hirtene, vel aliquis, occasione ipsius, præmemoratæ irrogaverit Ecclesiæ super pratis, inter Welne & Hirtene jacentibus, per sententiam Scabinorum eidem Ecclesiæ adjudicatis, penitus permovebo. Siquis autem illam super Molendino in loco qui Graten dicitur sito molestare pręsumpserit, indemnem reddam eandem, quantùm jure teneor, & ab omni liberam vexatione, eamque tamquam bonus Advocatus, ab omni gravamine violento, pro qualitate mearum virium, consilio, & auxilio, affectuosè fovere studebo, & ad hæc firmiter adimplenda & inviolabiliter observanda me meosque successores pręsentibus litteris obligavi. Ut igitur omnia pręmemorata firma in perpetuum & stabilia perseverent, & ullius impetitione nequeant perturbari; pręsentem paginam sigillo, atque sigillis virorum venerabilium, Domini Waltheri Berthoult, Domini Arnoldi de Dista, Godefridi Castellani de Calmont, Waltheri de Tongres, Fastrardi de Berlo, & Wilhelmi de Sassenbruc, dignum duxi muniendam. Actum & datum mense Martio anno Domini M. CC. XXXV.



Numero 7. De anno 1283.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis. Arnoldus Comes de Los, ſalutem & cognoſcere veritatem. Noverint univerſi quòd Eccleſiam ſive Monaſterium beati Amoris Biliſienſis, cujus ſum Advocatus, volens adinſtar prædeceſſorum meorum Comitum Loſſenſium proſequi prærogativâ gratiæ ſpecialis, & ipſorum prædeceſſorum meorum veſtigiis laudabiliter inhærere, omnes libertates & privilegia prædictæ Eccleſiæ à meis prædeceſſoribus Comitibus de Los, & ſpecialiter ab illuſtri viro Domino Arnoldo claræ memoriæ quondam Comite de Los & Chynei, avo meo, conceſſas & conceſſa approbo, innovo & confirmo, & ſpecialiter infraſcripta, videlicet quòd cum prædicti prædeceſſores mei Comites de Los Officiatos omnes & ſingulos Abbatiſſæ & Conventus dicti loci, in quibuſcumque officiis exiſtentes, & in quibuſcumque locis commorantes, & tempore, à quo non extat memoria, ab omni exactione, petitione precaria, ſive tallia, expeditionibus & angariis permanere permiſerunt liberos & immunes. Volo & conſentio quòd omnes & ſinguli Officiati prædicti de cætero gaudeant pacificè prædictâ libertate, quitique ac liberi permaneant omninò ab omnibus exactionibus, precariis petitionibus, talliis, expeditionibus, & angariis antedictis; item quòd habere, exigere, ſeu recipere, ego & ſucceſſores mei non poſſumus, nec debemus in villa de Welne & ejus appenditiis, quæ quidem villa eſt merum allodium dictæ Eccleſiæ, ratione alicujus exactionis, talliæ, ſive precariæ, niſi decem & octo marcàs Leodienſes annuatim, nec ſummam hujuſmodi pecuniæ, occaſione alicujus exactionis, talliæ, ſive precariæ, quomodolibet excedere; ſed dictâ pecuniæ ſummâ, ego & ſucceſſores mei contenti eſſe debemus, prout prędictæ Eccleſiæ prędictus avus meus per ſuas patentes litteras conceſſit. Ut autem meis & meorum ſucceſſorum Officiatis omnis occaſio malignandi ſeu plus exigendi in dicta Villa & ejus appenditiis penitus auferatur; concedo quòd dictæ decem & octo marcæ per Abbatiſſam, quæ fuerit pro tempore, & ejus Villicum ſeu Officiatos in prędicta villa imponantur, & mihi ac ſucceſſoribus meis annuatim un-

decim marcæ, scilicet in Festo beati Remigii, & septem in Pascha Domini persolvantur: mediante quoque hujusmodi pecunia, annuatim mihi & successoribus meis, ut prædictum est, persolvendâ, mansionarios dictæ Ecclesiæ & homines in prædicta villa commorantes & moraturos, quito, & quitos clamo, ac libero nomine meo & meorum successorum, ex quibuscumque exactionibus, precariis, talliis & angariis, quocumque nomine censeantur; salvo tamen mihi & meis successoribus jure Advocatiæ, quam ego & prædecessores hactenus habuimus in villa memorata, videlicet tertiâ parte emendarum, quas ibi continget per Scabinos prædictæ Abbatissæ adjudicari. Item cùm olim Ecclesia dicta duas sylvas proprias cum suis fundis, quarum altera Vorst, & altera Damersa vocantur, dictis prædecessoribus meis Comitibus de Los & eorum posteris contulerit, tali conditione quòd in recompensationem & restitutionem hujusmodi sylvarum Abbatissa & Conventus dicti loci ad communem usum earum, unam plaustratam sive carratam lignorum suis expensis incidi, & suis vehiculis adferri singulis diebus, cùm eis placuerit, in omnibus sylvis Campiniæ, ad meum Comitatum spectantibus, absque mea & meorum heredum & successorum contradictione, liberè faciant in perpetuum, prout eis ab antiquo ex causa prædicta à meis prædecessoribus est concessum; prædictam quoque Ecclesiam, possessionesque ejus & jura, libertates & privilegia, tamquam bonus Advocatus, ubique defensare & manutenere toto posse teneor & promitto, obligans præsentibus me & meos successores ad omnia & singula supradicta. Consentio etiam & volo quòd venerabilis Pater Dominus Leodiensis Episcopus, qui fuerit pro tempore, ac ejus Officialis & Major Ecclesia Leodiensis, vel unus eorum, me & meos heredes ac successores per censuram ecclesiasticam de plano, absque vocatione, in jus compellant, & compellere possint ad observationem omnium & singulorum præmissorum, quotiescumque me vel meos heredes seu successores, venire contigerit contra præmissa vel aliquot præmissorum. Ut autem præmissa omnia & singula firma perpetuò maneant & illibata, sigilla Majoris Ecclesiæ prædictæ, & venerabilis viri Domini Ottonis de Juliaco Archidiaconi Leodiensis avunculi mei ac Officialis prædicti, Sede vacante, unà cum meo proprio, apponi præsentibus supplicavi. Nos autem Decanus, Archidiaconus & Capitulum Majoris Ecclesiæ prædictæ

& nos

& nos Otto de Juliaco, Archidiaconus ac Officialis prædicti, ad petitionem Comitis præfati, sigilla nostra præsentibus apponi fecimus, in testimonium præmissorum. Datum & actum anno Domini millesimo, ducentesimo, octogesimo secundo, undecimo Kalendas Junii.

Numero 8. *De anno* 1282. *in die B. Martini.*

UNiversis præsentes litteras inspecturis. Arnoldus Comes de Los, salutem & cognoscere veritatem. Noverint universi quòd venerabilis Domina M. Dei providentiâ Abbatissa Monasterii Bilisiensis, centum & quinquaginta marcas Leodienses nobis debitas pro innovatione seu confirmatione privilegiorum eidem Abbatiæ & ejus Conventui à nostris prædecessoribus favorabiliter concessorum, & à nobis confirmatorum seu innovatorum, secundùm quod in charta super hoc confecta pleniùs continetur, nobis seu certo nostro nuntio de mandato & voluntate nostra persolvit integrè in pecunia numerata: quam quidem pecuniæ summam in usus nostros totaliter esse conversam, utpote in solutionem debitorum nostrorum, tenore præsentium profitemur. In cujus rei testimonium sigillum nostrorum unà cum sigillo Ludovici de Lude, nostri tunc temporis Seneschalli, præsentibus litteris duximus apponendum. Et ego L. prædictus sigillum meum præsenti scedulæ apposui, ad jussionem sæpedicti Comitis, in testimonium præmissorum. Datum anno Domini millesimo, ducentesimo, octogesimo secundo, in die beati Marprædicti Comitis de Los, & ludovici ejus Seneschalli. Signatum tini Episcopi, hiemalis. *Et appendebant duo sigilla, nempe prædicti Comitis de Los, & Ludovici ejus Seneschalli. Signatum* CAROLUS HENON, *Notarius Apostolicus admissus. Per copiam conformem suo originali in fidem.*



Numero 9. De anno 1658.

APPROBATION DES PRIVILEGES du tres-illustre College de Munster-Bilsen, après que la Comté de Loz a été annexée à l'Evêché de Liege.

SON ALTESSE SERENISSIME Aiant veu & meurement examiné la Supplique de la Dame Abbesse & College de Munster-Bilsen, pour la confirmation de leurs Privileges ; députe & authorise son Chancelier ROSEN, avec le Conseillier DE MEAN & le Chanoine CONNINCK, pour recevoir tous les Documens & Preuves qui se produiront là-dessus : afin qu'après les avoir deuement avisez, ils en fassent rapport par escrit. Donné à Stavelot le 13. de Mars 1658. *Ainsi signé, MAXIMILIEN HENRI, Electeur de Cologne, avec paraphe. Et y estoit apposé le Séel de Sadite Altesse imprimé sur hostie rouge, couvert de papier blanc. Et embas ainsi signé*, PASCH. FOULLON, *avec paraphe. Puis*, Charles Henon, *Notaire Apostolique admis. Par copie conforme à son originelle. In fidem subscripsit.*

Numero 10. De anno 1663.

M*AXIMILIEN HENRI, par la grace de Dieu Archevesque de Cologne, Prince Electeur du saint Empire Romain, Archichancelier par l'Italie, & du saint Siege Apostolique Legat né, Evesque & Prince de Liege & Hildesheim, Administrateur de Berchtesgade & Stavelot, Duc des deux Bavieres, du haut Palatinat, Westphalie, Engeren & Bouillon, Comte Palatin du Rhin, Landtgrave de Leuchtemberg, Marquis de Franchimont, Comte de Loz, Logne, Horne &c.* A tous ceux à la connoissance desquels il appartiendra que les presentes parviennent salut. Comme Madame l'Abesse de l'illustre College de Munster-Bilsen nous a representé que ce College a esté doué de tant de Privileges & Exemptions, que d'avoir, tant ladite Dame & College, que tous Officiers & Supposts, esté declarez libres de toutes exactions, tailles & im-

posts, comme elle nous a fait paroître par des Patentes auttentiques, commençant depuis quatre siecles ; par rapport encore à d'autres Documents précédents, & plus anciens, & continuez à plusieurs siecles ensuivis : & le tout se trouvant avoir esté renouvellé & confirmé par les anciens Comtes de Looz jusques à aucuns Evesques & Princes de Liege nos prédécesseurs ; & même que ces Concessions & Confirmations sont passées en forme de Contract & Obligation, par lesquels ils ont enchargé tous leurs futurs successeurs nous faisant pour ce les instances ausquelles elle se trouve obligée par le devoir de sa chárge & dignité, à ce que nous voudrions renouveller & confirmer les susdits Privileges, Droits & Exemptions ; nous avons bien voulu en condescendant à ladite demande, comme juste & raisonnable, renouveller & confirmer, comme par cette renouvellons & confirmons les susdits Privileges, Droits & Exemptions, & entant que de besoin les remettons de notre grace & certaine science dans la même vigueur, force, & vertu comme ils ont esté concedez, renouvellez, & confirmez auparavant par nos prédécesseurs. Donné en notre Cité de Liege le 24. de Decembre 1663. *Ainsi signé*, *MAXIMILIEN HENRI, & y appendoit sur le milieu du replis le Séel de Sadite Altesse imprimé en cire rouge, enfermé dans une boete de bois, à double queue, de parchemin. Puis sur le côté droit dudit replis étoit ainsi signé*, PASCH. FOULLON. *Et du côté gauche du même replis étoit ainsi écrit*, Approbation des Privileges du College de Munster-Bilsen. *Estoit soubsigné* Charles Henon, *Notaire Apostolique admis. Par copie conforme à son originelle en parchemin, dâtée, signée & séellée comme dessus. In fidem subscripsit.*

Numero 11. *De anno* 1690.

Autre Approbation par le Prince JEAN LOUIS.

JEAN LOUIS *par la grâce de Dieu Evêque & Prince de Liege, Duc de Bouillon, Marquis de Franchimont, Comte de Loz, Horne &c.* A tous ceux qui ces présentes verront, salut. La Dame Abbesse de Munster-Bilsen nous aiant tres-humblement supplié qu'il nous pleust de rafraichir & renouveller les autres

Droits, Libertez, Immunitez, & Exemptions lui accordées & à ſon Illuſtre College par les Sereniſſimes Princes nos prédéceſſeurs ; nous avons bien voulu, en condeſcendant à ſa ſupplication, renouveller, rafraichir & confirmer, comme par les préſentes de grace ſpecialle & de noſtre authorité principalle renouvellons, rafraichiſſons & confirmons leſdits anciens Droits, Libertez, Immunitez & Exemptions lui accordées cy devant & à ſondit College par leſdits Princes nos prédéceſſeurs ; ordonnant à tous & un chacun auſquels il appartiendra, de les reconnoitre & s'y conformer : ainſi nous plaiſt-il. Donné à Liege le 23. de Novembre 1690. *Ainſi ſigné JEAN LOUIS. Et y étoit imprimé ſon grand Séel ſur hoſtie rouge, couverte d'un papier blanc. Eſtoit ſoubſigné* CHARLES HENON, *Notaire Apoſtolique admis. Par copie conforme à ſon originelle, in fidem ſubſcripſit.*

Leſdits Droits & Privileges ont eſté auſſi ratifiez par l'Empereur Ferdinand II. l'an 1653. du temps de la tres-noble & tres-illuſtre Dame Iſabelle Henriette, Abbeſſe de Munſter-Belize, née Comteſſe d'Aſpremont, Lynden, Reckem. *Addit. ad pag. 177.*

Numero. 12. De anno 1220.

DIPLOME GARDE' ES ARCHIVES de la Commanderie DU JONC, de la donation dudit lieu, avec toutes les terres circonvoiſines, par MECHTILDE *Abbeſſe de Belize, avec ſon Chapitre, & conjointement* ARNOULD *Comte de Loz, ratifié par Monſeigneur PETRAPONTIUS Evêque de Liege, en l'an 1220.*

HUGUES, *par la miſericorde divine Evêque de Liege.* A tous fideles Chrétiens, tant préſens qu'à venir. Sçavoir faiſons que Mechtilde Abbeſſe de Belize, avec ſon Chapitre, & conjoinctement Arnould Comte de Looz, ont donné la Chappelle dite *aux Jours*, avec ſes appendices & appartenances à perpetuité à l'Hopital de la Maiſon des Chevaliers Teutoniques, és quartiers d'Outre-Mer, & ce en ſubſide d'iceux qui menent la guerre pour l'honneur de Dieu, & ont ſoin pour les infirmes & mala-

des; étant requis, comme de raison, d'ydonner notre consentement, avons volontiers & de bon cœur, afin que cette donation soit ferme & stable, & à toujours perdurable, à cecy condescendu, & signé cet écrit tiré de l'original de la donation prédite, & séellé de notre seau; tenant pour bonne & valide la donation que ladite Abbesse & Comte en ont faite. Témoins les souscrits, Sire Sigisfride Archevesque de Mayence, Sire Engelbert Archevesque de Cologne, Sire Theodore Archevesque de Treves, Sire Conrard Evesque de Metz, & Chancelier de la Cour Imperiale, Sire Ekkelberg Evesque de Lamberg, Henri Duc de Brabant, Louis Comte Palatin du Rhin, Duc de Baviere, Louis Landtgrave de Thuringe, Gerard Comte d'Ara, Henri Comte de Seine.

COLLEGIATA S. JOANNIS EVANGELISTÆ in Insula Leodii dotata à Comitibus Lossensibus de Decimis de Rosoux, Hasselebrouck & Goye, & aliis parvis Decimis; item Scholasteria ibidem de Domino de Boeshoven, prope Loscastrum, anno 1078.

COLLEGIATA SANCTI BARTHOLOMÆI LEODII, eodem anno ab ERMENGARDA Comitissa Lossensi & Hasbaniensi.

COLLEGIATA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ HUENSIS, eodem anno.

Numero 13. De anno 1078.

Desumptum ex aliquo Libro manuscripto Ecclesiæ Collegiatæ sancti Bartholomæi Leodiensis, dicto Libro nigro.

Donatio facta per ERMENGARDAM *Comitissam de aliquibus prædiis jacentibus apud villas Worommes & Longum-Campum, & de allodio de Rumines & de Curenge, de Jalmen & de Berlinges & de Rode & de allodio de Brede cum Ecclesia ibidem.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Homo cùm reputat quid sit, unde sit, quorsum redeundum sit, imaginis sui Au-

thoris, cujus instar habet, dignè decus coram ingerit, simulque si pauper rebus, ad imitationem illius qui de Cœlo venit, pauper fieri, paupertati congaudet: vel si dives opum, non in illis dissolvitur; sed in nomine ejus à quo eas habet, illis dividit qui indigere videntur, catholico modo se suaque rerum Authori, à quo processerunt, laudabiliter resignare; talique boni operis Baptismo peccata, sine quibus nemo vivit, purgando, creditur, & mirum est, abluere. Hanc sanissimam amplectens summariam virtutum semitam Ermengardis Comitissa, quibus multipliciter abundabat ab avis atque atavis nobilibus, pro sua suorumque animabus, Deo ejusque Ecclesiis splendidè conscripsit prædia; horum, inquam, prædiorum jacentium apud villas Worommes & Longum-Campum, præter Beneficia servientium, & præter duo molendina & duas cambas, & præter Ecclesiam & decem mansos, & viginti de familia, sicut ea tenebat: cùmque sacrum Velamen capite susciperet, traditionem fecit ad Altare Apostoli Bartholomæi; tradidit etiam totum allodium de Rumines, præter quinque mansos, quos dedit sanctæ Mariæ in Hoyo, præter Beneficia servientium; simulque tradidit totum allodium de Curinges, præter quinque mansos, quos dedit sancto Joanni in Insula, præter Beneficia servientium; tradidit quoque totum allodium quod habebat apud Gelmines & Berlinges, præter Beneficia servientium; tradidit quoque allodium de Brede, cum Ecclesia, præter decem mansos, quos dedit Gerardo Comiti, & viginti de Familia, & præter decem mansos, quos dedit sancto Joanni & viginti de Familia. S. Jacobo Avroch dedit cum suis appenditiis, constituit etiam ipsa Virago ut se vivente, siquid de his quæ tenebat manumitteret, Episcopo Henrico cederet; post decessum Episcopi & ipsius, totum quod ejus liberum allodium fuerat, ubicumque esset, Ecclesiæ sancti Bartholomæi fieret. Hujus autem boni operis beatæ memoriæ Dominum Episcopum Henricum incentorem habuit, & devotissimum suffragatorem: & ut hoc libentissimè perageret, quorundam Episcopi cursuum delegavit ei redditus, donec viveret. Suscepit verò hanc traditionem, qui tunc Advocatus erat, Comes Henricus de Dolvin, Castello, ubi præsto fuerunt liberi & honesti viri, hinc Clerici, hinc Laici; necnon etiam de familia Ecclesiæ plurimi, Godeschalcus Archidiaconus, item Dietwinus Archidiaconus, Hermannus Archidiaconus, Hugo Præ-

positus, Franco Scholasticus, Godefridus Raso, Hildonius; Canonici ipsius loci, Odelinus, Geldulfus, Henwardus, Cheldoldus, Belbaldus, Waltherus, Heribertus, Erminerus, Wiso Piemarus, Ameso, Comes Cono de Monte-Acuto, Reginardus de Roden, Witmannus de Molenarche, Godeschalcus de Cennaco, Lambertus de Foron, Turevinus de Wodelmont, Menirnus, Lambertus Zebehardus, Lambertus de Ponte; item Lambertus, Fredericus, Godefridus, Fredericus, Lienbertus, Waselinus filius ejus, Lambertus Waselinus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo, septuagesimo octavo, Indictione primâ.

Numero 14. De anno 1306.

Explanatio priorum per Arnoldum Comitem Lossensem & ejus uxorem.

UNiversis praesentes Litteras inspecturis. Arnoldus Comes Lossensis, & Margareta ejus uxor & Ludovicus eorum primogenitus filius, salutem. Facta de mandato nostro ac voluntate nostra nuper diligenti inquisitione super bonis & juribus hereditariis .... videlicet uno modio siliginis, dimidio modio ordei, & dimidio modio avenae, mensurae Trajectensis, cum tribus denariis Leodiensibus super Molendinum Domini de Wittenbergh, de quinque solidis Leodiensibus super Molendinum dictum de Bree, sita in territorio de Brede; item super quatuor solidis Leodiensibus de uno Foro de Brede, quod est in die XI. millium Virginum, quod Theodoricus de Syteren nobis nuper vendidit. Quae quidem bona discreti viri Decanus & Capitulum Ecclesiae S. Bartholomaei Leodiensis ad Ecclesiam suam asserebant pertinere, & quae repetebant à nobis Arnoldo & Margareta tanquam detentoribus & occupatoribus bonorum ipsorum; nos per eandem inquisitionem invenimus, dicta bona ad dictam Ecclesiam pertinere, propter quod dictos Decanum & Capitulum, nomine dictae Ecclesiae, restituimus ad eadem bona ipsa, & eorum possessionem eisdem reddendam & restituendam nomine, quo super nihil juris in eis nobis in perpetuum pertinendo: quare mandavimus & mandamus omnibus Curiis & Justitiis, sub quibus dicta bona consistunt, ut dictam Ecclesiam S. Bartholomaei

reducant & reponant in possessionem bonorum prædictorum & de certo habeant & teneant, & quotiescumque opus fuerit, servetur & judicetur pro jure, quòd dicta bona, non ad nos, sed ad dictam Ecclesiam pertinere pleno jure, & tueantur & defendant in possessionem ipsorum; facientes ipsis Decano & Capitulo nomine quo suprà, de ipsis anno quolibet integrali responderi; inhibentes etiam quibuscumque Officiatis nostris, ne ad bona eadem de cætero nomine nostro manus apponant; sed permittant ipsam Ecclesiam, & nomine dictæ Ecclesiæ dictos Decanum & Capitulum eis gaudere pacificè ac quietè: & pręmissis omnibus nos Ludovicus nostrum prębuimus & prębemus assensum, ea omnia esse vera similiter confitendo, & promittendo non contravenire de jure vel de facto in futurum. In cujus rei testimonium sigilla nostra pręsentibus litteris duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo, tricentesimo sexto, decimâ quartâ feriâ ante Festum sancti Servatii Episcopi. *Infra fuerant apposita sigilla cum pargamenis.* † † † *Per copiam cum originali conformem*, J. de Bleret, *Notarius in fidem subscripsit.*

Numero 15. De anno 1042.

Henricus tertius Niger Imperator anno 1040. dat Nitardo Leodiensi Episcopo Comitatum Hasbaniensem, seu Lossensem, ab Arnoldo Comite Lossensi (sine liberis anno 1014. defuncto) auteà possessum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divinâ favente clementiâ Rex. Si fidelium nostrorum voluntati ac petitioni nostrum assensum pium ac benevolum adhibere curamus, quin ipsi nobis in futuro multò fideliores & ad omne nostrum servitium promptiores sint minimè dubitamus.

Quapropter omnibus divini nostrique nominis amatoribus, tum futuris, quàm pręsentibus, perspicuum esse volumus, qualiter Nitardus sanctæ Leodiensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus nostram Regalem adiit Sublimitatem, humiliter deprecans, ut inprimis causâ divinæ retributionis ac ob remedium animæ pii genitoris nostri Conrardi Imperatoris, à nobis dum vixerimus nunquam obliviscendi; necnon ob humilem interventum fidelium nostrorum, Brunonis sanctæ Wirceburgensis Ecclesiæ & Thietrici

drici Metensis, venerabilium Episcoporum, ac pro suo assiduo & fideli servitio quo patri nostro, nobisque multùm fideliter servivit, Comitatum Arnoldi Comitis, nomine Haspinga, in pago Hispangow situm, cum tali jure, talique Districto, quale parens noster, aut nos hactenus in illo visi sumus habere in monetâ vel telonio; imò cum omni utilitate, quæ scribi aut excogitari potest, prædictæ Leodiensi Ecclesiæ, in honore sanctæ Dei Genetricis Mariæ, ac pretiosissimi Martyris Lamberti, qui ibidem corporaliter requiescit, constructæ, eâ lege in proprium concederemus, ut hanc proprietatem, quam hactenus in illo habuimus, præfatus Episcopus Nitardus suique successores ab hinc potestativè habeant. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas stabilis & inviolata omni permaneat ævo; hanc chartam inde conscribi, eamque manu nostrâ propriâ, ut subter videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione præcepimus insigniri. ✠ Sigillum Domini Henrici Regis invictissimi. Theodoricus Cancellarius vice Burdonis Archicapellani recognovit. Datum nono Calend. Februarii, Indictione octavâ, anno Dominicæ Incarnationis millesimo, quadragesimo, anno Domini Henrici III. ordinationis duodecimo, Regni verò primo. Actum Ulmæ feliciter. Amen.

Anselmus rer. Leod. Scriptor tom. 1. cap. 83. fol. 279.

Unde Miræus in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 87. fol. 165. refert quòd Arnoldus, sive Arnulfus Comes Lossensis anno 1014. sine liberis decessit, & Comitatum sancto Lamberto & Ecclesiæ Leodiensi moriens dedit. Ut Anselmus, Rerum Leodiensium Scriptor, cap. 62. narrat, id ratum esse voluit Henricus III. Cæsar novâ veluti donatione, quam superiùs recitavimus. Fisen Hist. Leod. lib. 8. sub Nitardo, fol. 180. sub fin. mem. 7. Valer. Andr. Dessel. in Topographia Belgica, verbo *Lossa*, fol. 101.

Et ne forsan quisquam de continuata Ludovico per successores possessione fiduciaria Ecclesiæ Leodiensi addubitet, visum fuit hîc annectendum solemne instrumentum transcripti Comitatûs universi per Arnoldum in filium Ludovicum Comitem de Chyniaco, ad manus Adolphi Marckani Episcopi Leodiensis anno 1323. penultimâ Decembris, quo disertè agnoscit se totum Comitatum Lossensem tenuisse ac tenere in Feudum ab eodem Episcopo Marckano, totumque sub ejus constitutum Diœcesi. De Mean obs. 276. in proem. vers. *in hac*.

Vide Laurent Mean hist. de Hui, fol. 198.

Numero 16. De anno 1323.

Relevatio Comitatûs Lossensis per Arnoldum Comitem Lossensem, nomine Ludovici sui filii facta à Domino Adolpho Episcopo Leodiensi.

IN nomine Domini. Amen. Universis præsentes litteras sive præsens instrumentum publicum inspecturis, Adolphus Dei gratiâ Episcopus Leodiensis, salutem in Domino sempiternam cum notitia veritatis. Noveritis quòd anno Domini millesimo, trecentesimo, vigesimo tertio, Indict. 6, mensis Decemb. die penultimâ, coram nobis & hominibus nostris feudalibus, testibus infrascriptis, necnon in præsentia dilecti ac fidelis nostri Joannis de Tornaco, dicti de Spire, Clerici Notarii publici subscripti, inter plures alios Contractus & Conventiones factas seu habitas inter nobiles viros nostros fideles & consanguineos dilectos Dominos Arnoldum Comitem Lossensem, nostræ Diœcesis, ex una parte, & Ludovicum ejus filium Comitem de Chyniaco, ex altera, propter hoc personaliter constitutos, idem Dominus Arnoldus Comes Lossensis, spontaneè, publicè ac expressè, nomine, & ad opus ejusdem Domini Ludovici filii sui, ibidem præsentis & acceptantis, in manus nostras, tanquam sui in hoc Domini, totum Comitatum Lossensem, dictæ Diocœsis, quem à nobis tenuit & tenebat in feudum, & quem à nobis in feudum recognovit descendere seu moveri, reportavit, resignavit, werpivit, effestuavit, eidem cessit, & renuntiavit, cum suis appendiciis, pertinentiis & juribus universis, mediantibus quatuor millibus librarum annuatim ad vitam ipsius Domini Arnoldi pro usufructu suo reservatis, singulis annis, in bonis & reditibus hæreditariis, & Comitatûs Lossensis, capiendis seu habendis; & etiam aliis conventionibus certis mediantibus, de quibus, & prout in aliis litteris seu instrumentis publicis supra hoc confectis, signo dicti Joannis Notarii signatis, nostro dictarumque partium, & hominum feudalium prædictorum sigillis sigillatis, hæc & alia pleniùs continentur; quem quidem Comitatum Lossensem, cum dictis appenditiis, pertinentiis & juribus universis, dictus Dominus Ludovicus à nobis ibidem immediatè relevavit in feudum, & nos eidem Domino Ludovico Comitatum ipsum reddidimus, eumque de ipso Co-

mitatu, cum juramento & pacis osculo, adhibitis solemnitatibus debitis & consuetis, recepimus in nostrum hominem feudalem, concordi sententiâ, seu judicio nostrorum hominum feudalium adstantium suadente, salvo semper jure cujuslibet, ut in talibus fieri consuevit; pro quibus quatuor millibus librarum solvendis, & aliis conventionibus antedictis adimplendis & firmiter observandis, idem Dominus Ludovicus prædicto D. Arnoldo patri suo specialiter obligavit, & assignavit, ac in manus nostras reportavit, werpivit, & effestuavit titulo pignoris seu hypothecæ certos redditus, proventus, bona & jura, prout ad ipsum ratione dicti Comitatûs Lossensis pertinebant seu spectabant in villis & locis certis ad hoc deputatis; & generaliter omnem Comitatum Lossensem antedictum, modis, pactis, conventionibus & conditionibus inter ipsas partes factis seu habitis hinc & inde, juxta dictarum litterarum seu instrumentorum continentiam & tenorem. Quæ omnia nos, ad ipsarum partium instantiam & rogatum, memoriæ & custodiæ nostrorum hominum feudalium, testium subscriptorum, personaliter duximus commendanda, eaque in publicam formam redigi per eundem Notarium mandavimus, ac sigillorum prædictorum, videlicet nostri, & dictorum hominum feudalium munimine roborari. Datum & actum in domo Henrici, dicti Henreckel, Scabini Bulloniensis, sita juxta Pontem de Bullonio, dictæ Dioecesis, sub anno, indictione, mense & die supradictis, præsentibus unà nobiscum dilectis ac fidelibus nostris, religioso Viro Domino Henrico, Dei patientiâ Abbate Monasterii S. Huberti in Ardenna, prędictæ Dioecesis, Ordinis S. Benedicti; venerabili Viro D. Engelberto Francoy, Canonico Leodiensi, ac sæcularis Ecclesiæ Amaniensis, ejusdem Dioecesis, Abbate; nobilibus viris DD. Jacobo Domino de Orchimont, Jacobo de Agimont, Theodorico de Hanneffe, Goswino de Bergh, Militibus; viris discretis, Renero de Fallize, Canonico & Scholastico Ecclesiæ nostræ sancti Joannis Leodiensis, Ludovico de Agimont, Guilielmo Castellano de Waremia, nostro tunc Marescalco, Judoco de Wahar, Arnoldo dicto Carpeal de Halleio, Roberto dicto Pinnekein, Arnoldo de Cerain nostro Pannetario, & Goswino de Rivo de Johoucourt, nostro tunc Camerario, nostris hominibus feudalibus; pluribusque aliis testibus, ad hoc vocatis specialiter & rogatis &c. Et ego Joannes dictus de Spire, Clericus Tornacensis, publicus Apostolicâ authoritate & Imperiali Notarius,


C 2

præmissis unà cum dictis testibus præsens interfui. Hoc instrumentum publicum ad mandatum præsentis Domini Episcopi, dictarumque partium instantiam & rogatum, inde confeci, meoque signo consueto signavi, vocatus ad hoc specialiter & rogatus.

Suprascripta copia est extracta ex libro primo chartarum perillustris Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, sub n 6. c. LV/ *cum quo de verbo ad verbum concordat, quod attestor,* J. Pollain, *publicus Apost. authoritate Notarius, in fidem subscripsit.*

Numero 17. *De anno* 1292.

OMnibus has præsentes litteras visuris & audituris. Henricus Eques, Dominus de Petersheim, salutem, veritatis agnitionem. Nota cunctis res sit, quòd nos, de consilio peritorum & amicorum nostrorum, prout est nobilis vir Ludovicus Comes de Chiny, & alii, recepimus & relevavimus ligietariè in feudum & in homagium domum nostram de Pietersheim, turrim, propugnacula, superius & inferius, integraliter, prout se extendunt, à nobili viro charo nostro Domino Arnoldo Comite de Loz, & villam de Pietersheim, sicuti nobis allodialis erat, tali modo, quòd nos illi servire & eum adjuvare debemus de domo nostra supradicta de Pietersheim contra quoslibet homines, sicuti sui homines ligii. Et ut hæc res sit firma & stabilis, nos dedimus nostras litteras apertas, sigillatas proprio nostro sigillo, in testimonium veritatis & recognitionis rerum suprascriptarum, quæ factæ fuerunt & datæ anno gratiæ Domini nostri 1292. Mercurii post Festum sancti Matthæi Apostoli, in Chamont. *Per extractum ex libro chartarum sancti Lamberti sub n.* 11. *c. xxix.* Gualt. Doupey *Notarius subscripsit.*



Numero 18. *De anno* 1333.

NOs Wilhelmus, Dominus Petershemiensis, Eques, omnibus notum facimus; quòd nos ob amorem nobilis viri & potentis mei Domini Ludovici Comitis Lossensis & de Chiniaco, relevavimus & recepimus ab ipso in feudum & homagium nostram domum, propugnaculum, & villam Petershemiensem, tali omni modo quo litteræ quas prædictus Comes habet à nostris antecessoribus de eo loquuntur; salvo tantùm quòd post decessum prædicti Comitis nostræ literæ & nostræ firmitates, & etiam litteræ & firmitates prædicti Comitis permanebunt in suis juribus & vigore, quemadmodùm hodiernâ die; non contrà stante illo modo quo nos peranteà relevavimus pro testimonio harum litterarum sigillatarum proprio sigillo. Datæ Hasseleti anno gratiæ millesimo, trecentesimo, trigesimo tertio, decimâ tertiâ die mensis Aprilis. *Per extractum ex secundo libro chartarum Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, sub numero* 11. *c. xxxi.* Gualt. Doupey *Notarius subscripsit.*

Numero 19. *De anno* 1174.

Extractum ex Registro quodam Abbatiæ Villariensis, cujus titulus est: Incipiunt Litteræ & Tituli de Hex, *in quo fol.* 14. *pagina* 1. *habetur num.* 48.

Confirmatio Donationis Hospitalis de Los & Allodii de Hex.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Arnoldus Comes de Los, omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, salutem & veritatem jugiter amplexari.

Ut Ecclesiarum & Religiosorum Locorum honor & pax inviolabilis & illibatus permaneat, pervigili nos decet curâ providere, quibus Dominus ad vindictam malorum, laudem verò bonorum gladium commisit jurisdictionis temporalis.

Cùm igitur Hospitale & Capella de Los tantò ferventiori dilectione præ cæteris manutenere & confovere debeamus, quantò locum ipsum à progenitoribus nostris, in majori scimus habi-

tum reverentia, & Fratrum Villariensium, quibus progenitores nostri ipsum Hospitale commiserunt, ardentibus cupimus orationibus adjuvari; necessarium duximus innovare & confirmare, & notitiæ vestræ transmittere privilegium à nostris prædecessoribus eidem loco concessum, quod tale est:

Ego Agnes, Dei gratiâ Comitissa de Los. Omnibus, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Ad misericordiæ ministerium credimus pertinere, quatenus Hospitale Domûs de Los, cum omnibus appenditiis suis, eâ diligentiâ & pietate conservemus, quâ solicitudine & devotione à Domino nostro Ludovico Comite custoditam recolimus: ipse enim præfatam Domum, quantùm in vita & in morte dilexerit, opere & veritate monstravit, qui quamdiù vixit, eumdem locum consilio suo & sapientiâ rexit & promovit, fovendo beneficiis, & in morte sua sicut desideravit & elegit, in eo & accepit locum sepulturæ. Hac de causa locum ipsum præcordialiter amplectimur, & quasi fœdus charitatis & pacis cum eo pepigimus, in eo quod ad honorem Dei, ob refrigerium animæ ejus, pro salute nostra & predecessorum nostrorum, astantibus & consentientibus filiis meis & filiabus, allodium de Hex, sicut in manu nostra erat ei communiter, & devotè contulimus.

His omnibus pietatis motibus, tam ego quàm filii mei excitati, sæpedictum locum affectuosè diligimus & ampliare disponimus: & ne imposterum aliquâ concussione turbetur, fideli custodiâ providemus; inde est quòd multâ precum instantiâ dilectum nobis Abbatem Villariensis Ecclesiæ, Ulricum nomine, rogavimus ut præfatam Domum cum omnibus appenditiis suis donatione legitimâ à nobis susciperet, quatenus eam sicut propriam domum retineat & custodiat, & de ea sicut de domo sua disponat, & ad modum & consuetudinem Ordinis sui pro posse suo eam omnino componat. Quia igitur dictus Abbas precibus nostris assensum præbuit, & voluntati satisfecit quidquid juris, tam ego, quàm filii mei in præfatis locis, in terris, sylvis, agris, pratis, pascuis, & aliis modis habuimus, Ecclesiæ de Villari totum donavimus, & ab omni servitute sæculari & operatione eadem loca, & Fratres habitantes in eis, penitus emancipavimus, & libera esse statuimus. Ut in hac pace proficiant, & jugiter foveantur, præsentis paginæ serie futurorum notitiæ demonstramus: hoc itaque sciat generatio præsens, & idem noverit fidelium futura successio, quòd loca ista, & Fratres habitantes in eis, & omnia quæ ad eos pertinent, sub nostra custodia & protectione suscipimus, auxilium & defensionem in necessitate promittimus. Et ut ratum & inviolabile apud posteros habeatur, præ-

sentem paginam sigillorum nostrorum impressione signamus, & testium probabilium assignatione munimus. Actum est hoc anno gratiae 1174. Epactâ 15, Indictione septimâ concurrente.

Primò hujus donationis testes sunt Theodoricus de Lodenahe, Robertus de Hertinnes, Berengerus, Goswinus de Burne, Cono de Alta-Ripa, Balduinus de Mellines & Gerardus de Diepenbeck. Nos etiam praefatam donationem ratam habentes & confirmantes, hoc etiam praesenti paginae inserere, & praescripto dictae Comitissae privilegio addere & innovare decrevimus, quod in anniversario praefati Ludovici Comitis de Los, quod est in die beati Laurentii, Ecclesia Villariensis Canonicis Ecclesiae beati Odulphi in Los decem solidos Leodienses solvere tenetur, & totidem in anniversario praefatae Comitissae Agnetis, quod est in die S. Andreae, debet eisdem persolvere. Ipsi autem Canonici in die anniversario utriusque tenentur ad dictam Capellam venire, & Missam pro defunctis ibidem solemniter decantare. Tenetur etiam Domus Villariensis Sacerdoti in eadem Capella de Los celebranti annuatim conferre triginta solidos Leodienses & sex modios siliginis, & unum modium frumenti, & duos modios hordei ad cerevisiam ejus. Procuratori quoque dicti Hospitalis tenetur eadem Domus annuatim dare decem solidos Leodienses & quinque modios siliginis; & singulis annis post Festum sancti Joannis Baptistae debet dare praefata Domus duos modios siliginis & duos modios hordei ad emendum ligna, quibus pauperes ibidem hospitati calefiant. Ut autem eleemosynae quae in eodem Hospitali fiunt, acceptiores sint Deo, & animabus praedecessorum nostrorum uberiùs proficiant; statuimus firmiter observandum, & Provisoribus ejusdem Domûs, tam qui nunc sunt, quàm qui erunt in ea in perpetuum, praecipimus, ut neque histriones, neque ribaldos, neque mulieres publicè prostitutas recipiant in eadem Domo; sed tantùm pauperes bonos & modestos, & necessitatem patientes. Quòd si fortè aliquis contra hoc violentiam inferre voluerit, authoritate nostrâ, & successorum nostrorum in perpetuum, Dapifero nostro & Villico de Los, quicumque fuerint illi, in perpetuum districtè damus in mandatum, quòd sicut nos & gratiam nostram caram habent, Domum ipsam defendant & violentos, & injuriatores ita puniant & castigent, quòd caeteri hoc audientes corrigantur, & attenta similia pertimescant. Si verò, quod absit, Dapifer noster & Villicus, cùm de talibus querimonia, vel clamor

Obiit Ludovicus anno 1171.

ad eos pervenerit, in exercenda de hoc justitia & vindicta negligentes fuerint vel remissi, offensam nostram se noverint incursuros, & nihilominus eos pro contemptu & elusione mandati nostri pœnâ debitâ puniemus. Celebrata autem est à nobis hæc confirmatio anno Domini 1230, indictione 3, & sigilli nostri appensione præsens est pagina communita. Hujus confirmationis testes sunt Godefridus de Kalmut Dapifer noster, Guilielmus de Tongris, Guilielmus de Sassenbrug, Wilhelmus, Philippus, Theodoricus de Feche, & alii quamplures. Et erat signatum: *Hæc copia extracta est in Monasterio nostro Villariensi ex Registro suprà memorato, cum quo concordat de verbo ad verbum, hac 19. mensis Maii 1683. Quod attestor Frater Cornelius de Harve Religiosus & Provisor Villariensis.*

Notæ in dictum Diploma.

ADvertendum igitur hîc est, jus in Pastoratum & totum Beginagium de Grathem ad perillustre Capitulum Cathedrale Leodiense devolvisse ex vi permutationis certorum bonorum cum Ecclesia Villariensi; quæ bona sunt, villa de Munick-Hoff, cum omnibus suis agris, sylvis &c. ut latiùs in donatione Comitissæ Lossensis Abbati Villariensi facta, superiùs patet, quam Abbas Villariensis circa annum Domini 1581. vel 1582. perillustri Capitulo præfato pro aliis bonis versus Lovanium sitis, ut fertur, transtulit: eâdemque viâ Capitulum antedictum obligationem ad omnimodam Ecclesiæ de Grathem intertentionem dignoscitur contraxisse, utpote eodem quo jus ad Pastoratum & reliquum Beginagium dictæ villæ de Munick-Hoff, vinculo adstrinctam. Dixi ad omnimodam Ecclesiæ de Grathem intertentionem, quia talem fuisse intentionem & voluntatem Comitissæ patebat ex Actu donationis villæ de Munick-Hoff, in qua Abbas Villariensis Hospitale Lossense ejusque Capellam, in qua Comes elegit sibi locum sepulturæ, quæ postmodùm ad usum Beginarum concessa fuit, regendam acceptat ut propriam domum. Instrumentum hoc coram Notario stipulatum & insinuatum ex Registris Justitiæ Lossensis 15. Junii 1582.



De-

Numero 20. De anno 1331.

Desumptum ex Historia Beghinarum Belgii, Authore Josepho Geldolphi à Rickel, ab Oorbeeck, Abbate sanctæ Gertrudis Lovaniensis, impressa Lovanii typis Cœnestenii 1631, in quo fol. 407. habentur inter alia sequentia § 127. DE LOS-CASTRENSI BEGGINASIO.

LOs-Castri (vel Lossa) amplissimi Comitatûs titulo decoratum est oppidum, quod Germanorum nobilissimos, teste Cantipratano, dedit Comites (adeòque Carolo magno suam debet originem,) suum quoque habet Nymphæum, multis Virginibus celebre; in quo pax & puritas animorum, & à rebus vanis ac perituris aversio, perpetuum habent domicilium: & ut verbo utar Tertulliani, arbor est hæc earum Ccongregatio, quæ penes aquas seritur, & in filiis perennat, & tempore suo fructus agit, quæ non ignem, non securim videbit.

Hujus Parthenonis origines altissimæ sunt; & licèt temporis contumeliâ perierint, posthumant tamen adhuc antiquitatis ejus ultima quædam vestigia, ex quibus conjectura est, quòd si non antiquissimum, saltem unum ex antiquissimis sit totius Belgii. Certè ævum ejus loquitur vetustissima Ecclesiæ structura, tum & fenestræ Templi, in quibus conspicua sunt hodieque Comitis Lossensis & Viandensis arma, quas, prout ex traditione habetur, donavit ille Lossensis Comes, qui in conjugio habuit filiam Comitis Viandensis. Huc accedit & sepulchrum Comitis Ludovici, quod ibidem ante Chorum, tumbâ lapideâ elevatâ, adhuc etiamnum extat, cujus anniversariam commemorationem Canonici Lossenses quotannis in Begginasio celebrant, cum parvo lucro præsentiæ, quod illo tempore institutæ præsentiæ maximum erat: tunc enim alia erat usualis moneta, & majoris valoris.

Cæterùm hoc indubitatum habetur fundationis hujus, quam ad eos producimus, judicium, quòd Abbas Villariensis hujus fuit constitutus Provisor & Rector, ut constat ex attestatione in calce Statutorum Begginasii, per illum ipsum Abbatem, anno 1497. die 10. Decembris adjecta. Desiit autem ille paucis abhinc annis Provisor esse; & Provisoris munus transiit per permutatio-

nem certorum bonorum ad Cathedrale Templum Leodiense, penes quos est potestas conferendi Pastoratum & Præbendas Conventuales Begginasii. *Hæc ex Rescripto R. D. Decani Mathiæ Loeckmanni Lossensis anno 1631. 27. Januarii dato.*

Numero 21. De anno 1306.

Item in eodem libro fol. 585.

De Loscastrensi Begginagio Paralipomena.

FRagmenta colligimus ne pereant : & quàmvis non adeò sint illustria ; sunt tamen antiquissima & pietatem spirantia, fidemque tantò majorem habent, quantò & à fide digniori manu R. D. Mathiæ Loeckmanni Stravii, Decani Lossensis, auctoritatem suam habent. Is igitur in suis ad me datis litteris, de suo, cui Rector præest, Conventu hæc præscribit : *Ad Conventum nostrum Begginasii de Grathem quod attinet, ille situs est extra, sed prope muros oppidi Lossensis. Ecclesia, & summum Altare fundata sunt in honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ. Præter illud adhuc alia duo sunt; aliud sub Invocatione beatæ Mariæ Virginis; aliud sub titulo sanctæ Catharinæ dedicatum. Habet Conventus contigua mœnibus amœna & ampla pomeria, Hospitale peregrinorum, & plateam regiam. Prospiciunt Cathedrales Leodienses isti Hospitali ad usum peregrinorum de vecturis carbonum sive bullarum per suum colonum in Hex, vulgo, Munick-Hoff.*

Extat & hîc Valetudinarium, in quo solent ali, siquæ Begginæ ad tenuiorem fortunam deveniant. Collatores Pastoratûs Altarium Matricularis & Præbendarum Conventualium sunt Cathedrales Domini Leodienses. Emortuâ enim unâ Begginâ, subrogatur in locum defunctæ mox alia per Leodienses, unà cum perceptione omnium & singulorum commodorum & emolumentorum, professione editâ ; impendunt iidem Domini omnes reparationes necessarias circa totam Ecclesiam : sunt ergo ii Provisores & Defensores Conventûs, ut suprà retulimus loco citato.


Quòd Fundatores Conventûs fuerint Comites Lossenses, satis patet ex Conventûs Statuto 32, quod est tale :

Item wy willen ende bevelen dat die Beggynen hen oeffenen

tot devotie meer dan weerlijcke persoonen, ende dat sy noch daer en boven sullen houden devotie ende sonderlinge ghebeden voor onsen heyligen Vader den paus van Roomen, voorts besonden voor onsen alder eerwerdichsten Heere den Bisschop van Luyck, ende voor die graven van Loen die dit Convent ghesticht, gefundeert ende beghift hebben: voor allen den staet der heyligher Kercken, voor den abt van Villeers, die V. Vyter eerste fundatie van den voorschreven graven van Loen voor eenen herder Protecteur ende Proviseur gheinstitueert is: ende voorts alle menschen gheestelyck ende weerlijck die den Convent goet gedaen hebben, oft doen sullen.

Ex subsignatione Statutorum quæ in calce eorundem adjecta est, constat Abbatem Villariensem fuisse Conventûs Provisorem: sic enim illîc legimus. *Nos Abbas Monasterii beatæ Mariæ Villariensis, Ordinis Cisterciensis, Leodiensis Diœcesis, ex primaria fundatione Curiæ Begginarum de Grathem, necnon Hospitalis pauperum dictæ Curiæ adjacentis, à nobilibus Comitibus Lossensibus Provisores & Rectores desuper constituti, omnia & singula Statuta, pro parte nostra ordinata, prout præscribuntur omnibus & singulis Begginis inibi degentibus, sub pœnis & censuris superiùs declaratis, inviolabiliter servare, & his obedire mandamus: nobis semper salvo jure addendi, mutandi, considerandi, & in melius reformandi. Teste sigillo nostræ dignitatis Abbatialis subimpresso. Anno Domini* 1497. *die* 10. *Novembris.*

Subsignatum, *De speciali mandato Domini Abbatis,*
EG. ERTRYCKE Commiss.



Numero 22. Post annum 1230.

Desumptum ex Registro Canonicorum Lossensium, cujus titulus est talis, Registrum Capituli Lossensis, *in quarto, habens flavam coopерturam.*

Littera XX. Solid. solvendi per Conventum de Villary pro anniversario Comitis Ludovici & Comitissæ Lossensis.

IN nomine Domini. Frater Tburg, Abbas de Villary cum Fratribus suis & Filiis, Hermannus Decanus & universi Fratres & Filii Lossen. Ecclesiæ, omnibus fidelibus, præsentibus & futuris in perpetuum. Speciosum quidem nomen est pacis, & ipsa per se placet pulchritudo veritatis primò istam quærere, turbatam componere & inventam sollicitè custodire: ut igitur pax à nobis composita & inventa firma permaneat, & nullâ deinceps occasione solvatur; hoc notum facimus præsentibus & futuris. Quondam piæ memoriæ Ludovicus Comes Hospitalem Domum de Los, in vita sua & morte dilexit, quam cùm vixit, consilio suo & sapientiâ suâ rexit & promovit, fovendo beneficiis, & in morte sua sicut desideravit & elegit, in ea accepit locum sepulturæ. Hac de causa Agnes Comitissa uxor ejus cum filiis suis locum ipsum præcordialiter adamavit, & quasi fœdus cum eo pepigit charitatis, cùm pro salute Comitis allodium de Hex in eleemosynam contulit ei; statuens ut inde singulis hebdomadis xxv. den. Leodiensis monetæ Canonicis traderentur, cùm sextâ feriâ ad sepulchrum venissent Comitis, pro remedio ejus ibi Missarum solemnia completuri. Perpendens posteà femina sagacis animi, Clericos tanto frequenter excursu mirùm fagitari, & commoditatem collecti beneficii, ob tantam denarii quantitatem non posse sufficere, discretione laudabili Clericis laborem remisit itineris, & consensu Lossensis Ecclesiæ denariorum summam ad x. solidorum Leodiensis monetæ quantitatem redegit, qui ab Ecclesia de Villary, cui præfatum allodium in eleemosynam legitimè datum fuerat in anniversarium Comitis, Ecclesiæ de Los sine mora & dilatione deveniret. Hæc itaque dispositio, quamdiù Comitissa vixit, incon-

cussa permansit; post decessum autem ejus, cùm adverterent Fratres de Villary Clericos conqueri 4 denarios, quantitas quæ eis priùs fuerat assignata, ad tantam paucitatem devenisset, ut filii pacis & concordiæ amatores, x. solidis, qui pro Comite dabantur, pro Comitissa decem alios addiderunt, quos in anniversario ejus Clericis annis singulis se daturos amicabili benevolentiâ promiserunt: ut quos una maritalis junxerat fides, una eos pietatis copula sociaret; & quos par beneficii largitas commendabat, æquales in honore apud posteros celebris eos memoria decoraret. Hanc igitur summam Comitis Gerardi Advocati Ecclesiæ suæ Clerici perante à acceperunt, & sibi sufficere judicarunt, & annuatim memoriam Comitissæ, sicut & Domini Comitis, solemniter recolere devotione laudabili decreverunt. Quâ igitur querimoniâ excitatâ, in hoc consensu pacis & osculo penitus expiravit; justum est ut deinceps hanc summam Ecclesia de Villary nullo modo tentet minuere; nec Ecclesia de Los his ampliùs quicquam præsumat exigere. Ut autem unanimitatis vestræ solemnitas non solùm præsentes & vivos foveat & delectet, sed etiam ad futuros & mortuos odorem gratissimæ suavitatis afferret; statuimus & paginæ præsentis mandato decrevimus, ut unaquæque Ecclesiarum nostrarum, quod pro suis Fratribus mortuis agit, pro alterius Ecclesiæ defunctis, annis singulis solemniter agat, ut pax & concordia, quæ à Deo exisse creditur, ad promerendam ejus gratiam, ad ipsum studiosa diligentia referatur, & ab ipso cœpta, in ipso fructuosissimè finiatur. Unde ad faciendam immutabilem firmitatem, paginam hanc chirographi partitione emisimus, sigillorum nostrorum impressione signavimus, testes idoneos, qui subscripti sunt, inserentes, quorum ista sunt nomina; Henricus, Perpetuus de Wido, Herman. Decanus de Los, Gordanus Tungrensis Decanus, Magister Herman. Raguerus Parochus, Wedericus de Aleche, Wedericus de Berenges, Arnulphus de Tuyn, Nicolaus de Sanseron, Engramus Longus.

Numero 23. De anno 1047.

Fundatio ſeptem Canonicatorum in Eccleſia Loſſenſi. Ibid. fol. 25.

ANno milleſimo, quadrageſimo ſeptimo Hermannus, frater Comitis de Los, Archidiaconus Leodienſis, Eccleſiam de Los ad honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti Odulphi ampliavit, atque in ea ſeptem Canonicos inſtituit, inque Chori medio ſepulturam accepit.

Numero 24. De anno 1225. Ibid. fol. 44.

ACTUS QUO LUDOVICUS COMES DE LOOZ, poſt diverſas ex parte Capituli Loſſenſis probationes ſuper jure conferendi Scholaſteriam cum ipſius Canonicatu; fatetur jus illud, ad ſuam excluſionem, ſpectare ad Capitulum.

Erectio ſeu Ratificatio quatuor Præbendarum presbyteralium, qui tenentur deſervire, idque de anno 1225.

LUdovicus Comes de Los & de Reneken, omnibus in perpetuum. Geſta mortalium plerumque labuntur à memoria, niſi ſigillatis apicibus fuerint phennata; notum ſit igitur præſentibus pariter & futuris quòd cùm quæſtio diutina inter nos & Canonicos Eccleſiæ Loſſenſis ſuper collatione Scholaſteriæ & annexæ ſibi Prębendæ ageretur; tandem dicti Canonici noſtra in pręſentia conſtituti ſufficienter probaverunt, quòd eorum libera ſit electio, & quod reſidentia Scholaſteriæ inſeparabiliter eſſet annexa, quam quidem reſidentiam Scholaſticus ſe obſervaturum jurabit, cùm electus fuerit, priuſquam inſtalletur, & priuſquam in poſſeſſionem Prębendæ ac Scholaſteriæ mittatur. Qui ſi [illegible] non reſidendo contra juramentum venerit, & admonitus à Capitulo ſuo, ut jure moneri debet, nequaquam reſederit, alter qui reſideat eligatur. Quorum probationi aſſenſum præbens, ipſam approbatam confirmamus, tali formâ mediante, quòd virum utilem Eccleſiæ Loſſenſi & nobis eligant, quem electum

canonicè nobis præsentabunt; cui Scholasteriam cum omnibus attinentiis porrigentes, eorum electionem nos nostrique successores tenebimur approbare. Insuper ejusdem Ecclesiæ utilitati, nostræque saluti providere cupientes, adjecimus quoque quatuor Præbendas eleemosynarias, quæ in eadem esse dignoscuntur Ecclesia, Sacerdotibus honestis, nos & nostri posteri deinceps conferemus, qui residentiam ibidem facientes, Prębendas illas valeant deservire. Ut autem factum hoc ratum permaneat & illibatum, præsentem paginam sigilli nostri munimine placuit roborari. Actum apud Loz 3. Nonas Decembris anno Incarnationis Dominicæ M. CC. XXV. indictione tertiâ decimâ.

Immediatè post habetur hæc Littera à R. D. Decano & Capitulo Ultrajectino missa.

Numero. 25. De anno 1274.

Transmissio aliarum Reliquiarum sancti Odulphi per Capitulum Trajectense, post absumptam incendio Ecclesiam.

Extractum ex libro Registrorum Capituli sancti Odulphi Lossensis, continente Litteras Indulgentiarum, Reliquiarum ac redituum & censuum Ecclesiæ beati sancti Odulphi Lossensis. Prima Littera Reliquiarum sancti Odulphi Patroni nostri.

W. Dei gratiâ Decanus, totusque Ecclesiæ sancti Salvatoris & beati Bonifacii in Trajecto Conventus. Venerabilibus Dominis Decano & Fratribus Ecclesiæ de Los, tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Quæ ad ampliandum cultum Domûs Domini perficiunt, quæ ad dilatandum charitatis officium invitare, fovere, & promovere invicem debemus & in omnes: inde est quòd cùm dilectus noster D.... petitionis vestræ fidelis executor, incendium Ecclesiæ vestræ nobis aperuisset, & damnum Reliquiarum vestrarum, maximèque Patroni vestri, exposuisset; miseriis vestris vehementer compassi sumus, intuitu Dei, pensatâ etiam vestræ devotionis honestate, & præfati D.... instantiâ & dilectione, de ipso Corpore beati Odulphi pretiosum Thesaurum dilectioni vestræ transmittentes: hunc enim toti Terræ no-

ſtræ, ob multiplicia miraculorum inſignia, venerabiliter in ſacratiſſimis Eccleſiæ noſtræ euthecis & pretioſiſſimis gazophylaciis reconditum, non ſine magno timore acquiſivimus vobis deſtinandum. Rogamus itaque charitatem veſtram, & in Domino commonemus, quatenus cum debita reverentia & ſolemnitate ſuſcipiatis, cum ſumma ſollicitudine & devotione cuſtodiatis. Et quia tanti communicamus Patroni divitiis, juſtum eſt ut & fraternis de cætero participemus oratione obſequiis: ut quem communem habemus Patronum in terris, interpellatorem & propitiatorem ſentiamus in cœlis.

Numero 26. De anno 1274.

Conceſſio anni Fabricæ poſt annum gratiæ per Joannem Comitem Loſſenſem, dicentem ſe Præpoſitum noſtrum & Patronum.

Littera fructuum anni ſequentis annum gratiæ conceſſorum Decano & Canonicis in augmentum Decanatûs & Præbendarum ſuarum.

JOANNES COMES LOSSENSIS, dilectis & fidelibus ſuis Capitulo Loſſenſi, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Meritis veſtræ devotionis inducimur, ut vos favore benevolo proſequamur, præcipuè in his quæ ad cultum divinum, & Eccleſiæ veſtræ commodum dignoſcuntur pertinere: attendentes, quòd reditus veſtri Decanatûs adeò tenues ſint & exiles, quòd nullus Decanatum veſtrum velit aſſumere; tum propter ſui tenuitatem Decanus non ſufficiat portare onera, quæ honor exigit Decanatûs; inſuper cùm Prębendæ veſtræ adeò non ſint pingues, ut ipſos Decanatûs reditus augmentare poſſitis, ſecundùm quæ decent, licèt illud libenter faceretis; ſed ad hoc, ut nobis ſatis conſtat, veſtræ non ſuppetunt facultates: nos in vobis fervorem caritatis, Decanatûs veſtri paupertatem, & etiam Præbendarum veſtrarum tenuitatem conſiderantes; in veſtra Loſſenſi Eccleſia, cui pro poſſe noſtro ſubvenire, & eandem efficacibus ſtudiis conformare tenemur, cùm in eadem Præpoſitus exiſtamus & Patronus, nimirum tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ne patiatur detrimentum; vobis in augmentum Præbendarum & Decanatûs veſtri ſubſidium, fructus anni immediatè

tè sequentis annum gratiæ cujuslibet Canonici Lossensis Ecclesiæ decedentis, perpetuò concedimus & confirmamus, ut dictos fructus liceat vobis integraliter percipere, & in usus Ecclesiæ vestræ Lossensis convertere, ut in eadem Ecclesia, in perpetuum cultus divinus diligentiùs observetur. In cujus rei memoriam & perpetuam firmitatem, præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno 1274. in crastino Apostolorum Philippi & Jacobi.

Hæc littera confirmata est ab Arnoldo Comite de Los & de Chiney anno 1304, feriâ 2. post Purificationem beatæ Mariæ Virginis: & cùm tenor illius priori sit quasi consimilis, idcirco illam brevitatis causâ omitto.

Numero 27. De anno 1326.

Littera quâ constat Castrum Lossense jam dirutum anno 1326.

LUdovicus Comes de Los & de Chiney, dilectis suis fidelibus Villico & Scabinis de Los, salutem & omne bonum, cum infrascriptorum agnitione veritatis. Cùm nos dilecto & fideli nostro viro Domino Wernero, dicto de Aelst, Scholastico Ecclesiæ nostræ Lossensis, unam aream vacuam, seu petiam terræ nostræ, existentis inter mansionem Scholastici prædicti ex uno latere, & montem nostrum castrensem in Los ex altero, & lacum ibidem propè consistentem ex tertio latere, ac terram Domini Henrici Snors ex quarto latere, prout jacet integraliter, pro XII. denariis Leod. in festo beati Remigii, & quatuor caponibus in festo beati Stephani, nobis annuatim & heredibus persolvendis per se, vel suos heredes vel successores, aut eos de quibus eam duximus relinquendam, post se habendam & possidendam, tulimus in emphiteosim ad effectum. Hinc est quòd vobis mandamus, vosque requirimus per præsentes, quatenus dictum Scholasticum in bonis supradictis, dum requisiti fueritis ab eodem, cum omnibus & singulis solemnitatibus in talibus consuetis, salvis nostris censibus prædictis, ad eadem bona nobis & nostris successoribus investire cognoveritis & inheredare: promittimus enim tenore præsentium & nos præmissis attestamur, quòd tam

nostram emphiotecationem, quàm vestram investituram de sæpedictis bonis ratas habemus perpetuis temporibus & illibatis. In quorum testimonium & munimen, sigillum nostrum proprium præsentibus litteris pro nobis & nostris successoribus fecimus apponi. Datum anno Domini 1326. die Dominicâ, quando canitur *Invocavit me*, fol. 66. Registri.

Numero 28. *De anno* 1186.

EGo Gerardus Comes de Los notum facio, quòd quicquid juris in Terra de Warseggia colligere consuevi, quitavi sancto Laurentio, à Cunone quoque & successoribus ejus, qui Comitatum de Heer à me tenet, super hac exactione Ecclesiam absolvo. Testes ex liberis hominibus Giselbertus de Lumis, Theodoricus de Lonac; ac de familia nostra Wilielmus de Loz, Arnulphus Castellanus de Montenac, Engeranus de Loz, Theodoricus de Brosteme, Robertus de Follonia. Data 1186.

Numero 29. *De anno* 1439.

Desumptum ex Registro in pergameno Monasterii DE COLEN, prope Loscastrum.

Mantel. in Com. pen. Histor. Lossen. cap. 9. fol. 41.

Brusthemius in Hist. Leod. fol. 51.

FUndatum est itaque, constructum, & erectum primo tempore hoc in loco Monasterium, & incorporatum Ordini, atque primùm à Fratribus Ordinis nostri sanctæ Crucis inhabitatum anno à Dominica Incarnatione 1439. & eodem anno, die octavâ mensis Novembris fuit Templum ejusdem loci cum claustro consecratum festivè & solemniter, in præsentia Domicellæ Mariæ de Colen, primariæ Fundatricis, Domicelli Joannis de Gutschoven, temporalis Domini de Follonia, primarii etiam Fundatoris, & uxoris suæ Domicellæ Dorotheæ de Schoenhoven, cum magna Populi frequentia, à reverendissimo Domino Episcopo Rossensi, Leodiense Suffraganeo, Carmelita.



Numero 30. *De anno* 1411.

Super exemptione à Talliis Militum & Armigerorum Comitatûs Lossensis, anno 1411. 27. *Apriils, confirmans Diploma Ludovici Comitis de Los & de Chiny, de anno* 1320. *in Festo sancti Gregorii, in priori parte descriptum.*

NOs Joannes à Bavaria, Dei gratiâ electus Leodiensis & Comes Lossensis. Notum facimus omnibus præsentes litteras lecturis, vel audituris, quòd cùm in nostra Patria, Episcopatu Leodiensi, & Comitatu Lossensi, in gravi ære alieno eramus erga charum ac intimum fratrem nostrum Burgundiæ & Hollandiæ; & cùm Nobiles ac Armigeri dictæ Patriæ nostræ Lossensis exempti sint à Talliis ac Vectigalibus, juxta tenorem litterarum per præsentes approbatarum, ex gratia & speciali benevolentia ac voluntate quam erga nos habent, & ad subveniendum damno ac oneribus dictæ Patriæ nostræ, attento quòd alii Patriæ nostræ remissionem fecerint & solverint, juxta ordinationem desuper factam: & cùm immunes & exempti sint, juxta dictas litteras, sic quòd nos & successores nostri garandisamus, & promittimus Nobiles & Armigeros dicti Comitatûs nostri Lossensis tenere exemptos à Talliis & Contributionibus in Patria imponendis, ipsosque imposterum tenere in perpetuum exemptos quoad omnia jura ac libertates quibus usi fuerunt tempore Comitum Lossensium: & ad hujus majorem corroborationem & veritatem habendam, rogavimus & requisivimus, rogamus & requirimus charos in Deo & reverendos Vice-Decanum & Capitulum Ecclesiæ nostræ Leodiensis, ad hoc ut pręmissis assensum prębeant, cum sigillo nostro & sigillo Capituli. In cujus rei veritatem nostrum proprium sigillum pręsentibus litteris appendi jussimus, uti & nos supradictus Vice-Decanus & Capitulum Ecclesiæ Leodiensis, attento quòd omnia suprascripta sunt rationi consona & possibilia; & attentâ bonâ voluntate ac benevolentiâ Militum & Armigerorum Comitatûs Lossensis erga dictum benignum Dominum nostrum & dictam Patriam suam: sic quòd nos Vice-Decanus & Capitulum Leodiense omnia supradicta puncta ab illustrissimo Domino concessa ob rationes laudamus & approbamus,

firmaque & stabilia tenere, quantum in nobis est, in perpetuum apponique jussimus post nostrum sigillum illud Capituli nostri, in majorem rei corroborationem. Anno Domini 1411. Aprilis die 27.

Numero. 31. *De anno* 1335.

IN nomine Domini. Amen. Universis has Litteras seu hoc Instrumentum publicum visuris & audituris, Theodoricus Dominus de Heinsberghe & Blanckenberghe, Wilhelmus de Hurle, Dominus de Rumpne, Johanna de Quaetbeke, ejusdem Wilhelmi uxor legitima, & Arnoldus de Hurle, natus legitimus eorundem, salutem in Domino cum agnitione veritatis. Noscant universi & singuli quòd nos propter bonum pacis præsentis, sponte, & non coacti, & ex certa scientia, propriis voluntatibus, maturis etiam deliberationibus & consiliis inter nos habitis & liberè ponderatis, attentis cordibus, inire & facere curavimus infrascriptas; videlicet quòd nos Wilhelmus, Johanna & Arnoldus pro nobis & nostris successoribus conferimus, cedimus & donamus purè & liberè, donatione irrevocabili, omnia & singula dominia, bona, jura, possessiones, proprietates, advocatias, castra, domos & hereditates alias quascumque, ubicumque locorum situatas, quocumque nomine censeantur, Comitatum de Los & Chiney cum suis juribus, actionibus, debitis, creditis, obligationibus, litteris & attinentiis quibuscumque, & specialiter dominiis, bonis, & rebus aliis jam dictis, quæ nobis seu alteri nostrûm aut nostris successoribus, ex obitu nobilis Principis & Domini nostri, Domini Ludovici Comitis de Los & de Chiney, de suis Comitatibus possent quoquomodo succedere, aut jure aliquo ad nos similiter spectare, præfato nobili viro & potenti Domino Theodorico, Domino de Heinsberghe & Blanckenberghe & successoribus ejusdem; renuntiantes ex nunc pro nobis & nostris successoribus seu heredibus, ad opus ejusdem Domini Theodorici & suorum successorum, omnibus dominiis, juribus & aliis prænotatis, quæ nobis seu alteri nostrûm, ratione proximitatis, successionis, juris, vel aliàs, tam antè quàm post obitum dicti Domini nostri Ludovici, cedere quomodolibet possent aut deberent; &

volontes expresſè quòd ipſe Dominus Theodoricus, ſeu ſui ſucceſſores hujuſmodi dominia & bona pręnotata adeant, apprehendant, teneant, habeant, & de ipſis pro ſuæ libito voluntatis diſponant. Promittimus inſuper ex nunc omni tempore, coram quibuſcumque Dominis, Juſtitiis, Curiis & perſonis aliis, à quibus deſcendunt & moventur dicta bona, ubilibet venire, & comparare, ad dicti Domini Theodorici requiſitionem ſeu ſuorum ſucceſſorum; in ejuſdem tamen Domini Theodorici ſumptibus & expenſis, & ibidem renuntiare, & adheredare ſuper bonis & aliis antedictis, ac ipſos affectare de eiſdem, omniaque alia facere & exercere quæ ipſi Domino Theodorico ſuiſque ſucceſſoribus in hujuſmodi negotio neceſſaria ſunt, aut eſſe poterunt quomodolibet oportuna, ſine aliquibus excuſationibus vel contradictionibus faciendis aut allegandis per nos vel alterum noſtrûm, cum cæteris ſolemnitatibus in talibus debitis & conſuetis. Et nos Theodoricus Dominus de Heinsberghe & de Blanckenberghe pro nobis noſtriſque ſucceſſoribus è converſo, pro bono pacis & concordiæ, recognoſcimus & profitemur nos donaſſe, ceſſiſſe, & contuliſſe præfatis Domino Wilhelmo, Dominæ Joannæ noſtræ amitæ & Arnoldo eorumdem filio, ſuiſque ſucceſſoribus perpetuò Curias dictas de Vogelſanck & de Stapele, cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis, qualitercumque ſitis & nuncupatis, cum pratis & nemoribus ſpectantibus ad eaſdem; item villam de Zourle cum ejus fundo & attinentiis, dominiis, juribus, altis & baſſis Juſtitiis, temporalibus & aliis omnibus & ſingulis ad ipſam villam quoquo modo ſpectantibus, prout, & ſecundùm quod diſcreti viri Domini, Arnoldus de Ardinge, Lambertus de Heinsberghe, Martinus de Los, Milites, Wilhelmus de Kermpte, Rutgerus dictus Knoep, Armigeri & alius adhuc, quem Dominus Wilhelmus de Hurle, ad hoc duxerit eligendum & deputandum, eandem villam ad opus dictorum Domini Wilhelmi, Dominæ Joannæ conjugum, & Arnoldi ſuorumque ſucceſſorum limitandam nec poſſumus aliqualiter, neque debemus aut noſtri etiam ſucceſſores Comites Loſſenſes, vel alii noſtro nomine homines dictæ villæ de Zourle per Borgioſiam, Franciſiam vel Dominia ſeu Libertates aut Privilegia defendere vel warandizare, neque Liberos quomodolibet obtinere; ſed ipsâ villâ & hominibus ejuſdem, cum ſuis juribus gaudebunt & fruentur liberè & abſolutè ſicut & nos terris noſtris & dominiis aliis in

Comitatibus supradictis, hoc excepto, quòd sonitus camptpanæ pro Patria Comitatûs Lossensis (sicut moris est) defendenda, nobis & nostris successoribus, ibidem Comitibus de Los, in perpetuum remanebit in villa de Zoulre memorata. Præterea profitemur & recognoscimus nos debere Dominis, Domino Wilhelmo, Dominæ Johannæ & Arnoldo pro se & suis successoribus assignare & affectare singulis annis hereditariè septingentas libras Turonen. .... Regis Franciæ bono & legali argento pro sedecim parvis Turonensibus computato ad decretum honorabilium virorum Dominorum Arnoldi de Ardinge, Lamberti de Heinsberghe, Martini de Los, Militum; & discretorum virorum, Wilhelmi de Kermpte, Rutgheri dicti, Knoep, Armigerorum & alterius, quem dictus Dominus Wilhelmus de Hurle unà cum eis ad hoc duxerit eligendum, sub his modo & forma, quòd dictæ pecuniæ summa redditus debet acquiri, haberi & assignari super bonis de Comitatu Lossensi sitis in locis propinquioribus dictæ Curiæ de Vogelsanck, quæ, & prout ipsi Milites & Armigeri hujusmodi bona sic situata pro dicta summa hereditariè persolvenda, assignabunt, æstimabunt, decomputabunt bonâ fide, juxta modum & formam quæ bonæ memoriæ nobili Dominæ Margaretæ, Dominæ de Heinsberghe, quondam matri nostæ charissimæ, quondam extiterat deputata & assignata, aut secundùm consuetudinem & modum communem Patriæ Comitatûs Lossensis, assignare tenebimur & debemus eisdem, hoc nobis semper salvo, quòd de dictis septingentis libris discomputabitur annuatim hæreditariè valor red截dituum villæ de Zourle prædictæ, & quod ipsa villa de Zourle nihilominus cum hoc, pro sua rata, cum aliis villis dicti Comitatûs Lossensis super pensionibus jam debitis & obligationibus quibuscumque nunc factis, & occasione præsentium obligationum faciendis, remanet, erit & est obligata; permittentes ipsum Dominum Wilhelmum & alios; videlicet Dominam Johannam & Arnoldum pro se & suis successoribus adherere in dictis bonis, villis, Curiis & redditibus assignandis ac aliis præmissis, ipsaque eis affectare, effestucando & enuntiando super eisdem coram Justitiis & Curiis, ubi & quando opus erit, ad requestam eorundem, adhibitis solemnitatibus debitis & consuetis, & illis quæ ipsis ad hoc fuerint necessaria seu etiam oportuna. Debemus tamen dictos Wilhelmum, Dominam Joannam & Arnoldum & quemlibet

porum de omnibus debitis & obligationibus factis per dictum Dominum Ludovicum Comitem Lossensem vel suos prædecessores, aut ipsius occasione provenientibus, relevare & indemnes integraliter conservare; necnon dictum Dominum Wilhelmum tenemur servare indemnem erga quascumque personas super debitis & obligationibus per ipsum factis pro dicto Domino Ludovico Comite ratione Senescalliæ Comitatûs Lossensis, & exolvere sibi debita, pro quibus idem dictus Wilhelmus, vel sui exstant, vel quoquomodò sunt obligati pro dicto Domino Ludovico Comite ratione vel ex causa officii memorati, ad bonam computationem, juxta formam litterarum suarum, per dictum Dominum Comitem sibi concessarum, ad requisitionem eorundem Domini Wilhelmi & Dominæ Johannæ, aut illius quem ad hoc duxerint deputare. Cæterùm nos Wilhelmus, Johanna & Arnoldus pro nobis & nostris successoribus tenebimur & debemus prefata bona, villam, Curias & redditus à dicto Domino Theodorico, Domino de Heinsberghe & Blanckenberghe & suis successoribus Comitibus Lossensibus jure feodali relevare, acceptare, tenere & habere, juxta consuetudinem & modum Comitatus Lossensis antedicti; nec debemus amodò aliqualiter nos de bonis ad dictos Comitatus spectantibus, mobilibus & immobilibus, aliter quàm supradictum est, intromittere, neque petere vel habere quoquo modo, post vel ante obitum Domini nostri Ludovici Comitis memorati, neque manus apponere ad eadem. Pro promissis verò secundum omnem modum & formam præscriptos firmiter tenendum adimplendum & inviolabiliter observandum; Nos partes prædictæ, & quilibet nostrûm pro nobis & nostris successoribus juravimus, tactis sacrosanctis corporaliter ad sancta Dei Evangelia, in presentia Notarii publici, & testium subscriptorum, ac in manus ejusdem Notarii coram eisdem testibus promisimus fide præstitâ corporali: qui Notarius stipulationem hujusmodi à nobis recepit manu suâ, nomine omnium quorum interest vel intererit in futurum, ea omnia & singula tenere firmiter, adimplere, & inviolabiliter observare; renuntiantes quantum ad præmissa omnia & singula, pro nobis, quolibet nostrûm, nostrisque successoribus, omnibus exceptionibus doli, mali, fori, reconventionis, læsionis, exceptionis, actionis in factum, condictionis indebiti & sine causa, & juri dicenti generalem renuntiationem non valere beneficio restitutionis in integrum, omni juris auxilio,

tam canonici quàm civilis, omnique privilegio, tam impetrato quàm impetrando, omni provocationi & appellationi, & omnimodæ exceptioni, & defensioni, tam juris quàm facti, ac etiam legis, vel usûs, quàm consuetudinis, loci & temporis, ac etiam beneficio absolutionis à fide, interpositione prędictâ non servatâ, omnibusque aliis exceptionibus expressis vel non, ac si specialiter pręsentibus essent inscriptæ, & quæ nobis, aut alteri nostrûm, seu nostris successoribus, in contrarium pręmissorum, alteri prodesse possent vel obesse, & per quos effectus pręmissorum impederi posset aliqualiter vel differri; promittentes fide, & juramento præstitis, ut præmittitur, quòd contra præmissa seu eorum aliqua per nos seu alterum nostrûm, vel alium seu alios, non veniemus, nec veniri procurabimus, neque patiemur aliquâ ratione, occasione, vel causâ, de jure vel de facto contingentibus aliqualiter in futurum. In quorum omnium testimonium, has litteras per Wilhelmum Philippi de Schoenlo Notarium publicum infrascriptum scribi, & in hanc publicam formam redigi mandavimus, & sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri; supplicantes cum hoc discretis viris, & honestis Dominis Johanni de Zelt, Investito de Werne, & Canonico Lossensi Presbytero, Arnoldo de Ardinge, Lamberto de Heinsberghe, Everardo de Heinsberghe, Philippo de Purst, Militibus, Wilhelmo de Kermpte, Ritsardo de Hare, & Rutgero, dicto Knoep, Armigeris, testibus ad præmissa specialiter vocatis & rogatis ut sigilla sua ad majorem veritatem, & testimonium præmissorum unà cum nostris præsentibus appendant. Nolumus tamen quòd si aliquod sigillum ipsorum deficiat, vel his litteris non appendat, quòd ipsæ litteræ in aliquo propter hoc deficiant, vel careant firmitate quoquo modo. Acta sunt hæc in Oppido de Hasselt, in domo habitationis Idæ dictæ Banckssons, super sollarium domus ejusdem, sub anno à Nativitate Domini millesimo, tricentesimo, tricesimo quinto, indictione tertiâ secundùm usum & consuetudinem Civitatis & Dioeceseos Leodiensis, quæ renovatur ibidem in Nativit. Christi; & juxta juris formam, indictione quartâ, mensis Novembris die vicesimâ quinta, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Benedicti, divinâ providentiâ Papæ duodecimi anno primo. Et nos Joannes dictus Zelt Presbyter, Arnoldus de Ardinge, Lambertus de Heinsberghe, Everardus de Heinsberghe, Philippus de Purst, Milites, Wilhelmus de

de Kermpte, Ritsardus de Haren & Rutgerus dictus Knoep, Armigeri, testes prædicti ad præmissa vocati specialiter & rogati, sigilla nostra præsentibus litteris, ad requisitionem & rogatum dictorum Dominorum, nobilis viri Domini Theodorici, Domini de Heinsberghe & Blanckenberghe, Domini Wilhelmi de Hurle, Militis, Dominæ Joannæ & Arnoldi duximus apponendum, ad firmitatem & majorem certitudinem omnium præmissorum. Sic subscriptum: Et ego Wilhelmus Philippi de Stoenlo, Clericus Leodiensis Diœcesis, publicus Imperiali authoritate Notarius, quia præmissis contractibus, ordinationibus, donationibus, recognitionibus, permissionibus, conditionibus, obligationibus, fidei & juramenti interpositionibus, stipulationibus, & renuntiationibus, supplicationibus & omnibus aliis & singulis præmissis, unà cum dictis testibus, sub anno, indictione, mense, die, loco, & Pontificatu prædictis interfui, hoc publicum instrumentum ad requestam dictarum præsentium exinde confeci, quod propriâ manu conscripsi signoque meo consueto signavi vocatus ad hoc specialiter & rogatus.

Concordat cùm originali in pergameno descripto, cui præscripti Domini Theodorici sigillum cum aliis octo sigillis viridibus sericeis funiculis appendet.

Comitatum Lossensem esse Feudum Imperii constat ex Diplomate Imperatoris Sigismundi, de anno 1417. 26. Martii; quod cùm nimis prolixum sit, remitto Lectorem ad R. P. Fisen in Hist. Eccles. Leod. part. 2. lib. 8, sub Episcopo Joanne Heinsbergio, fol. 188.


NOTATIONES.

FOedus initur, quod hodie nominatur Lex Muta, inter illustrissimum ac reverendissimum Arnoldum de Horne, Episcopum Leodiensem, Vice-Decanum & Capitulum majoris Ecclesiæ Leodiensis, Barones & Nobiles, &c. Civitatem Leodiensem ac Oppida Leodiensia; utpote Huyum, Dionantum, Tungrim, Trajectum, Fossam, Thudinum, Convinum; item Oppida Comitatûs Lossensis, Loscastrum, Hasseletum, Belisiam, Herckam,

Masegikam, Bream, Stockhemium, de anno 1386. in vigilia sancti Dionysii Martyris, in mense Octobri, duraturum per centum annos; quòd Oppida illa Lossensia imposterum Lege Leodiensi uterentur. Quod pactum in perpetuum duraturum, postmodum ratificatum fuit. Vers. *Pour durer à perpetuité*. Per Litteram alligantiæ initam inter Civitatem Leodiensem & dicta septem Oppida Lossensia & Beringam anno 1435. 19. Feb. (& hæc tamen cum mica salis, ut alibi latiùs;) atque in signum illius in quolibet Oppido erecta abinde fuerunt Insignia Civitatis Leodiensis, quæ sunt Columna quatuor Leonibus inixa & supra Columnam Pinus, unde versiculus:

Recta, rotunda, tenaxque boni, fert Legia Pinum,

vulgo *Peron*, ut adhuc cernuntur in foro Oppidorum Lossensium, Perâ & Hamonte exceptis: quia tunc, juxta Mantel. in Comp. Hist. Loss. cap. 9. fol. 44. nondum fuerant urbata cinctaque mœnibus, aut donata Oppidorum prærogativis. Unde adhuc hodie illa Lege Lossensi, tam intra quàm extra pomeria, utuntur. Insuper Tungris Tractatus habitus, Pactaque ad quintum Kalendas Septembris anni 1403, vulgo *la Paix de Saise*, aliàs *la Paix de Tongre*, Principe Joanne Bavaro, Ordinibusque, tam Patriæ Leodiensis quàm Comitatûs Lossensis; utpote Loscastro, Hasseleto, Maseko, & Belisiâ, probantibus: quo potestas Procuratorum ac Fiscalium adeò crevit, ut anno 1461. Fœdus initum fuerit inter Incolas dicti Comitatûs, dictis Fiscalibus præsertim infestum, uti inferiùs videre est. De quo Suffridus in Vita Borbonii cap. 22. litt. C. Brusthemius, Fizen & alii passim ibidem. Sopitum tamen hoc fuit prudentum quorundam consilio, Fiscalesque varii mulctati & proscripti; diesque Officialium primoribus dicta. Ita Foulon in Hist. Leod. ad annum 1461. cujus Fœderis vel Pacti tenor sequitur:



Numero 32. De anno 1461.

NOs Consules, Consilium juratum, & tota Universitas insignium Oppidorum, Tungri, Trudonopolis, Loscastrum, Hasseletum, Mosacum, Bilisia, Hercka, Beringa, Brea, Stockemium, notum facimus omnibus, qui has litteras publicas videbunt, aut legere audient, nostram salutem amicabilem. Cùm fraternè suscepimus, & hoc etiam sub nostro juramento & honore non diutiùs pati possimus, nisi resistamus consentaneo & condecenti modo, indecenti, acerbo, impio ac duro proposito Procuratorum, Fiscalium, Foraneorum, & aliorum, contra pauperem & communem Populum, intra & extra Oppida, contra honorem & jus divinum, tractant seu accipiunt vulneribus & modis non diù inventis excessuum, qui unquam visi fuerunt: itaque citando, turbando & vexando, quod Universitas hoc facinus ad animum suum revocaverit, nec omittere debebit, ob maxima damna ab illis infligenda & immeritò & impiè infliguntur (idcirco simul corrigere debebunt, vel in diuturno processu manere) contra Statuta jurata, contra Paces à Patria factas & signatas, & contra Oppidorum Immunitates, Jurà, & Privilegia, exuendo pauperem rusticum quæstibus, facultatibus, ac mobilibus, & sic valdè depauperatum: itaut aliqui Patriam deseruerint & in Patria communiter ita pauperes, ut armis ac torace spoliati fuerint, & vix charo ac clementi Domino Leodiensi in Patria inservire potuerint. Igitur ad fraterno modo præveniendum talibus damnis inflictis communi viro innocenter, ipsum adjuvando ac resistendo, quod coram Deo & mundo opus pium est, sic promittimus nos Burgimagistri, Consules & Universitas insignium Oppidorum supradictorum, quòd nos unanimiter simul nos invicem adjuvabimus, resistemus, tam intra quàm extra Patriam, ubique locorum; quòd non permittemus Procuratoribus & Fiscalibus, qui ex maxima parte extra Patriam nati sunt, habere tale consilium vel potestatem, contra Deum, honorem & jus, super communi Populo; pro solis etiam Oppidis ultima experiri ac pati, quidquid evenire possit aut fiet; promittimus insimul unanimiter mansuros usque ad mortem: & si aliquis ex nostris Consulibus, Deputatis, vel subditis, nunc vel in futurum propter præmissa persequatur ab aliquo aliquod damnum aut onus, infligatur verbis vel operibus, hoc etiam simul ita suppetias feremus, ut insignia Oppida, vel personæ exoneratæ erunt. Supplicavimus etiam & supplicamus nobilem,

prudentem virum Dominum Erasmum de Riviere filium, in Heer Equitem & Dominum in Heppenguiis, &c. quatenus homagium quod præstitit divo Georgio Martyri & Equestri Ordini de adjuvando pauperes, viduas & pupillos injustè oppressos, hoc pretiosum & pium opus præstando, quatenus adjuvet Oppida nostra in hac causa, præmissis mercedem æternam & nostram æternam amicitiam & obsequium consequetur & obtinebit : quare ego Erasmus de Riviere filius in Heer Eques, & Dominus in Heppenguiis, &c. ad instantiam præfatorum insignium Oppidorum, & ex præstatione homagii Equestris, paratus sum ad opera pia, maximè ad adjuvandum communem rusticum injustè oppressum, insimul cum Oppidis suprafatis me obligavi & obligo & promitto per præsentes litteras fideliter ex propria voluntate & desiderio injuriosæ indagationi suprafatorum Fiscalium, Foraneorum & Procuratorum contra pauperes rusticos resistemus, defendemus, tam intra quàm extra Patriam, ubicumque locorum, ubi illud necessarium erit operantium contra honorem Dei & jura insignium Oppidorum : & si aliquid fiat dictis Oppidis vel eorum Incolis, omnem aleam jactabimus & omnia tentabimus quæ perdenda habemus, quia notoriè divinum & salutare opus est. Et nos Consules jurati & tota Universitas præfatorum insignium Oppidorum fidem damus dicto nobili Domino Erasmo de Riviere Equiti in casum quòd per præmissa pelleretur ad aliquam necessitatem, onera vel damna ab aliquo potenti Domino, vel potentia hominum, vel à Justitia aliqua premeretur vel injuriam pateretur, fideliter illum adjuvabimus, quodque illi fiet, hoc nobis fiet, absque ulla separatione extremam aleam experiendo, quidquid Oppida pati desuper possint. Super quibus omnibus punctis nostra alia opinio non est, quàm clementem & intimum Dominum nostrum Leodiensem relinquere in libera sua jurisdictione & dominio spirituali & temporali, & quòd Statuta & Paces per Patriam factæ, signatæ & juratæ in earum pleno vigore maneant. In fidem præmissorum ego Erasmus de Riviere filius in Heer Eques, in Heppenguiis &c. apposui meum sigillum; & nos Consules, Consilium & tota Universitas insignium Oppidorum suprafatorum curavimus apponi sigilla Oppidorum his litteris, quæ fuerunt expeditæ in anno Incarnationis Domini Jesu Christi 1461. 12. Aprilis.
L. S.



Numero 33. De anno 1331.

Desumptum ex veteri Registro Legis operarum Dominii de Rummen sub idiomate Belgico.

OMnibus has litteras visuris aut legi audituris, nos Ludovicus Comes Lossensis & Cinacensis, salutem. Nuntiamus cum cognitione veritatis notumque facimus omnibus hominibus, quòd dederimus & demus sincerâ & legitimâ donatione inter vivos ambulantes & stantes, sano corde, & purâ intentione, hereditariè & in perpetuum, absque potestate ullatenus unquam revocandi, dilectæ nobis & devotæ nostræ legitimæ sorori Joannæ Lossensi, Dominæ in Quabeeck, & Arnoldo ejus legitimo filio, dilecto nostro nepoti, nominatim pagum nostrum de Rummen, cum omnibus ejus appertinentiis, quousque jurisdictio & proprietas de Rummen se extendit, cum omnibus rebus ad hoc spectantibus, bonisque illic sitis, in pecunia, in siligine, gallis castratis, molendinis, reditibus, censibus, fundis, pascuis, pratis, sylvis, apibus, cera, aqua, igne, rivis, delictis, judiciis altis & bassis, omnibusque aliis rebus, prout illæ nominatæ & sitæ sunt in humido & sicco, ac integraliter cum superioritatibus, omnique & prout quondam Dominus noster parens, dum viveret, tenebat, & sicut nos post ipsum tenuimus aut tenere potuimus in omnibus rebus, undique juribus, usibus & superioritatibus, itaut nullum jus in dicto pago de Rummen, cum omnibus ejus appertinentiis, prout præfertur, retineamus nec retinuerimus, nisi dumtaxat viros feudales, & sonitum campanæ dicti pagi, Monasterium ejusque villas sub justitia de Rummen sitas, id est earum servitia; quos viros feudales, sonitum campanæ & servitia volumus ut nobis nostrisque heredibus Comitibus Lossensibus hereditariè maneant. Per quæ concessimus dictum pagum de Rummen, cum omnibus ejus appertinentiis, uti præmissum est, exceptis hominibus feudalibus, sonitu campanæ & servitiis Monasteriorum & Monasterii villarum prædictis, deque illis investivimus in feudum, jureque feudi dilectum nostrum nepotem Arnoldum prædictum, ad ipsius nostræque dilectæ sororis antedictæ ipsarumque Heredum & successorum opus, ac abinde ab eo feudalitatem, securitatem & fide-

litatem accipimus manûs & terræ, juris & moris: post monitionem nostram & sententiam nostrorum Parium Curiæ subscriptorum ita semper & nostra soror, nosterque nepos prædicti eorumque heredes & successores tenebunt pagum de Rummen cum omnibus ejus appertinentiis, uti præfertur, à nobis nostrisque heredibus Comitibus Lossensibus & accipient in feudum atque homagium. Unde denuntiamus & pro majori securitate notum facimus nostro Prætori, Scabinis, Tenentibus & Communitati de Rummen, quòd illis remiserimus fidelitatem & subjectionem quam nobis præstiterunt aut debebant; & nuntiamus ac mandamus ipsis tam strictè ac possumus, ut dilectis nostris sorori, nepoti prædictis, eorum heredibus & successoribus sint fideles & subjecti, uti suis veris Dominis, & omnibus modis antefatis. Ad hæc præsentes erant uti nostri Pares, & nobiles dilecti nepotes nostri, Dominus Arnoldus, Dominus in Steyn, Dominus Goswinus de Elderen Eques, Ludovicus Lossensis filius noster naturalis, Gisbertus de Curingen, dictus Schultetus & Henricus à Schueren, & Dominus Martinus Lossensis, pluresque nostri Pares ibidem: eosque rogamus, quia præsentes erant, prout & rogamus Dominum D. Renerum à Schueren, Dominum Martinum Lossensem fratrem nostrum, Ludovicum Dominum in Diepenbeeck, & Guilielmum à Kermpt fratres, Pares nostros, ut propria sua sigilla in signum veritatis his appendere velint. Et nos Arnoldus Dominus in Steyn, Goswinus de Elderen Eques, Ludovicus Lossensis & Gisbertus prædicti, quia uti Pares aderamus, & nos Renerus à Schueren, Martinus Lossensis Eques, Ludovicus Dominus in Diepenbeeck, & Guilielmus à Kermpt, Scutiferi, ad petitionem Domini nostri dilecti Comitis Lossensis prædicti, sigilla nostra unà cum suo his apposuimus in testimonium veritatis omnium rerum præmissarum. Datum in Curingen anno Domini millesimo, trecentesimo, trigesimo primo, die Martis post Pentecosten. *Signatum* H. LEMMEUS, *Secretarius, per Registrum subscripsit. Deinde sic signatum: Pro Translato correspondente cum dicto idiomate Belgico*, AND. DE CORSWAREM, *publicus Cæsareus, ac in Camera Imperiali immatriculatus Notarius subscripsit.*



Sunt & plura alia Diplomata donationum à Comitibus laicis Lossensibus facta in favorem Ecclesiarum; quae cùm Mantelius habeat, & sint impressa in suo Hasseleto, seu Compendio Historiae Lossensis, illa brevitatis causâ omisi, remittoque lectorem ad dictum Compendium per totum.

LOCA SACRA, TUM IN LEODIENSI, TUM IN LOSSENSI AGRO EXISTENTIA.

Collegium nobilium DD. Canonicorum insignis Ecclesiae Cathedralis sancti Lamberti Martyris & Episcopi, in Civitate Leodiensi.

Collegium, quondam Cathedrale, Canonicorum beatae Mariae Virginis, in Civitate Tungrensi.

Collegium Canonicorum S. Servatii, in Civitate Trajectensi.

Collegium Canonicorum SS. Georgii & Odae viduae, Amaniense ad Mosam.

Sanctae Mariae Virginis, Cennacense, in Condrosio.

Sancti Petri, Cortizemiense, in Hasbania, seu Comitatu Lossensi.

Sanctae Mariae & Perpetui, Dionantense ad Mosam.

Sancti Gandulphi, Florinense, inter Mosam & Sabim.

Sancti Foillani, Fossense, inter Sabim & Mosam.

Sancti Gorgonii, Hugardiense, in Hasbania.

SS. Mariae & Domitiani, Huense.

Sancti Joannis Evangelistae, Hoxemiense, in Hasbania.

In Civitate Leodiensi:

- Sancti Petri.
- Sancti Pauli.
- Sancti Joannis Evangelistae.
- Sancti Martini.
- Sancti Dionysii.
- Sanctae Crucis.
- Sancti Bartholomaei.
- Sancti Materni.
- Sancti Ægydii, aliàs parvae Mensae.
- Sancti Ivonis, vulgo Clericorum.

Sanctæ Mariæ, Lobbiense ad Sabim, translatum Binchium anno 1409. cum octo sanctis Lobbiensibus, qui etiamnum ibidem in octo capsis quiescunt.

Sancti Odulphi, Loscastrense, in Hasbania, seu Comitatu Lossensi.

SS. Harlindis & Relindis, Masecanum ad Mosam, in Comitatu Lossensi.

Sancti Emeri, Molhaniense, non procul à Mosa.

SS. Amoris & Landradæ, nobilium Canonissarum, Munster-Belisiense, in Comitatu Lossensi.

Sancti Manonis, Nassoviense, in Ardenna.

Sancti Evermari, Ruthense, in Hasbania.

Sanctæ Mariæ, nobilium Canonissarum, Thorense ad Mosam, Dioecesis Leodiensis, in Taxandria.

Sanctæ Mariæ, in Civitate Trajectensi.

Sanctæ Mariæ, Trudonense, in Hasbania.

Sancti Theodardi, Tudinense, ad Sabim.

Sancti Medardi, Uffiense, in Condrosio.

Sancti Hadelini, Visetense, ad Mosam.

Finis secundæ Partis.



STATUTA LOSSENSIA,

SIVE

EDICTA, CONSTITUTIONES,

Declarationes & Jura Comitatûs Lossensis; cum Topographia, seu Descriptione Urbium, Pagorum & Locorum ejusdem.

Cum summo labore & studio recollecta à clarissimo, consultissimoque Domino LAURENTIO ROBYNS, *Juris utriusque Doctore, & Curiæ Leodiensis Advocato.*

PARS TERTIA.



LEODII,

Typis F. ALEXANDRI BARCHON. 1717.



STATUTA LOSSENSIA,

SEU

EDICTA, CONSTITUTIONES, Declarationes, & Jura Comitatûs Lossensis; cum Topographia seu Descriptione Urbium, Pagorum & Locorum dicti Comitatûs.

CAPUT PRIMUM.

Numero 1. De anno 1522. 6. Julii.

MONUMENTUM RECESSUS PUBLICI STATUUM Patriæ Leodiensis & Comitatûs Lossensis, per modum Concordati inter eosdem Status emanati, quo dictus Comitatus declaratur particularis, & Legibus, Statutis, Districtu & Jurisdictione distinctus, inconcussus & independens à Patria Leodiensi & ejus Judiciis.



NOs Locumtenens, & Pares Aulæ Curingianæ, supremi Tribunalis in Comitatu Lossensi, debitè & instanter requisiti pro veritatis testimonio, cujus naturæ & regiminis sit idem Comitatus; certificamus, ejusdem qualitatem

quoad Jura, Usus, Statuta, Observantias, necnon Justitias, altas & bassas seu inferiores, à Ditione & Episcopatu Leodiensi ejusque Tribunalibus omninò separatam, distinctam, & independentem, constare ex attestato trium Patriæ Leodiensis & Comitatûs Lossensis Ordinum, Leodii in publica Patriæ Dieta pridem anno 1522. condito, sub sequentis tenoris:

NOs Præpositus, Decanus & Capitulum, Comites, Barones & Militares, necnon Burgimagistri, Consules & Deputati Civitatis & Oppidorum Huyi, Dionanti, Tudini, Covini, Fossarum, S. Trudonis, Tungrorum, Loscastri, Hasselt, Maseyck, Stockem, Bilsen, & reliquorum omnium Patriæ Leodiensis & Comitatûs Lossensis, tres Status repræsentantes, in hac publica Dieta insimul in loco capitulari Ecclesiæ Leodiensis, in quo Dietæ Statuum servari consueverunt, dum hæc fierent, solemniter congregati; notum facimus universis præsentium inspectoribus, quòd cùm ultra centum annos, & tempus hominum memoriam excedens, Comitatus Lossensis ex legitimo titulo ad Ecclesiam Leodiensem devenisset, & bonæ memoriæ Dominus Joannes de Heinsberch, dum vixit, Episcopus & Princeps noster, juri sibi ex titulo successionis ad prætactum Comitatum competenti, in favorem ejusdem Ecclesiæ cessisset; idem Comitatus, tam in titulo quàm Juribus, Statutis, & Usibus antiquis, à Patria Leodiensi omnimodo distinctus remansit omniaque Jura, Statuta, Consuetudines & Usus primævos ac laicales (quibus, dum à Comitibus laicis teneretur, rectus & gubernatus fuit,) interim retinuit, illisque & secundùm illa per Episcopos pro tempore ut Comites laicos rectus & gubernatus fuit: ita & taliter quòd Episcopi pro tempore existentes post eorum ad Episcopatum assumptionem, ac in Civitate & reliquis Patriæ Leodiensis Oppidis factam intronizationem necessariò debent specialem intronizationem in capitali ipsius Comitatûs Oppido Lossensi, ut Comites laici, facere & ut tales speciale ac distinctum Juramentum coram summo Ecclesiæ Lossensis Altari de observando & intertenendo ipsius Comitatûs Jura, Privilegia, Libertates, & Consuetudines antiquas solemniter præstare; iidemque Episcopi se Comites Lossenses distincto & expresso titulo interim semper & continuè, tam in privatis quàm publicis scripturis & actibus nominarunt & scripserunt, ac ab aliis nominati & scripti fuerunt;

necnon ad quælibet beneficia juris Patronatûs Comitis Lossensis, sub titulo Comitis & ut Patroni laici præsentarunt, & tales præsentationes suum effectum sortiri consueverunt; quòdque Comitatus ipse suos Barones, Militares & vasallos, ac eorundem Locumtenentem & Curiam feudalem divisim & separatim à Patria Leodiensi & Curia Episcopi habuit & obtinuit: qui quidem vasalli in investitura feudorum suorum juramentum fidelitatis Comiti pro tempore existenti, & sub titulo Comitis habent præstare; quòdque idem Comitatus suas semper interim Justitias & Tribunalia alta ac bassa, nihil commune cum Justitiis Patriæ Leodiensis aut Episcopi habentia, conservavit, adeò & tam strictè, quòd à dictis Justitiis ad Episcopos, aut eorum Consilium & seu capitale judicium Scabinorum Civitatis Leodiensis (prout tamen à Justitiis, quæ de Patria Leodiensi existunt fit & usitatur,) aut ad Metropolitanum seu alios Superiores Ecclesiasticos non potuit nec consuevit appellari: neque Episcopi pro tempore in Patria Leodiensi, aut alibi, extra limites dicti Comitatûs illius Incolis jus dicere; sed necessariò semper habuerunt & adhuc de præsenti habent dictum Comitatum personaliter accedere & ibidem ut Comites laici, & prout tales ante Comitatûs devolutionem ad Ecclesiam consueverunt in loco de Curinghen (qui Aula Comitis dicitur) unà cum Nobilibus & Militaribus dicti Comitatûs, coram Tribunali in propria persona sedere, & Judicium capitale tenere, debuerintque & debent necessariò in eodem loco nocte præcedenti ante Diem Placitalem pernoctare; ibidemque, & in Justitia immediatè inferiori de Vliermael, suppresso titulo Episcopi, & expresso titulo Comitis, propositiones & responsiones fieri, ac actus judiciales concipi & expediri consueverunt, prout hodie adhuc remanet, retinet, regitur, gubernatur, nominat, & nominatur, præsentat, habet, obtinet, conservat, appellarique & jus dici non potest, proponiturque, respondetur, concipiuntur, & expediuntur; quin imò idem Comitatus, absque ulla tituli aut jurium & institutionum laicalium antiquarum suppressione seu confusione integer, distinctus & illæsus permansit, neque primævam suam naturam mutavit. Quæ omnia & singula, quoniam vera sunt, & in his partibus publica, notoria, & manifesta, præsentes litteras in testimonium veritatis fieri sigillisque Capituli Leodiensis, necnon nobilis & illustris viri Everhardi de Marcka, Comitis de Arenburch, ac Civitatis Leodiensis nomi-

ne, & pro parte, ac ad requestam trium Statuum prædictorum, jussimus communiri à spectabili viro Magistro Willebrordo de Eversal, Legum Doctore, præmissi declarationem, recordium ac attestationem, ad æternam rei memoriam, nomine & pro parte sacræ Cæsareæ Majestatis ac regiminis Romani Imperii, & pro eorum interesse, Juriumque ac Dominiorum laicalium conservatione, instantiùs à nobis petente ac requirente, sub anno à Nativitate Domini millesimo, quingentesimo, vigesimo secundo, mensis Julii die sextâ. *Sic signat. Per reverendos, nobiles, & spectabiles Dominos meos dictorum trium Statuum Patriæ Leodiensis & Lossensis*, H. KNERINX. *Et fuit sigillata præscripta Littera originalis tribus sigillis, caudis pergameni appendentibus, ut ex appensione dictarum trium caudarum apparet, & ex eo quòd adhæreat cera rubra confecta uni dictarum caudarum pergameni. Collata est hæc copia cum suo originali & inventa concordare, per me Notarium infrascriptum*, CORN. VAN HAERLINGHEN, Notarius. *Et inferiùs* FERDINANDUS Baro de Kniphausen & Vogelsanch.

Primum Juramentum Comitis nostri Patroni, desumptum ex libro Evangelii Collegiatæ Ecclesiæ sancti Odulphi, Patroni Oppidi Lossensis, quod solet prestare, stipatus flore Nobilitatis Lossensis, postquam auspicalem in Oppidum Lossense, & Domum Civicam fecit introitum, juxta Munimentum supradictum, coram summo dictæ Ecclesiæ Altari.

EGo N. Comes Lossensis, juro fidelitatem nostræ Ecclesiæ beati Odulphi, Oppidi Lossensis, Decano & Capitulo ejusdem; item juro fieri meram justitiam Militibus & Armigeris, communique Populo totius nostri Comitatûs Lossensis. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Secundum Juramentum quod præstat Magistratui Lossensi, uti primo Oppido Comitatûs Lossensis, desumptum ex Libro Statutorum & Legum Oppidi Lossensis, de observando Jura, Privilegia, & laudabiles Consuetudines. Cujus Juramenti tenor sequitur:

Extract vyt dic Statuten ende Keuren der stadt Borchloon.

Den Eedt des graeve van Loon.


WY N. Grave tot Loon ghelofven, holet ende trouwe te syn onsser goeder stadt van Borchloon haer Keur boeck

ende Privilegien t'onderhalden, onssen lande ende Graeffschap hon aerchste te waerven, hon besten helpen voer te setten Ridderen ende Knechten, ende allen onssen ondersaeten recht te doen ende laeten doen doen, ellicken in syn aller possessie ende goede alde gewoente te laeten, ende allens gheens te doen dat een goet Grave schuldich is te doen help ons Godt.

Nota in Recessum publicum, Nos Præpositus, *&c. vers.* in loco de Curinghen.

QUandoque præsidet aliquis Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, ut aliquando præfuit D. Simonis Officialis. Permisit id Princeps Ernestus per Diploma 6. Aprilis 1588. propter necessariam suam absentiam: alioquin ipsemet Episcopus, uti Comes, præsidere deberet, prout antehac semper præsiderunt Gerardus à Groesbeeck, & alii antecessores, cum suis Cancellariis, & aliquibus Canonicis Ecclesiæ sancti Lamberti, 30. Octobris 1554. 1. Octobris Martii 1570. 4. Aprilis insequentis, 18. Aprilis, ultimâ Martii 1598.

Privilegia tamen Imperialia ab Imperatoribus Principi Leodiensi eique subditis concessa, etiam ad Judices & Incolas Comitatûs Lossensis spectant, quia sunt membra Imperii; eorumque contraventores ea in qualitate Jurisdictioni Consilii Ordinarii Episcopi & Principis Leodiensis subsunt, ut pridem obtentum pro nobili Domino de Fleron, de Millen, supremo Officiato Lossensi, contra Dominum de Vordt, de Rulinghen, & ita passim, uti latiùs in Observ. D. de Mean, pag. 689. inque Privilegiis Cæsaræis, post Opus ejus posthumum impressis, videre est; imò & dicta Privilegia à tribus Patriæ Leodiensis & Comitatûs Lossensis Ordinibus acceptata anno 1522. 5. Julii ad instantiam Magistri Willebrordi de Eversal, Legum Doctoris, qui die posteriori, utpote 6. Julii 1524, præfatum Recessum publicum pro Comitatu Lossensi obtinuerat. Tenor autem dictæ acceptationis hîc sequitur:



Numero. 2. De anno 1522.

Documentum acceptationis Privilegiorum Imperialium per tres Status Patriæ Leodiensis & Comitatûs Lossensis, Spiræ editum.

IN nomine Domini. Amen. Universis & singulis præsentia visuris, legi audituris, & præsertim magnifico & generoso Domino D. Præsidenti, cæterisque sacri Imperialis Consistorii Judicibus & Assessoribus pateat & notum sit, quòd die datæ præsentium comparuit personaliter venerabilis vir Magister Willebrordus de Eversal, Legum Doctor, coram reverendis, nobilibus & egregiis Dominis Decano & Capitulo Ecclesiæ majoris Leodiensis, Illustribus, Nobilibus & Militaribus, ac Civitatis & aliorum Oppidorum Patriæ Leodiensis & Comitatûs Lossensis Deputatis, tres Status Patriarum hujusmodi repræsentatibus, in loco capitulari prædictæ Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, loco siquidem in quo dictorum Statuum Conventus & Dietæ teneri solent, habens & suis in manibus tenens retrotactas Litteras Imperiales Citatorias; illas ibidem eisdem omnibus melioribus viâ, modo, jure, causâ & formâ, quibus potuit, intimavit, & ad eorundem & cujuslibet eorum veram & indubitatam notitiam deduxit; citando præterea eosdem ac eorum quemlibet ad tertiam diem mensis Septembris proximè futuri coram vestris Mag. & Dom. si dies ipsa tertia juridica fuerit, alioquin ad proximam diem juridicam, extunc immediatè sequentem, ad videndum & audiendum certa reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis coràm Privilegia exhiberi, ac tenores, signaturas & sigilla eorundem recognosci, illaque per vos transsumi, vidimari & authorisari, atque judiciale vestrum Decretum desuper interponi, vel siqua interesse putarent dicendum & proponendum judicialiter contra eadem, desuperque vestram finalem Determinationem audiendum cum limitatione tali: quòd sive compareant sive non, vos nihilominus procederitis ad prætactorum Privilegiorum transsumptionem, vidimationem & authorisationem, & Decreti interpositionem, prout justitiæ ordo expostularet. Qui quidem Status prædicti publicè responderunt, dicta Privilegia per serenissimos & invictissimos Cæsares quondam nobilis memoriæ Maximilianum, & Carolum

Imperatorem modernum, in eorum præcipuum favorem & subditorum relevamen concessa fuisse, & ideo se illa rata & grata dudum habuisse, atque publicari, & executioni debitæ demandari, atque usibus subditorum recipi fecisse, & propterea illis nullatenus se opponere aut contradicere; sed illa firmiter observare, ac nisi cum vita amittere velle: consentientes nihilominus & petentes ut hujusmodi Privilegiorum vidimatio, transsumptio & authorisatio, juxta tenores & continentiam dictarum litterarum, vel alias pro ipsarum notificatione & corroboratione per vos, magnificum & generosum Præsidentem, & cæteros sacri Consistorii Judices & Assessores fiat, & in forma debita & authentica expediatur; constituentes etiam pro interesse, & quatenus opus sit, præfatum Dominum Doctorem Willebrordum, necnon Dominum Joannem Draek Juris utriusque Doctorem, & eorum quemlibet, ad petendam dictam vidimationem & authorisationem fieri, atque ad alia omnia ad actum vidimationis pertinentia agendum & experiendum, etiamsi mandatum exigant speciale. Acta fuerunt hæc in Civitate Leodiensi anno à Nativitate Domini 1522, mensis Julii die quintâ, præsentibus ibidem honorabilibus viris Dominis Huberto Gustin, Canonico Imperiali, & Joanne de Elst, parvæ Mensæ in prædicta Ecclesia Leodiensi Canonico, Presbyteris, & nonnullis aliis viris fide dignis, testibus vocatis. *Sic subscriptum*, GEN. TUERINX *ad præmissa*.

NOTÆ.

AUla Curingiana, quæ est supremum Tribunal Comitatûs Lossensis, non utitur Privilegiis Imperialibus Concilio Ordinario Leodiensi concessis, ratione summæ præfinitæ, intra, aut supra quam appellare non liceat; sed observat Ordinationem Imperii in Comitiis Spirensibus de anno 1600. §. *Wiewel*, n. 15. latam, quâ Appellatio non admittitur, nisi principale excedat 300. aureos Rhenenses. Ita & declaravit dicta Aula in causa Boucquet anno 1636. Roding. de Jurisd. Cam. Imp. lib. 1. tit. 20. n. 38. & juxta attestationem Præsidis & Senatorum Concilii Ordinarii Suæ Celsitud. 1659. Januarii 28. cujus tenor hîc sequitur.




Numero 3. De anno 1659.

NOs Præses & Senatores Concilii Ordinarii Episcopi & Principis Leodiensis, requisiti pro parte Huberti le Page Procuratoris Officialis Leodiensis, pro certificatoriis & attestatoriis nostris Litteris de & super Appellationibus & Recursibus ordinarii Territorii Comitatûs Lossensis; & an idem ipse Comitatus gaudeat Privilegiis Concilio nostro, ratione summæ ad appellandum præfixæ concessis; hisce præsentibus certificamus & attestamur, pagos Territorii dicti Comitatûs habere Jurisdictiones distinctas à reliqua Patria Leodiensi, à quarum sententiis recurri potest per viam Appellationis, partim ad Curiam Vliermaliensem, & partim ad nobilem Aulam Curingianam; à dicta verò Curia Vliermaliensi ad prædictam Aulam Curingianam; & à prædicta Aula ad sacram Imperialem Cameram, uti eidem immediatè superiorem: quæ quidem nobilis Aula Curingiana non gaudet Privilegiis Concilio nostro, ratione summæ ad appellandum præfixæ, à divis Cæsaribus concessis. In cujus rei fidem & testimonium præsentes per nostrum Actuarium subscribi & sigilli nostri appensione communiri fecimus hac 28. Januarii 1659.

Numero 4. De annis 1316.

GAudent & Incolæ Comitatûs Lossensis Pacibus de Fexhe de anno 1316. & Viginti Duûm Virum de anno 1373. factis per Status Patriæ Leodiensis & Comitatûs Lossensis quibus alii qui non oriundi de Patria Leodiensi aut Comitatu Lossensi, non gaudent. Quæ Paces cùm nimis sint prolixæ, remitto lectorem ad Erasmum Chokier in Paces part. 3. fol. 416.



CA-

CAPUT II.

Extrait d'un Registre, dans lequel sont mises les Resolutions des tres-honorez Seigneurs Eschevins de Vliermael, intitulé : *Les Coûtumes de Looz, que l'on observe à la Cour de Vliermael.* Signé, *Martini Greff.*

Extract vyt eenen Register in folio daer in staen die resolutien van die berfeste Heeren schepenen van Vliermael geintituleert, Loensche lantrechten diemen Useert tot Vliermael. *Onderteckent* MARTINI Secretaris.

ARTICLE PREMIER.

De la procedure pour dettes civiles.

QUand quelqu'un est arêté la seconde fois, & icelui confesse la dette; l'on ordonne de donner argent ou gage avant le soleil couchant, sans amende du Seigneur.

EERSTEN ARTIKEL.

Erste vervolgh van scat scult.

ALs iemant aengesprocken wordt, op syn tweede genachten, ende den man die aengesproecken is die schult bekent clachloes, dat hy die schuldich is soo wyst men gelt oft pandt metter sonnen sonderboete des heeren.

II.

Quand quelqu'un confesse la dette, disant là-dessus avoir fait payement.

Et si l'arraisné sur le deuxieme jour de plaid confesse la dette, alleguant qu'il auroit sus payé à bon compte, & que le crediteur confesse le sus receu; l'on ordonne de compter & payer entre & dedans le jour de plaid prochain, & ne plus retourner au Tribunal sur cela, sur peine de 7. eschellings.

II.

Als eenen man dieschult bekent maer seydt dat hy daer op gegeven heeft.

Item, wanner eenen aengesprocken man op syn tweede genachten bekent die schult schuldich te syn op reckemuge ende seydt dat hy daer op gegeven heeft ende den aen sprecker dat bekent, dan wyst men te reeckenen oft te betaelen binnen onse genachten opdat niet meer voor scheepenen en komt op die boete van 7. schillingen eens.

III.

Quand celui qui est condamné

Estant decreté comme dessus, & si le crediteur ou acteur compare en Justice se plaignant, que

III.

Offier binnen de gewesen xv

Item, dit aldus geweesen synde, als lest verst geschreven staet, ist dan alsoo, ende den

daeghen noch en bekende noch betaelden.

aensprecker ter genachten komen is, ende seydt dat synen schuldenaer met hem noch gerekent noch betaelt en heeft, soo wystmen dat den heer panden haelen sal tot den huyse des aengesproecken voor die principael scult weerde, ende voor 7. schllingen voor den heer, want die partye moet altyt voorgaen, ia die partye en segge redenen noch recht genoch synde.

le debiteur n'a compté; l'on ordonne que le Seigneur devra querir gage dans la maison dudit debiteur, pour la valeur de la dette principale, & gage pour 7. eschelings pour le Seigneur (mais la partie doit estre la premiere satisfaite) sinon que le defendeur donneroit raisons en Droit fondées.

ne paye ni compte dans xv. jours prescrits.

IV.

Hoe men moet pandt haelen.

Item als ondersaeten geweesen syn gelt oft pandt te setten metter sonnen, als die eerste clausule inheeft, soo mogen sy verpanden met eender myte, oft met eenen anderen pãdt, ende den aensprecker compareert derde weerf, recht versueckende, soo vracht men den boode oft die partyen die aengesproocken syn, verpandt hebben seydt den boode ia, soo sal den boode den pandt presenteren.

IV.

Item, quand il est enjoint aux surcéants de donner argent ou gage avant le Soleil couchant, ensuite du contenu de la premiere clause; ils peuvent donner gage avec un denier, ou consigner autre chose: & quand alors l'acteur demande ordonnance pour la troisiéme fois, l'on demande au sergeant si la partie arraisnée a donné ou consigné gage; s'il dit qu'ainsi est, alors ledit sergeant présente ledit gage.

Cõment l'on doit prendre gage.

V.

Hoe men schuldenaer syn panden sal moghen vercoopen.

Ende den aengesproecken man mach dan suecken eenen ondersaete die haffich is voor die schult, te weten die te panden is aen perden oft aen Koyen, soo verre het geallegeert wordt, ende eenen ondersaete, slaet men die panden op voor die schult ende voor die kosten die daer op gegaen syn, ende gaen sullen, op alsoo dat men kondig-

V.

quam exercent Scabini in Urbe Loſſenſi; utpote Leodienſem duntaxat quoad perſonas, vulgò *de Binne-Banck*. Illa non continetur muris nec mœnibus ejuſdem urbis, ſed ultra, ad certum diſtrictum aut circumferentiam dictam vulgò de *Binne-Cuype* extenditur; nimirum extra portam de *Graet*, ad lapidem quemdam finitimum jacentem prope *Graeten-Dries*, & extra portam lapideam de *Steenre oft Tungerſſche porte* uſque in domum quondam Arnoldi Vreven, ſitam in *Locht*, ubi etiam jacet talis lapis limitrophus. Ita plures Juris patrii periti affirmarunt, maximè dictæ Juſtitiæ ac Urbis: & quoad exercitium dictarum duarum Juriſdictionum in urbe Loſſenſi, hoc fit vigore Concordati, vulgò *la loi muette*, inter illuſtriſſimum ac reverendiſſimum Arnoldum de Horne, Epiſcopum Leodienſem & Status Patriæ Leodienſis ac Comitatûs Loſſenſis, de anno 1386. in vigilia Feſti ſancti Dionyſii Martyris, in menſe Octobri, duraturi centum annos. Quod Fœdus ſeu Placitum in perpetuum duraturum ratificatum fuit per Litteram Alligantiæ Civitatis & Oppidorum Loſſenſium, de anno 1435. 19. Feb. verſ. *pour durer à perpetuité*, ſic 45. annis poſt dictum Fœdus, ubi hæc verba leguntur in prœemio, *franches Villes du Comté de Looz de la Loi de Liege*. Et inferiùs, *& leurs biens de ladite Loi de Liege ſoient loyes, & doivent uſer*. Hæc tamen non indiſtinctè: ſi enim bona intra muros vel extra, intra tamen territorium ſita, debeant cenſum & originaliter releventur in aliqua Curia Tenantium puræ & meræ naturæ Loſſenſis (uti omnia in urbe Loſſenſi) iſta regulantur juxta antiquam ſuam naturam Loſſenſem, tam quoad ſucceſſiones, alienationes, retractus, quàm judicia; excepto quòd quoad iſta bona cenſualia in Curia Tenantium realiter procedatur uſque ad ſaiſiniam, & ex ejus ſaiſinia executio datur Judicibus, ſive Scabinis Oppidi, judicantibus juxta Mores Leodienſes, *art.* 12. *Stat. Principis Georgii ab Auſt. part.* 3. *fol.* 54. *De Mean obſ.* 450. *n.* 1. de duplici hac Juriſdictione mentionem facit.

Quoad Juriſdictionem verò externam, vulgo *Buyten de Cuype*, ſive *de Banck van Graet*, quæ utebatur ſigillo Juſtitiæ interioris in Actis publicis, illa primævam ſuam naturam retinuit, & juxta Legem Loſſenſem, tam quoad perſonas quàm bona, regulatur, illaque longè latèque diffunditur, pluresque pagos & vicos continet; nempe Cuttecoven, Gothem, Hecx, Senricken, Rullecoven, Kerniel, Colen alioſque vicos & loca plurima ab

illis dependentia, & ut inquit Wendelinus in suo Natali Solo fol. 77. vocatur dicta Justitia externa *Graet-Loon*, seu Lona Grudiorum; & ipsum Lossensis Oppidi Tribunal latè patens dicitur *de Banck van Graet*, Prætorium Grudiense.

De hac duplici Jurisdictione constat etiam per Requisitoriales amplissimorum Scabinorum Leodiensium directas, ad Justitiam Urbis Lossensis.

Requisitoires de Messieurs les Eschevins de Liege, à la Cour & Justice de Looz-le-Chateau.

A Tous ceux ausquels ces presentes lettres requisitoriales parviendront, en special à la Cour & Justice de Looz-le-Chateau, jugante à la Loi de Looz, & à tous autres executeurs de Justice les Eschevins de Liege, salut; sçavoir faisons que ce jourd'hui soubescrit par Damoiseau Jaspar de Kinnebaer manant à Oppoteren pres Maseick, nous a été remonstré comment il auroit convenu en notre Cour Damoiseau Art de Mombeeck, pour avoir furnissement du contenu de certain contract entre eux fait & passé le 22. jour de Septembre anno 1571. & passé l'an 1573. le 2. Novembre.

Insuper notandum, quòd in Ecclesia de Gothem videtur una sepultura repræsentans nobilem Equitem, vulgò *Ridder*, scutum ense adnixum ferens, quod est *un chef chargé d'une quinte feuille, & aux deux costez de sa teste deux bannieres armoiriées des mêmes armes, avec l'inscription suivante: Anno Domini* 1307. *decimo septimo Kalendas Junii, in die B. Viti Martyris obiit Arnoldus dictus Nenkinus, Armiger de Gothem. Anima ejus requiescat in pace. Amen.*

In capitulari loco Fratrum Minorum Leodiensium sepultura cernitur, in qua mulier depicta apparet induta cyclade viridi, cum hac inscriptione lapidi circumscripta: *Hic jacet Oda, quondam uxor Nankini Militis de Gothem, quæ obiit . . . . . ab Incarnatione Domini M. CC. LXVI. quarto Idus Decembris. Cujus anima requiescat in pace. Amen.*

Super alia sepultura in dicta Ecclesia de Gothem videtur Miles armatus ferens super gladio arma sua pendentia, cum hac inscriptione: *Anno Domini* 1296. *decimo sexto Kalendas Februarii obiit Dominus Nenkinus de Gothem. Anima ejus per misericordiam Dei requiescat in pace. Amen.*

Imò & antiquissima in dicto Oppido stabilita est Curia ab-

lodialis à Comitibus laicis, quæ se inscribere olim solebat, *Judex & septem jurati homines allodiales nobilis Viri & potentis Domini Comitis de Los.* Sic anno 1328. & antè, uti in part. 3. fol. 109. videre est, & modò post unionem cum Patria Leodiensi, intitulant se Scabinos & Homines allodiales serenissimi Principis Leodiensis, uti Comitis Lossensis, à qua Curia quamplurima dependent prædia, & nuncupatur Teutonicè *den Eygens-hoff*, bonaque allodialia *Eygens-goederen.* Subsunt prætereà dictæ Curiæ allodiali *Eygens-hoff* aliæ Curiæ, uti latiùs ex Edicto Principis Ferdinandi à Bavaria, tamquam Comitis Lossensis, de 10. Martii 1613. patet hîc in part. 3. fol 103. Unde licèt dicta bona allodialia libertatis significationem & denotationem contineant, subjecta tamen sunt relivijs, & alterius superioritatem agnoscunt, *cap.* 1. *de Allodiis in Usibus Feud.*

His addendum, quòd Judices, utpote Scabini Urbis Lossensis, in criminalibus judicent sine rechergia Superiorum, qui & se inscribunt & intitulant in omnibus transportibus aliisque actibus publicis, *Schepenen van Loon*, *als Hoogbericht* &c.

Pro coronide adjiciendum, quòd Loscastrum omni ævo Viros produxerit famâ sanctitatis & doctrinæ celebres; utpote Joannem Peeckium Loscastrensem sive Lossensem, trigesimum secundum Abbatem sancti Laurentii, ad muros Urbis Leodiensis, virum pristinæ innocentiæ, & absque felle amaritudinis, omnibus percarum. Consecratus est Abbas sancti Laurentii ab ipso Erardo Præsule Leodiensi anno 1509. ultimâ Januarii. Pictor fuit expertissimus: ejus opera sunt variæ tabulæ, quæ in divi Laurentii prostant intuentibus admirationi; casus Luciferi, Judicium extremum, genealogia sanctæ Annæ, cui religiosè addictus, Sacellum ædificavit, &c. Prætereà res gestas Episcoporum Leodiensium post Joannem Stabulatum, ab anno 1449. à se descriptas, posteris reliquit; exstantque mss. ad sancti Laurentii. Obiit anno 1516. 14. Julii. *Muntel. in Compend. Histor. Lossen. c.* 16. *fol.* 124.

Æternæ memoriæ Richardum Pauli-Stravium, Episcopum Dionysiensem, Suffraganeum Leodiensem, Ordinis sancti Salvatoris, vulgò sanctæ Brigittæ, Loscastri, Congregationis Belgicæ, Præsidem & Visitatorem Apostolicum perpetuum, ejusque benefactorem & protectorem, jam pridem Ecclesiarum Metropolitanæ Cameracensis ac Cathedralis Atrebatensis Archidia-

conum & Canonicum, necnon Urbani Papæ VIII. & Sedis Apoftolicæ in Belgio Internuntium, & ab ipfomet Imperatore Ferdinando III. anno 1640. 18. Maii, cum univerfa Straviorum Familia, quæ ex Imperiali Oppido & Comitatu Loffenfi, Ditionis Leodienfis, originem ducit, in Nobilium Ordinem adfcriptum, uti à quatuor avis paternis ac maternis genitum, ac ab ipfomet Principe Leodienfi 23. Maii 1662. approbatum, quem præmaturâ morte; utpote Epifcopatûs 6. & ætatis 63. fublatum omnes Patricii, præfertim confanguinei, dolent.

Uti & æternæ memoriæ Georgium Pauli-Stravium, fratrem germanum prædicti D. Ricardi, Epifcopum Joppenfem, fereniffimi ac reverendiffimi Principis ac Domini Maximiliani Henrici Archiepifcopi ac Principis Electoris Colonienfis &c. triufque Bavariæ Ducis &c. per Civitatem & Archidiœcefim Colonienfem in pontificalibus & fpiritualibus Vicarium Generalem, Metropolitanæ ac fanctæ Urfulæ Ecclefiarum Colonienfium Capitularem Canonicum, qui obiit anno 1647. ætatis 54. annorum Epifcopatûs 8.

Gerardum Voffium Borchlovium, Præpofitum Tungrenfem, Protonotarium Apoftolicum ac S. T. Doctorem Romanum, virum Græcè Latinèque apprimè eruditum, eoque nomine Guilielmo Sirlette & Antonio Caraffæ Cardinalibus gratiffimum ac de fanctæ Sedis Patribus optimè meritum. Edidit Lovanii Rhetoricæ Artis methodum 1571. in quarto, Commentarium in Somnium Scipionis, ex M. Tullii libro fexto de Republica, unà cum periphrafi & paradigmate variarum Lectionum ad Joannem Maronum Cardin. in cujus familia vixit Romæ apud Bladium 1575. in octavo. Vide alia ejus Opera apud Mantel. in Comp. Hift. Loff. cap. 17. fol. 119.

Joannem Bofcium Borchlonium, Medicinæ Licentiatum, Græcè ac Latinè doctum, Ocellum Luciani, qui & Achilles nominatur, de univerfi orbis natura Latinè vertit & Scholiis illuftravit; Lovanii anno 1554. apud Petrum Colinæum. Anno 1557. ad Ingolftandienfem, Bavarorum Academiam, evocatus, Orationem ibidem habuit aufpicalem de optimo Medico & Medicinæ Authoribus. Extat tom. 1. Orationum Ingolftandienfium. Vide Opera relata apud Mantel. dicto loco, fol. 123.

Prætereà omnis generis Doctores, tam Juris utriufque, quàm Theologiæ ac Medicinæ, tum Decanos ac Religiofos, quos hîc brevitatis causâ taceo ac omitto.

HASSELETUM.

HASSELETUM, vulgò *Hasselt*, Lossensis Comitatûs Oppidum ad Demeram fluvium, distans quatuor Trajecto, & sex Leodio milliaribus, in Taxandria situm, erectum in Oppidum ab Arnoldo Comite Lossensi anno 1232. mense Maio. Mantel. in comp. Hist. Lossens. fol. 11. cap. 3. & cap. 4. Antiquissimus & egregius olim fuit vicus: ædificatus enim fuit jussu Colongi, decimi-noni Reguli Tungorum, anno Christi 48. postquam Roma mille annis steterat, mss. fol. 6. de Regulis Tungrorum. Testatur Geldolphus à Ryckel in Vita sanctæ Gertrudis, fol. 584. Sunt Hasseleti binæ Justitiæ; una interna, *Binne-Banck ten Luyxen Recht*, quæ non excurrit muros Oppidi; altera externa *de Buyten-Banck ten Loonschen Recht*. Externam latè diffusam scio, maximè versùs *Sonhoven* duas leucas, versus Curingiam horæ quadrantem, & versus pagum de *Wimertingen* rivum seu alveum qui est terminus inter Oppidum de Hasselt & Dominium de *Wimmertingen*. Ita declaraverunt Domini Scabini Vliermalienses inter perillustrem Comitem Erardum de Riviere & Heer, uti Dominum dicti pagi ex una; & Oppidum Hasselense ex altera anno 1573. 22. Aprilis. Hasseletum pro Insignibus seu Communitatis tessera præfert arbusculam corylum; in dextera scuti parte decem tenias ex auro & minio, Comitum insignia. In Oppido Hasselensi non solùm cives seu personæ sunt Juris Leodiensis (ut in Oppido Lossensi cæterisque Oppidis) sed etiam domus & prædia eodem Jure Leodiensi reguntur (quod secus est, ut dixi, in Oppido Lossensi) exceptis iis quæ in aut sub aliqua Curia censuali Lossensis naturæ censum pendunt & illius naturam sequntur, coram quibus Curiis stylo & modo Lossensi proceditur dumtaxat usque ad saisimam inclusivè (neque enim aliam, præterquam fundiariam, in bona sub iisdem moventia, Jurisdictionem habent) & pro illius executione acta saisiniæ ad Justitiam ordinariam deferuntur. De Mean obs. 450. n. 1. de duplici hac Jurisdictione mentionem facit: cæterùm plures in dicto Oppido Hasselensi esse Curias censuales naturæ & juris Lossensis, sub quibus integræ ferè plateæ subsunt & heredium seu fundus Patrum Capucinorum esse Juris Lossensis in causa Strauven

contra

contra Broens probatum est : unde habent executionem causarum realium inchoatarum in Curiis jam dictis censualibus sub Districtu Hasseletensi sitis, scilicet de *Crutsem*, de *Wanrode*, *Custers-Hoff van Loon*, *Rapertingen*, *Henegauwe*, *Mombeeck*, *Cleyn Mombeeck*, *Herckenrode*, *Calver-Huysen*, *Meuwen*, *Vychmael*, *Dormer*, *Broeck*, *Sneppershof* & *Quaetboven*.

De Oppidi illius Topographia latè antè tractavit Mantel. in Compend. Hist. Lossens. cap. 18. fol. 167; uti & de Politia, in eodem Compend. c. 15. fol. 101; sicut & de Viris famâ sanctitatis & doctrinæ celebribus, ibidem c. 16. Hoc tamen addam, quòd Comites Lossenses amplissima Oppido donarunt Privilegia, recensita per dict. Mantel. c. 4. & alibi, quæ Principes & Episcopi Leodienses in Comitatu successores, non confirmarunt dumtaxat, sed & plurimùm diversis vicibus auxerunt : anno enim 1716. per modernum nostrum serenissimum Episcopum & Principem denuò confirmata, & typis edita, inter quæ, ut reliqua taceamus, illa non spernenda ; quòd juxta Politiam hodiernam, ultra duos Consules, duos Juratos, & duodecim Senatores qui Magistratum componunt, singulis annis renovandum, ibidem etiam, ad normam Reipublicæ Romanæ, duodecim sint Viri seu Oppidi Mamburni, ad vitam creati, sine quorum consensu nec lites intentari possunt, nec ulla ædificia publica construi, nec de denariis publicis quomodolibet disponi. Scabini Hasselenses altam exercent Justitiam ; cum ea tamen limitatione, quòd Civibus à sententiis criminalibus appellare liceat ad supremam Justitiam, respectivè vel Leodiensem vel Vliermaliensem, uti expressè statuit & determinavit Maximilianus Episcopus & Princeps Leodiensis in Edicto dicti Oppidi, de anno 1686. art. 28. Illud procul dubio, ne rei ad mortem, aut ad aliam pœnam condemnentur, per majorem partem Justitiæ vel Scabinorum, sed ex unius regulariter Jurisperiti assumpti consilio, dum inter dictos Scabinos vel pauci sunt, vel nulli qui Jura callent aut fuerunt professi. Illud quoque inter Oppidi prærogativas & emolumenta non immeritò recensendum, quòd Scabinis supremæ Justitiæ Comitatûs Lossensis, ad requisitionem Magistratûs, per Borbonium Principem & Episcopum injunctum fuerit anno 1469. 22. Martii. ob litigantium majorem commoditatem, ut ibidem de quindena in quindenam (quod non ita pridem de octiduo in octiduum mutatum fuit) Conven-

tus suos judiciales celebrarent, non sine exigua profectò Oppidi prærogativa : eo etenim pacto Oppidanis non tantùm prospectum est de Advocatis ab omni tempore celeberrimus (dicti namque Scabini debent fuisse licentiati in famosa vniversitate, non bullati,) sed & eodem ex capite Oppidum non exiguo gaudet incremento, per litigantes & Procuratores undequaque ibidem ad dictum Tribunal confluentes, in quorum recognitionem dicti Scabini ab excubiis, cæterisque functionibus civilibus, uti & à militum hospitationibus, de mandato Principum, ad normam aliorum supremorum Tribunalium, in dicto Oppido habitantes, non immeritò sunt immunes.

Ibidem quoque nobilissima ac perillustris Sala Curingiana Conventus suos habet, juxta Edictum serenissimi Principis Ernesti, de anno 1584. 21. Februarii, præsente Locumtenente ac Præside nobili Domino Adamo de Kerckem ac nobilibus Dominis Hieronymo van Oyenbrugge, Domino de Bethoven, Joanne de Geloes, Guilielmo de Cortenbach & Andræa de Bentinck & DD. Scabinis Vliermaliensibus, quæ anteà in Castro Curingiano, præsidentibus nonnunquam ipsis Principibus, tanquam Comitibus Lossensibus, jus dicebat : ex quo profectò præ cæteris summus splendor, utpote Sedes Justitiæ totius Comitatûs Lossensis, & non exiguum emolumentum Oppido exoritur ; splendor (inquam,) si attendatur quòd diebus placitalibus ibidem confluant Nobiles seu Pares dictæ Salæ (cujus antefati Scabini supremæ Justitiæ Losensis, seu Vliermaliensis sunt Assessores necessarii, hîc part. 3. fol. 127. qui ultra magnum & nobile Feudum situm in Comitatu Lossensi, etiam à proavis nobilem traxisse prosapiam, in admissione ad dictam Salam, demonstrare tenentur, & in manibus Locumtenentis præstasse juramentum fidelitatis. Non exiguum quoque emolumentum per consumptiones & pernoctationes, tam dictorum Nobilium seu Parium quàm partium litigantium, Procuratorum &c. De aliis, ne sim prolixior, remitto Lectorem ad Mantel. in locis citatis, & alibi.



WUST-HERCK.

HERCA, vulgò *Wust-Herck*, ab amne cognomine nomen habet, qui hîc se in Demeram exonerat, antiquum Comitatûs Lossensis Oppidum, Wusogasti Domicilium seu Sala, quam tunc Curingiana illa obscuraverat (ut inquit Mantel. in Comp. Hist. Loss. fol. 233.) ideoque in alium usum conversa. Eam Cives vocabant Domum Bladorum (*Coren Huys.*) Templum habet divo Martino sacrum, quod (ut sunt ejusdem tituli seu insignia pleraque omnia) ante annos mille conditum reperio : hoc enim liquidò constat, tum ex litterarum formis vestibulo ejus incisis, operis antiquissimi ; tum ex tota ipsius structura : quod Doncanâ ejusdem territorii Basilicâ se ipsum prodit vetustius quàm Diploma Roberti Comitis Hasbaniæ loquitur, exstructam ante annum epochæ nostræ 744. Wendelin in Natali Solo Leg. Salic. cap. 15. Eodem loco Carolus IV. Imperator, Joannis Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Ducis rogatu Auream illam Bullam (unicum Brabantiæ Palladium) concessit, quæ extat apud Dinterum & alios, data in Wust-Herck anno 1349. indict. 2. tertio Calendas Maii. Eodemque die & loco Abbatissæ Nivellensi Advocatum dedit eundem Ducem Brabantiæ ; imò & Leges Salicæ latæ fuerunt circa prata Salica, inter Herckam, *Halen*, *Linckhout* & *Selebeim*. Wendel. in Glos. Salic. leg. f. 131. verbo *Anguillæ*, non à Salegasto, ut vult Otto Frinsingensis lib. 4. c. 32. sed à Saliis Francorum nobilissimis dicta. Quâ Lege etiam antiquitus Lossenses usi sunt, & hoc cùm Imperium Romanum paulatim cœpit minui : jam gentes quæ Romanorum Provincias, non regna habitabant, Reges creare, jam ex illorum potestate, & in proprii arbitrii authoritate stare discunt. Wendelin. Leg. Salic. c. 13. Quoad Justitiam internam, idem omnino obtinet uti Hasseletum ; at quousque Justitia interna hujus Oppidi se extendat præcisè, nondum mihi constat : quoad verò externam, Herkensem, circumcirca latè patet continetque pagos integros Donck, Wyer ; pluresque vicos, Ophem, Graethoven, totumque tractum à pago de Schuelen usque Halen, quem vocant *de Waterkant* ratione aquarum ibidem exuberantium (propter concursum diversorum fluminum stagnantium, præsertim in

hyeme, abundantibus pluviis : unde hodieque in causis, tam criminalibus quàm civilibus, ad Justitiam exteriorem Bilisiensem appellationes devolvuntur; verùm quoad pagum de Donck notandum quòd dumtaxat in personalibus, seu quantùm personas attinet, subsit Justitiæ exteriori Herkanæ; quantùm autem ad prædia, seu in realibus, subest seu prædia subsunt Curiæ quam ibidem habet reverendissimus Dominus Abbas sancti Trudonis, qui & Ecclesiæ Patronus, quæ est Juris Imperialis, ut ipsum Oppidum sancti Trudonis, coram qua omnes actiones ab illa dependentes intentari debent. Et si lis contestetur ac controversia moveatur, appellatur ab eadem ad Scabinos altæ Justitiæ Oppidi sancti Trudonis. Si obtenta ibidem fuerit saisinia, deferuntur acta ad Justitiam exteriorem Herckanam pro illius executione. Ratio est evidens, quia executio saisiniæ consistit in tribus parvis præceptis &c. quæ unicè concernunt personas : planum est á Curiis censualibus nequaquam fieri posse quæ in bona, non in personas, jurisdictionem habent, *L. 2. §. fin. ff. de Judiciis & ibi Ramus latè Zasius ad L. unic. ff. Si quis jus dicent. non obtemp.*

BELISIA.

BELISIA (inquit Nicolaus Canonicus) *locus est in ingressu Taxandriæ positus, duobus à Trajecto, duobus à dirutis Tungrorum muris milliaribus*, vulgò Bilsen. Wendelin. in Natali Solo fol. 80. *Hic locus à feritate inhabitantium belluarum dictus fuit, non à belluis Bellua, sed Belisia, hoc est bene Elysia, vocari cœpit* : sive *enim nemorosam jucunditatem, sive fluviorum aut fontium irriguam spectes ubertatem, apum quoque & mellis seream suavitatem.* Ansel. in Vita sancti Lamberti fol. 117. *Antiquissimum Comitatûs Lossensis Oppidum*, Mantel. Histor. Lossens. compend. cap. 14. fol. mihi 93. *Ædificatum jussu Colongi decimi noni Reguli Tungorum anno Christi* 48. mf. fol. 6. uti latiùs in Topog. Hassel. dixi. Duplicem Scabini illîc exercent Jurisdictionem, *uti in Oppido Hasselensi*, utpote internam, vulgò de *Binne-Banck ten Luyxen Recht*; alteram externam *de Buyten-Banck ten Loonschen Recht*. Justitia interna Belisiensis longè protenditur : continet enim medietatem Curiæ de Beverst, vulgò *de Helfft des Graven-Banck van Beverst.* Externa longè latèque diffusa est, uti ex Resortu latiùs videbi-

tur. Supremi Tribunalis Scabinorum extramuralis, seu exterioris Justitiæ de Bilsen, vulgò de *Buytebanck Bilsen*, mentio fiet: illîc residet unum Consistorium ex duobus supremis Tribunalibus Comitatûs Lossensis, ad quod Consistorium pars Comitatûs respectivè venit per appellationem & rechargias, quod olim solebat se congregare in pago *sint Martens linde*, modò in Oppido Belisiensi; imò & Princeps, in qualitate Comitis, vicem suam designat Drossardo sive Satrapæ, plerùmque è Nobilitate Lossensi, vulgò *Het ampt. Bilsen*, qui invigilet Oppidoque præsit, Legum Consuetudinumque Patriæ urgeat observantiam, Civilitatem provehat, maleficos puniat. Hanc tamen Oppidum est passum jacturam, quòd tempore Principis Borbonii anno 1483. fuerit expugnatum ferro flammâque vastatum. Fisen part. 2. lib. 13. fol. 293. uti & anno 1636. redactum in cineres: incertum fortuitò, an per Croatas procurato igne. Mantel. in Comp. Hist. Loss. fol. 93. Insignium area seu clypeus bipartitus est à summò ad minus; dexterâ parte decem Lossenses tęnias præfert ex auro & minio; sinistrâ proprium symbolum, Equitem nempe & arborem.

MASECA.

MASECA, vulgò *Maseyck*, Oppidum non incelebre in Campinia, ad lævam Mosæ ripam situm, Stochemio quidem duabus, Leodio verò septem leucis. Quousque Justitia interna hujus Oppidi se extendat præcisè, nondum mihi constat; sed in illa idem obtinet ut & Hasseletum. Sub Justitia autem externa plures vici continentur, *Alten-lyck*, *Venne*, *Grimes-Loo*, &c.

Maseca pro Insignibus seu Communitatis tessera præfert quercum, & à dextera parte decem Lossenses tænias. Borbonius Princeps Salam suam Curingianam, quibus nescio de causis, Masecam transtulit; primusque ibidem Procerum Lossensium celebratus Conventus anno 1457. 21. *mensis Martii, sed nec diù post, mutato consilio, sanctionem edidit anno* 1469. *die* 11. *Septembris, cujus missâ ad omnia Ditionis Lossensis Oppida vicosque celebriores copiâ, mandat Curiam suam feudalem non ampliùs Masecæ, sed uti priùs, Curingiæ celebrari; necessariumque esse ut eo Homines feudales coant, nec nisi duodecim annis Maseca illo potita honore.* Hactenus Mantel. in Comp. Hist. Loss. cap. 9. fol. 43. Scabini illîc altam habent Justitiam, vulgò *Hoogh-Gericht* judicantque absque rechargia.

BREA.

BREA, vulgò *Bree*, Oppidum Comitatûs Loſſenſis antiquiſſimum, in Campinia ſitum, juſſu Colongi decimi noni Reguli Tungrorum ædificatum anno Chriſti 48. mſ. fol. 6. Quouſque Juſtitia interna hujus Oppidi ſe extendat præciſè, nondum mihi conſtat; ſed in illa idem obtinet ut & Haſſeletum: in & extra Oppidum eſt Curia ſancti Bartholomæi, eò quòd ad Capitulum ſancti Bartholomæi Leodienſis pertineat & pertinuit ante unionem Comitatûs Loſſenſis cum Patria Leodienſi, ut ex donatione Comitiſſæ Ermengardæ dicto Capitulo anno 1078. facta, part. 2. fol. 13. videre eſt. Quæ & bona à dicta Curia dependentia ſunt purè Leodienſis naturæ, Moribuſque & Legibus Leodienſibus reguntur, tam in ſucceſſionibus quàm aliis (ut in cauſa Winnen probatum eſt,) quàmvis pagi, loca & prædia circumvicina ſint juris & naturæ Loſſenſis. De cæteris vide Mantel. in Comp. Hiſt. Loſſ. per totum.

BERINGIA.

BERINGIA ſeu Beringa, vulgò *Beringen*, vetutiſſimum Comitatûs Loſſenſis Oppidum, in Campinia ſitum eſt, inter *Croiſſel*, *Beverlo*, *Hamme*, *Quaemechelen*, *Teſſenderlo*, *Melder*, *Lummen*, & terram ſeu Baronatum de Vogel-ſanck, teſte Mantel. in ſuo Haſſeleto cap. 16. fol. 117. Quæ loca omnia Ditionis Loſſenſis ſunt. Beringenſis autem Juriſdictio longè latèque patet; ita ut ab Oriente in Occaſum ad duas & amplius leucas excurrat, cui pagus Heuſden pro parte ſubeſt; pro altera jujuriſdictioni de Vogel-ſanck ſeu Curiæ *Ter-Houweycken*.

Beringa pro Inſignibus ſeu Communitatis teſsera præfert urſum annulo alligatum, *eenen gerinckt den beyr*, unde nomen *Beringen*: ſicut Incolæ *Beer-ringhers* non ineptè dici poſſent, Oppidani Beringi, ſuburbani Beringenſes, ſicut Cives Leodienſis Civitatis; Leodii & reliquæ Patriæ, Leodienſes. Ab urſu quandoque Beringa urbs urſina dicitur: & quia urſus grece *arctos*, *Arctopolis* vocata eſt, & Cives Arctopolitani. Inſig-

nium area ſeu clypeus partitus eſt à ſummo ad minus; dexterâ parte decem Loſſenſes tænias ex auro & minio; ſiniſtâ proprium ſymbolum, urſum nempe annulo alligatum ferens, ut & cæteri dicti Comitatûs Oppida. *Mantel. dicto loco c.* 1.

Dominium Beringenſe merum allodium eſt, à nemine neque in feudum, neque in cenſum relevans; ſic ut rectè dixeris, *Vryheere-Lyckheyt*. Beringa olim habuit Dominum Abbatem & Conventum Corbienſem, venerandæ antiquitatis, de Regula ſancti Benedicti, in Picardiæ Provincia in Gallia, nunc Dominum Baronem ſeu Marchionem de Hoensbrouck de Oſtham, repreſentantem quondam Dominum Godefridum Baronem de Bocholtz, qui Dominium de Beringen, molendina, decimas cum jure Patronatûs, aliaque bona jam à ſæculo & quod excurrit, permutatione, aliove juſto titulo ab iiſdem Abbate & Conventu Corbienſi acquiſivit, conſenſu, & approbatione Pontificis Regis Galliæ &c. Verùm quia Viri illi religioſi, cultui divino dicati, temporalibus negotiis ſe nimiùm immiſcere nolebant, præſertim criminalibus, ne fortè irregularitatem incurrerent, advocarunt in ſuum ſuorumque jurium defenſorem Comitem Loſſenſem, tunc temporis perpotentem, ſi quis in Belgio, unde & Comes Loſſenſis in Beringen medietatem juriſdictionis in perſonalibus, civilibus & criminalibus habet; ibidemque ſuum Officiatum, vulgo *Scholtis*, & Domini de Hensbroeck, Oſtham ſuum habent dictum *Meyer*; & Domini Scabinos creant alternis viribus, & etiam Graphiarium Juſtitiæ, & uterque Dominus ſeu Officiatus concurrit in criminalibus, & ſumptibus ea propter neceſſariis, mediatim.

Verùm ut pleraque dicti Comitatûs oppida, uti ſuperiùs dictum eſt, atque ab ipſis dependentia ſuburbia, vici, loca, ſic & Beringa, diverſo Jure ſeu Conſuetudine reguntur: nimirum Oppidum, intra mœnia & pomemeria (quæ latè circum circa protenduntur) Jure ſeu Conſuetudine Leodienſi, tam quoad bona inibi ſita, quàm quoad perſonas, vulgò *de Binninghe*, ſic ut licèt ſint eidem Scabini & Graphiarius, diſtincta tamen regiſtra, non ſolùm tranſportuum, aliarumque operarum, ſed etiam cauſarum ſeu litium, habere & tenere debeant, ne natura bonorum immutetur, bonaque confundantur, ut Reformatione Auſtriacâ ſuperiùs relatâ anno 1548. cautum eſt.

Extra pomeria ſeu Franchiſiam Beringenſem ſiti ſunt vici *Ter-*

vaent, *Merlebergh*, *Reyssel*, *Brielaer*, *t'Geen-hout*, *Gestel*, *Pael*, & quidquid ultra rivum de *Meulenbeeck* versus *Pael* situm est, vocaturque *de Buytinghe*, ut præfertur; residuum circumcirca Oppidum, intra Franchisiam *de Binninghe*.

Magna inter utrumque differentia est, non solùm quoad appellationes, sed etiam quoad successiones aliaque jura. Insuper notandum quòd cirumcirca Oppidum Beringam olim septem fuerint Castella nobilium Equitum, vulgò *Ridders*, intra Pomeria seu Franchisiam sita, nunc diruta, sed aquis fossisque etiamnum cincta; loca nempe *Groevendael*, *Terbeeck*, *Edelhampt in Commeloe*, *Terhulsen*, *Broeckhoven*, *Terhagen*, & *de Motte*, cum pluribus agris, pratis, seu pascuis, vivariis cuique respectivè junctis; habebantque dicti Equites speciem quandam infimæ jurisdictionis, puta Curias censuales *Laet-Hoven*, atque etiam feudales, unde adhuc extat Curia feudalis de *Ter-Heulsen*, sub qua movetur in feudum quædam petia nuncupata de *Cleyn-beghe*, aliæque plures.

Ad Politiam seu regimen politicum quod attinet, singulis annis circa Festum Epiphaniæ, Magistratus renovatur, & eliguntur duo Consules; unus ex parte Civium seu Concilii Civici, & penes ipsum est cura conquirendorum & exponendorum nummorum publicorum; alter ex parte Dominorum, & ab ipsis Officiatis eligitur. Insuper eliguntur singulis annis duo novi Consiliarii, qui vocantur Jurati, *Geswoorens*. Sunt autem alii permanentes, quasi Consiliarii perpetui, qui tamen in Consules eligi non prohibentur; & quidquid per Consules ac Consilium pro necessitate & utilitate Communitatis ordinatum & recessum fuerit, omnes tenet, non solùm Cives & Internos, sed etiam externos seu extra Franchisiam commorantes. In gravioribus tamen & imponendis taxis, quas *Schettingen* vocant, aliisque necessariis ad subveniendum oneribus Communitatis, adhibentur etiam Officiati & Scabini; ut simul collato consilio, quæ Reipublicæ magis utilia sunt statuantur. Præter illos nec Cives nec Suburbani vocantur.

In quibus omnibus oneribus publicis, totamque Communitatem concernentibus, Cives seu intra mœnia & pomeria, *in de Binninghe* commorantes, unam tertiam; extra pomeria autem habitantes, *op de Buytinghe*, duas tertias partes; quoad verò onera particularia, internorum illorum oneri incumbunt & econtrà.

STOC-

STOCKEMIUM.

STOCKHEMIUM, vulgò *Stockhem*, ad Mosæ ripam, antiquissimum Comitatûs Lossensis Oppidum, ædificatum jussu Colongi decimi noni Reguli Tungrorum anno Christi 48. postquam Roma mille annis steterat, msf. fol. 6. Trajecto dumtaxat tribus, Leodio septem leucis abjunctum, cui adhæret Arx munitissima, à Cardinale Marcano restituta. Justitia interna hujus Oppidi circumcingitur mœniis seu muribus: sed in illa, uti & externa, idem obtinet ut & Hasseletum. De reliquis vide Mantel. in Comp. Hist. Loss. per totum.

PERA.

PERA, vulgò *Peer*, Comitatûs Lossensis Oppidum, anno C. I. CIƆXXIII. Comitatûs honore at titulo donata à Ferdinando R. I. Imperatore. Nondum urbata cinctaque mœnibus aut donata Oppidorum prærogativis anno 1465. ut refert Mantel. in Comp. Hist. Loss. cap. 9. fol. 44. Illud Oppidum, tam intra quàm extra, unicam Justitiam Lossensem habet, & sic primævam suam naturam hactenus conservavit, estque purè Juris Lossensis, tam quoad personas quàm domos & prædia intra & extra sita: unde nec ibi ulla distinctio Justitiarum, *binnen en buyte Bancken*, sed una eademque est Justitia Lossensis, à quà appellatur ad Scabinos Vliermalienses; & hoc quia cinctum fuit mœnibus post Concordatum superiùs relatum. Vide latiùs dictum Mantel. per totum.

HAMONTIUM.

HAMONTIUM, vulgò *Hamont*, Comitatûs Lossensis Oppidum, est Juris & naturæ Lossensis, uti Pera, tam quoad personas quàm domos & prædia, tam intra quàm extra, à qua similiter provocatur ad Scabinos Vliermalienses, quos etiam in criminalibus habet superiores: ut in illis sine eorum rechargia nequeant

judicare, ut nec Scabini Perenses. Dictum Oppidum est sub Satrapia de *Grevenbroeck*, à qua dependent duo pagi, Arkel & *Lille* sancti Huberti, & simul, constituunt *het Lant van Grevenbroeck*, habentque Hamontium pro una eademque Justitia. Vide latè Mantel. per totum.

Comitatus Lossensis habet duo suprema Tribunalia, ad quæ ferè totus Comitatus respectivè venit per appellationem & rechargias; nempe Scabinos Vliermalienses & Scabinos extramuralis seu exterioris Justitiæ de Bilsen, vulgò de Buyten-banck Bilsen.

Resortus Vliermaliensis, vulgò Bancken ende Laet-Hoven die naer Vliermael ten hoff de gaen.

A.

AElst.

B.

BErbroeck Steivort,
Beringhen de stadt buyten,
Berlinghen,
Berlo,
Bree de stadt buyten,
Beverlo, Hamme, Quaemechelen,
Bevingen,
Bilsen de buyte-Banck,
Bindervelt,
Bockhoven by Hertoghenbosch,
Bomershoven,
Boyenhoven by Leeuve,
Bouchout,
Bouchout by Ceulen,
Boes-hoven by Loon: extat tamen illîc Curia spectans ad Scholasticum sancti Joannis Evangelistæ Leodiensis, Toparchæ dicti loci. Quæ Curia & omnia prædia moventia sub illâ sunt naturæ jurisque Leodiensis: Arnoldus tamen Comes Lossensis per Diploma suum datum in Bullone in crastino Paschæ anno Domini 1323. declaravit quòd bona dicti Scholastici non debeant tallias nec contributiones; sic libertatem villæ de Boes-hoven ad dictum Scholasticum spectantis.
Borlo.

C.

CArmpt,
Craenenwyck,
Corteshoven,
Coesen,
Curingen buyten.

D.

DUras s'ionckeren banck.

E

EGgertingen onder Vliermael,
Elderen s'heeren,
Elderen ghenous,
Elecom,
Elen,
Exel.
Eymael,

F

FAlle.

G

GElinden met de Banck,
Gerstelle,
Gorssum,
Graesen,
Graet-Loon met de Banck,
Grend-Velt,
Grooten Breugel,
Groot-Loon, nue van de elff Bancken van sint Servaes tot Maestrecht,
Groot-Vorssen,
Gruyt-Roede,
Gutschoven,

H

HAelen,
Haemel,
Haeren by Bommers-hoven,
Haeren by Loon,
Haeren by de Maese,
Halen int Graeffschap Horne,
Hallebaye & Haccourt. *Vide* Munster-Bilsen,
Halmael by sint Truyden,
Hamont stadt,
Hasselt de stadt buyten,
Hauw-Eycken,
Heere, Middel,
Herne,
Heyt-huysen int Graeffschap Horne,
Horne by Loon. Suprema Justitia Comitatûs de Horne, feudi Comitis Lossensis, judicat absque rechargia in criminalibus; sed in civilibus appellatur ad Scabinos Vliermalienses.
Horpmael,
Houpertingen. De Comitatu ac illius Resortu, nunc disputatur, uti ex Recessu anni 1615. inito Trajecti ad Mosam inter Commissarios utriusque Principis articulis 54. & 55. videre est in Verbis, *en tenant en avis.*
Houthaelen.

I

IEsseren,
Ieuck sint Joris,
Itter teweten opitter.

K

KErmpt,
Kerckom,
Korswerm.

L

LIlle,
Limmertingen,
Loon de stadt binnen, duntaxat quoad bona, buyten, tam quoad personas quàm bona.
Lummen,
Luyxgestel.

M.

Maeseyck de stadt buyten,
Mall,
Meer,
Mesen,
Meeswyck,
Meldert,
Membruggen,
Meuwen.
Munster-Bilsen, Haccourt & Hallebaye, *Kleyne Spauven*, *Wellen*, sunt de Comitatu Lossensi & ejusdem moribus subjecti, sed non de Resortu Vliermaliensi nec Belisiensi. Fateor quidem esse mera allodia à nemine neque in censum neque in feudum relevantia, sic ut rectè dixeris *Vry-Heerlyckheyden*, tamen jus Advocatiæ competit reverendissimo ac celsissimo Principi Leodiensi, quà Comiti Lossensi. Reverenda ac perillustris Abbatissa & Collegium Canonissarum nobilium de *Munster-Bilsen* sunt Dominæ temporales dictorum locorum. A Sententiis Scabinorum illic in civilibus appellatur ad Aulam dictæ Abbatissæ: inde dicta Abbatissa, post sententiam in dicta Aula latam, concedit Revisionem in causis taxam Imperii non excedentibus, salvâ in criminalibus in prima instantia rechargiâ à supremâ dicta Aula petendâ, habentque in locis & pagis prædictis jus aggratiandi super delictis quibuscumque,
Muysen.

N

Neer,
Neder-Haeren, temporis Cardinalis à Groesbeeck accessit,
Neer-Oeteren tempore Principis Georgii ab Austria accessit. Est de Comitatu Lossensi & ejusdem moribus subjectus; sed non de Resortu Vliermaliensi nec Bilisiensi: & olim moris erat appellare à Sententiis Scabinorum dicti loci ad Scabinos in Thorn; sed nunc ad Commissarios Decisores ex parte Celsitudinis Suæ Leodiensis, uti Comitis Lossensis, ex una; & reverendæ, perillustrissimæ Dominæ Abbatissæ & Principis in Thorn, uti Dominæ vulgò *grondt Vrouwe van Neeroeteren*, ex altera, stabilitos, concurrentes simul in Jurisdictione. Qui Commissarii sunt etiam Judices in criminalibus. DD. Henr. Maes & Ramlot Jurisconsulti olim erant Commissarii Decisores; primus ex parte Celsitudinis Suæ Leodiensis, quà Comitis Lossensis; & secundus, ex parte Abbatissæ de Thorn.

O.

Oosthamme,
Op-Haeren,

Op-Heere & bats-Heere,
Opgelabeeck over de maese,
Op Leuwe,
Opitteren,
Opoeteren,
Oreye,

P

PEer. Oppidum;
Pelt.

Q.

QUae-Mechelen.

R.

REnckoven,
Roesen,
Ruckelingen,
Rummen.

S

SAssenbroeck,
Schaelck-Hoven,
Spalbeeck,
Steivort buyten,
Stockhem de stadt buyten,
kleyne spauven. *Vide* Munster-Bilsen.

T

TEssenderlo,
Tille,
Tonger-Looz.

V

VEchmael,
Verle *sive* Veulen,
Venne by Leeuwe,
Vertoe,
Voort,
Vroelingen.

W.

WAl,
Waroux,
Wellen. *Vide* Munster-Bilsen,
Werm by Hoesselt,
Willer by Leeuwe,
Wimmertingen.
Winters-hoven,
Wouteringen, *Gallicè, Oetrenge sur Geer*,
Wychmael,

Z.

ZOen-hoven,
Zuylre,

CURIÆ Censuales sub Resortu Vliermaliensi, vulgò Laet-Hoven onder t'Resort van Vliermael.

B.

DEn Hoff van Baxen,
Den Hoff van den Bougaert, tot Wellen.
Jean Boemans Hof te Broechoven.
Den Hoff te Broeck.

C.

DEn Hoff van Caubergh, pertinens ad D. Melen, provenienes à Comitissa Margareta de Los.
Claes (Jean) hoff,
Sinter-Claes hoff te Houppertingen,
van Coelen,
Coemans (Jean) Hoff te Bouchout,
Copis Hoff te Steuvort
den Hoff van Corbeye, tot

Librechts te Keystel,
Joncker Loons te Corteshem,

M

te MErle,
Meuwen,
MIllen,
Mombeeck,
cleyn Mombeeck,
te Mortel,
te Merle onder hammael,
Mopertingens te Corteshem,
vander Motten onder hoppertingen,
van Minhem onder Oreye.

O

sint ODulphus te Borch-Loon,
van Ontbroeck te hoppertinghen.
van Ordinghen,

P

PEterschem by Maestrecht,
den Pastoers van, Wintershoven,
Paerkens te bree,
Perkels te Hex,
den Proets te bedoey,

Q

QUaet-hoven.

R

REyst te Vliermael,
Rottinghen,
van Repen by Mall,
van de Reysen te Gelinden,
Roppertingen,
van Reyckel,
van Repen,
tot Rummen,

S

SChroets tot Berbrouck,
van Schryven steyn tot Vechtmael,
Stock-roede,
Susters van Loon,
van Snevelt,
van Scauburg,
Schaelckoven,
Schoepen,
van Sintruyden in Pelt,
Stroegs by Sintruyden,
Stoeters te Berbroeck,
Snepaerts,

V

VAnder-Laemen,
Claes Villers te Broeck,
Villers te Berbroeck,
van Villers tot Hex,
onser L. Vrauwen van Tongeren by Haeren,
te Voeben,
van Vrolingen,
van Vurbode te Hamelle,

W

WAen rode,
van Wassenborch tot Bree,
Wilre,
Willems,
Wiermers Bosch,
te Willers,
Weypper mouwen,
Wonroyde,
Wys-Haegen,
van Wint-Huysen by Maeseyck,

Z

van ZEelem te Winters-hoven,
van Zoethem,

Resortus immediatus altæ Justitiæ exterioris Blisensis, *vulgò* die aen d'eerste instantie onderworpen syn.

B

BOna extra Belisiam, vulgò de Buyte goederen van Bilsen,
Brouckem,
Buyssen,

E

EYge-Bilsen.

G

GEllick.

H

HEesvelt,
Halff-Eyck,
Hoult,

L

LAer,
Leeten.

M

Sint MArtins-Linde,
Meerhem,

R

REeck,
Ruycoven,

S

SChoenbeeck,
Spurck.

W

WIllers,

Pagi qui appellant ad dictam Justitiam exteriorem Blisensem, *vulgò* die syn Resorterende by appelle onder voorf. Jurisdictie.

A

ASs.

B

S. graven Banck van Beverst.

F

FAll.

G

GUygoven,
Genck.

H

HErderen Rimpst,
Holbeeck,

O

OVerrepen.

R

ROsmeer.

S

SIchen sussen,
Sutendael.

V

VEltwesent ende Kessele.

W

WEust-Herck buyten, *appote* Donck & Diepen poell ophem schacke brouck.
Weyer ende voordere buyten goederen van Herck,

Resort

Resortus nobilis Aulæ Curingianæ per Appellationem.

B

de BUyte-Banck Bilsen.

C

CApittels-Hoff van Loon.

D

DIlsen. In criminalibus judicat absque rechargia, & à Scabinis ibidem in civilibus rectà appellatur ad Aulam Comitis; quæ est Aula Curingiana.

E

EYgens-genoeten van Loon, id est Curia Allodialis Comitis Lossensis, Loscastri. Ab illa rectà appellatur ad Aulam Comitis, ut suprà.

L

LEen-hoeven, utpote à Curiis feudalibus Dominicalibus totius Comitatûs ad Aulam.

V

VIron, in Condrosio, prope Cinay,

A D. Scabinis Vliermaliensibus appellatur ad Aulam Comitis.

Quibus accedit Comitatus Hornanus, qui est pars Comitatûs Lossensis, uti & est feudum Comitis Lossensis, qui in censualibus & allodialibus gradatim appellant Vliermaliam; in feudalibus ad Aulam Curingianam.

B

BEgden,
Bengenom,

G

GEstingen,

H

HAelen,
Hakene,
Hertissen,
Horne. Suprema hæc Justitia judicat absque rechargia in criminalibus; sed in civilibus appellat ad Dominos Scabinos Vliermalienses.

M

MEer,
Minen,

O

OPhoven,

R

ROgelen,

Resortus Oppidi Imperialis sancti Trudonis, vulgò Bancken der Ryxer stadt Sint-Truyden.

M

MErvelen,
Milen boven Aelst,

N

NIel,

P

den PRoost-hoff van den Prelaet van sint Truyden. Illa Curia habet suos Tenantes & Mayerium & extendit se longè latèque usque prope Huum, Leodium, in Berlo & Buvingen; item Curia quam reverendissimus Dominus Abbas habet in pago de Donck.

Dictæ Curiæ appellant ad Dominos Scabinos Trudonenses, & inde ad Consistorium regale Aquisgranense; deinde in causis taxam Imperii excedentibus, Spiram & ubi prædominatur lex Imperii. Dicti Scabini Trudonenses sunt Judices in criminalibus & judicant absque rechargia, debentque dicti Judices inferiores, utpote Milen Mervelen & Niel, in prima instantia rechargiam à dictis Scabinis Trudonensibus petere.

Notæ in §. Rummen.

NOtandum quòd in Castro de Rummen fuerit olim antiquà Comitum Lossensium Basilica monetaria, uti hîc infrà videre est.

Extract vuyt seecker Register der stadt Sint-Truyden toebehoerende in folio, *ende rooden coopercul gebonden waer in geschreven staen diverse Ordonnantien ende Statuten die voors. Stadt concernerende* fol. 13. *des Selffs bevonden wordt als volcht.*

OP maendach voor onsf vrouwen licht-dach anno 1410. is verdragen met heeren ende staet dat niemant wye hy sy wyff oft man die moente oft gelt dat men nu te Triecht sleet in de stadt oft vryheyt bringen en sal, op die pene van twee realen ende t'gelt verloeren, ende desgelycx *van den gelde gou-*

we ende silvere dat men te Rummen fleet en sal oeck niemant bieden noch bringen in de stadt oft vryeheyt op die selve pene. *Concordantiam attestor, signat.* JOAN. VAN VUCHY, *Oppidi prætacti Secretarius, per extractum subscripsit.*

RELIVIA ADVOCATIÆ DE SCLESSIN.

Extrait du Registre aux Fiefs de la noble Sale de Curenge.

RAusso de Bierloux Re. D. à Liege le 14. jour de Janvier l'an 1371. la Baillerie d'Ougnées, de Sclessin & de Ougere, les auwes & posseries de ce lieu, la maison de Sclessin contenant 5. journaux & là entour presents Joh. de Scheudrimalle, Chastelain de Montegny, Robié de Rynswaude, Wilheaume de Jardin, Henri Coen, dit de Rouille & Philippe Pre. *Signat.* F. SIGERS *pro Secretario nob. Aulæ Curing. per Registrum.*

Post illum Joannes de Bruyst 1425.

Post illum Raes van Bruyst 1434.

Post illum Gerardus de Bruyst.

Post illum Arnoldus van Berloz.

Post illum Johan van Berloz.

Post illum Carolus van Berloz 1607.

Post illum Florens van Berloz 1639.

Post illum Ferdinand. Fran. van Berloz Comes de Hozemont, ut infrà.

Anno 1686. 17. Junii voor ons Ferdinand Vrybander Heer van Inhuysen, Kniphuysen, Elter, ende des Landts Vogelsang, Stadthelder S. C. F. D. Loonscher Leensale van Curingen G. N. Sigers. I. R. Sigers. ende van den Clooster, respectivè Luytenant Stadthelder ende Loonsche Leenmannen is gecompareert den hoogh wel geb. Heer Ferdinand Fran-

çois Grave van Hozemont, Baron de Berlo &c. den welcken heeft verſoeght te releveren naer doodt ende afflyvicheydt van wylen den Hoogh geb. H. Ferdinand vry Heere van Berloz, Grave van Hozemont &c. die Heerlyckhydt van Scleſſin met den alden toren ende ontrent vyff ſillen erf, item die vooghdye van Oignez ende Ougrez met den wateren ende vyſſcheryen ſoo ende gelyckerwys alhier van S. D. H. het als Grave van Loon naer inhaldt der leen Regiſters, is te leen moverende tot wyens verſock wy condeſcenderende hebben den Hooghgeb. H. comparant voorſ. tot het verſoeght relief geadmitteert behaudens J. C. F. D. ende een ider ſyn goedt recht ende hebbende den eedt van getrauwicheyt gepreſteert is alles in hoede gekeert. *Sign.* F. SIGERS, pro Secret. nob. Aulæ Curing. per Regiſtrum.

Finis III. Partis.



DISTRIBUTIO TERTIÆ PARTIS.



COMITATUS LOSSENSIS TOPOGRAPHIA.

FINIS.